FAN 341

BIBLIOTECA CENTRAL DE LA RIOJA

EX-LIBRIS

FR. LAVRENTII

DE PORTEL,

ORDINIS P.N. FRANCISCI
DE OBSERVANTIA,

Prouinciæ Algarbiorum in Portugallia quondam Ministri Prouincialis, & Lectoris Theologi in eadem Prouincia,

RESPONSIONES

Aliquorum casuum Moralium, spectantium præcipue ad personas Regulares, ac etiam Sæculares.

EDITIO NOVISSIMA.



LVGDVNI,

Sumpt. PHILIPPI BORDE, LAVRENTII ARNAVD, & CLAVDII RIGAVD.

M. DC. LII.

CVM APPROBATIONIBVS.

R/1.081



Ad pium Lectorem.

NON adeò de me confido, vel præsumo, vt aliis dare me consilia possè confidam; sicut multi graues dedere Doctores, sicut Panormit. Nauarr. Parisius, Curdus, Farinacius, & alij, qui suis doctis consilijs multùm animarum profuere saluti. Ea de causa huic opusculo non affixi titulum consiliorum, sed responsionum, quia illas dedi aliquando inuitus, & semper rogatus, & quæsitus. Qui verò rogatus, & quæsitus facit, audaciæ, vel temeritatis argui non potest: culpa sit illorum qui meas indoctas, & ineptas responsiones postularunt, putantes me aliquid esse, cùm nihil sim. Quòd item illas prælo dederim, condemnandus non sum, quia similiter rogatus feci, & non semel suasus. Agnosco meam insufficientiam, & me non consultorem, sed consilij indignum profiteor. Illud tamen (quod me etiam mouere potuit) in Lectorum memoriam re-

uoco, non contemnendos D D. Cyrillum videlicet super Ioan. & Theophylact. credere, ea de causa Christum D. Ioan. 6. ab Apostolo Philippo solum, quæsiuisse, vnde possent emi panes pro illa turba saturanda, quia Philippus inter Apostolos tardioris, & simplicioris erat ingenij: per quod fortè voluit Christus D. inter alia nos docere, etiam à simplicibus, ac rudibus aliquando consilium esse petendum, si speretur, quòd aliquid opportunum dicent. Adduco etiam in memoriam Lectoris illud Adagium, quod Paulus Manutius in suo lib. Adagiorum ponit col. 238. dicens: Sæpè etiam est Holitor valdè opportuna locutus. *Id est aliquando Rusticus Hortulanus dedit bonum, & accommodatum consilium. Quod etiam probari posset exemplo illius Seueri Regis Vvandalorum, qui cum D. Paulino suo captiuo, hortulano putato, familiariter, & in secreto colloquebatur, illius monita non contemnens. Gemma enim, & margarita etiam in sterquilinio inuenta non contemnitur. Si ergo infinita sapientia Christus Dominus non dedignatus est à Philippo Apostolo consilium petere, cùm esset tardus, iuxta Cyrillum, & Theophylactum, & gener Regis Vvandalorum ab Hortulano Paulino similiter. Ne dedignetur, quæso, Lector has meas Responsiones, licèt indoctas, perlegere, fortè enim in illis aliquid opportunum reperiet à Rustico Holitore dictum. Quòd si inuenerit, gra-*

tias

tias referat Deo: qui linguas infantium facit esse disertas. Si verò non inuenerit, corrigat, & emendet: ego enim libens, cunctorum iustæ censuræ, & correctioni parebo.

Vale in Domino.



Facultas Sanctæ Inquisitionis.

VIstas as informaçõẽs podese imprimir este liuro intitulado, *Responsiones aliquorum casuum Moralium*, &c. & depois de impresso torne conferido com o original, para se dar licença para correr, & sem ella não correra. Lisboa aos 24. de Outubro, de 1628.

Gaspar Pereira. *Francisco Barreto.*

DOu licença para se imprimir este liuro. Lisboa a 26. de Outubro, de 628.

Gaspar do Rego d' Afonseca.

QVe se possa imprimir este liuro, vistas as licenças do sancto Officio, & Ordinario, & não correrà sem tornar à mesa para ser taxado. Em Lisboa a 31. de Outubro, de 628.

Pimenta de Abreu. *Mesquita.*

EX mandato R. admodum P. N. Fr. Laurentij ab Annunciatione Lectoris Iubilati, ac Prouincialis Prouinciæ Algarbiorum, Ordinis B.P.N.Francisci de Obseruantia, accuratè, & cum summa voluptate legi has aliquorum casuum Moralium Responsiones, datas à R. P. Fr. Laurentio de Portel, huius nostræ Prouinciæ

uinciæ quondam Miniſtro Prouinciali, ac Lectore Theologo, viro eruditiſſimo, in quibus non ſolùm quod orthodoxæ fidei, rectæve fidelium inſtitutioni aduerſetur, apparet nihil, verùm pietatis, ac ſcientiæ plenæ ſunt omnes, & obſcuris rebus, eius ſtylus facilis, fœlix ingenium, in inquirenda veritate indefeſſus labor, lumen inferunt non exiguum, quare ſi typis mandentur, non minus ad Iuriſconſultorum, quàm Theologorum vſum accommodatè deſeruient, quippe ita in illis omnia eruditè diſcutiuntur, ac terminantur, vt nihil amplius in hoc argumento deſiderari poſſe videatur. Vlyſſipone, in Cœnobio D. P. Franciſci de Enxobregas, die vlt. Maij, 628.

Fr. Ioannes Cardozo, Calificator, & Cenſor.

COncedo facultatem vt imprimatur. In Conuentu D. Franciſci de Enxobregas, die 20. Maij, 1628.

Fr. Laurent. ab Annunciatione, Miniſt. Prou.

HÆc prælo excuſa, adæquè ac fideliter, referunt eoſdem caſus, qui ab auctore multis modis commendabili, manu propria, ſunt exarati, & à me ſedulò mente recogniti. Vlyſſipone, apud domum D. Bernardi, 17. Februarij, 630.

Fr. Felician. Montel.

TAxaſe eſte liuro em tres teſtoẽs. Em Liſboa, 27. de Feuer. de 630.

Araujo. Cabral. Salazar. Barreto.

Approbationes Qualificatorum, Censorumque Sanctæ Inquisitionis.

ROmulus Romanæ vrbis conditor notissimus, vt tàm belli pacisque tempore cuncta componeret, populúmque Romanum tum sanctarum legum munimen, tum sublimium trophæorum, gloria cæteris orbis nationibus anteferret: sibi fecisse satis, totique Reipublicæ Romanæ sufficienter consuluisse existimauit, si viros aliquos consilicuos designaret, quorum quilibet sic esset morum cõcinnitate ornatus, sic armis ac solertia eminens, vt iacentem Rempublicam erigere, oppugnatam defendere, subactam ad libertatem reuocare potuisset, ne vnquam illa toto terrarum orbe suspiciendæ Ciuitas vicitura videretur. Similiter in re dissimili feciſſe reor S. Theologiæ professorem celeberrimum, venerabilem Patrem Fr. Laurentium à Portel, clarissimæ Minorum familiæ ex heroibus satorem vnum, communémque parentem, atque Algarbiorum Prouinciæ quondam Prouincialem emeritissimum, qui & regularium, & sæcularium personarum status commodè auxiliatum iri arbitratus, librum edidit frugiferum responsionum varietate veluti armatura quadam adeò accinctum, vt impetentium scrupulorum vim repellere, controuersiarum complicationes soluere, sophismatum ambages explicare, vterque status si excubuerit indifficulter queat; quinimò ab eo tanquam ab armamẽtario distinctum gladium arripiat, quo immaculatam Deiparæ Conceptionem contra impugnantes propugnet, procaces eorumdem rationes retundat, infesta argumenta in ipsos retorqueat, ac tandem immunem, & illæsam

sam ab originali labe audeat vindicare. Opus integrum eruditione, simul ac breuitate, qua solet venerabilis Pater in aliis voluminibus iam in lucem editis veluti alter amœnissimus fons vbertim scaturire conspicitur, ita congruum orthodoxæ morúmque integritati, vt à sacris Conciliis, ac Sanctorum Patrum dogmatibus non dissideat, sed maturitate consilij, iustáque rerum ponderatione vbilibet splendeat, propterea dignum quòd excudatur, vt vnusquisque propriæ conscientiæ ebullitiones, ac morsus cohibeat, oneribus exoneret, vtraque Respublica Ecclesiastica scilicet, & ciuilis recto tramite dirigatur, ac tandem cuncti fideles in ambiguis suorum votorum compotes efficiantur. Vlyssipone, apud Dominam Exilij Kalendis Augusti, anno 628.

Doctor Fr. Felicianus Montel.

PRæuidi hunc librum, cuius titulus est, *Responsiones aliquorum casuum Moralium, &c.* &c. compositum à P. Magistro Fr. Laurentio de Portel, Ordinis B. Francisci de Obseruantia, Prouinciæ Algarbiorum in Portugallia in quo nihil repeti quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus aduersetur: plurima verò quæ opus, Authorísque præclaram doctrinam, eruditionem, & in controuersiis decidendis perspicuitatem maximè commendant: ideóque typis excudendum censeo. Vlyssipone, in domo D. Rochi, Societatis Iesv, 12. Octobris anno 1628.

D. Iorge Cabral.

LIbrum cui titulus est, *Responsiones aliquorum casuum Moralium spectantium præcipuè ad personas regula-*

res, ac etiam ſæculares, datæ à Fratre Laurentio de Portel, &c. Nos infraſcripti in ſacra Theologiæ facultate Magiſtri, perlegimus, nihilque in eo Fidei Orthodoxæ contrarium reperimus. Lugduni, 5. Septembris, 1633.

Fr. Cl. Cochet.

Fr. Ioannes Portier, Magiſter & Prior Conuentus Lugdunenſis, Ordinis FFr. Prædicatorum.

CASVS CONTENTI IN hoc libro sunt sequentes.

Casus 1. De beneficio, vel officio recepto ab incapaci ob censuram, quomodo possit reualidari. pag. 1

Casus 2. An dispensans semper debeat iniũgere aliquod onus, vel pœnitentiam dispensato. 8

Cas. 3. De dispensatione cuiusdam bigami iam ordinati. 16

Casus 4. De quodam Legato relicto conuentui Minorum cum clausula contraria suæ Regulæ. 24

Casus 5. De quodam Nouitio expulso, sed appellante. 27

Casus 6. De homicidio quodam commisso ante ingressum Religionis. 35

Casus 7. De alio homicida ante ingressum Religionis. 40

Casus 8. De alio homicida ante ingressum Religionis. 47

Casus 9. De professione Nouitiæ facta per metum, & aliis circumstantias. 54

Casus 10. De alia professione Nouitiæ dubia ex defectu suffragiorum. 66

C. 11. De prouinciali dãte suffragiũ in professione Nouitiæ. 73

Casus 12. de conuentu Monialium demisso Ordinario à suo Prouinciali. 81

Casus 13. Si possit eligi in Abbatissam attingens annum 40. *sed non completum.* 97

Casus 14. De electione Abbatissæ facta voce tenus, sine schedulis obsignatis. 102

Casus 15. De quodam conuentu Monialium translato ad alium locum, repugnante Episcopo suo Prælato. 107

Casus 16. De congregatione quorumdam hominum sub forma Tertiariorum. 116

Casus 17

C.17. *De alienatione cuiusdam rei relictæ Monialibus cum conditione ne posset alienari.* 126
C.18. *De Prælato locali appellante à suo Prouinciali tempore visitationis.* 132
C.19. *De punitione cuiusdam Religiosi delinquentis extra suam Prouinciam, & extra regnum suum.* 144
C.20. *De visitatione generali, & an testes denuntiantes, sint post ea ratificandi.* 149
C.21. *De vno conuentu Monialium recusante suum Prouinciale ne visitaret, tempore electionis Abbatissæ creandæ.* 155
C.22. *De quodam Prælato audiente reum solum verbo tenus, & de subdito ea de causa appellante.* 166
C.23. *De quodam teste fatente veritatem, & nolente subscribere dictis à se.* 175
C.24. *An Prælatus Regularis in processu sui subditi teneatur seruare quandam legem principis secularis.* 180
C.25. *De quodam Religioso machinate mortem sui Prælati, non secuto effectu.* 192
C.26. *De quodam Religioso reo confitente delictum non iuridicè quem Prælatus sic fatentem voluit punire.* 211
C.27. *De Abbatissa admittente seculares intra clausuram, bona fide.* 216
C.28. *De quodam Religioso dubitante de suo Baptismo.* 221
C.29. *De electione cuiusdam Monialis ad certum officium, à qua fuit appellatum.* 246
C.30. *An Prouincialis, maximè Minorum, habeat suffragium in electione Monialium.* 260

PARS SECVNDA.

CAsus 1. *De suffragio dando in Capitulo per procuratorem missum.* 273
C.2. *Delegato relicto cuidam puero si foret Clericus, & postea factus est Religiosus, an illi debeatur legatum.* 268
C.3. *De quadam donatione facta vni Conuentui de certa possessione*

possessione immobili. 281
C.4. *De electione cuiusdam Prouincialis, quem præses noluit confirmare.* 300
C.5. *De quadam præcedentia loci inter duos Religiosos graues.* 318
C.6. *de alia præcedentia locorum.* 326
C.7. *De quodã nouitio expulso post annum cum dimidio eo quòd nõ potuerint fieri informationes præceptæ à Six.V.* 342
C.8. *De quodam nouitio recepto ad chorum, & postea translato ad statum laici,* 351
C.9. *De quibusdam sæcularibus litigantibus, & capientibus quosdã Religiosos de mãdato sui capitanei sæcularis.* 365
C.10. *De quodam Religioso translato ad alium ordinem strictiorem non obtenta licentia sui Prælati.* 372
C.11. *De duobus Religiosis citatis quibus non est datum tempus, nec locus commodus ad respondendum.* 380
C.12. *Quòd hæres defuncti sepulti apud Religiosos non tenetur curare vt tot officia, & Missæ dicantur apud Clericos Parochiæ, quot defunctus iussit fieri apud Religiosos.* 386
C.13. *De quadam Bulla D.Greg.XV. in qua Episcopis concessit aliquã iurisdictionẽ super Moniales Regulariũ.* 393
C.14. *An Moniales S. Claræ subditæ Episcopo gaudeant priui. Minor. & alius casus circa vnũ cõuentũ illarũ.* 409
C.15. *An possit Goardianus in Ordine Minorum esse Goardianus vltra tres annos.* 414
C.16. *Dubia quædam suborta in materia electionum.* 416
C.17. *De quodã iurepatronatus in cõuentu Monialiũ.* 426
C.18. *An aliqua Religio possit condere statutum contra aliquid contentum in sua Regula.* 433
C.19. *Vbi sint dicendæ Missæ relictæ à defuncto non designante locum.* 443
C.20. *De donatione cuiusdam sepulturæ, quæ fuerat alteri data, & possessa,* 447
C.21. *De quadã iurisdictione delegata à quodã superiore.* 450

C.22.

C.22. De priuilegio cuiusdam domini sæcularis patroni cuiusdam conuentus Monialium. 455
C.23. De confessore Religioso audiente confessiones contra prohibitionem sui Prælati. 466
C.24. An Moniales S. Clarę primæ Regulæ possint habere pensionem vitalitiam pecuniæ sibi relictam. 471
C.25. De quadam quarta funerali soluenda Parocho. 476
C.26. De quodam iudice conseruatore creato ab vno Goardiano pro quadam funerali non soluenda. 482
C 27. De quodam Abbate idiota electo. 494
C.28. De quodam Prouinciali ægroto non valente visitare Prouinciam. 500
C.29. De quibusdam confessoribus sæcularium certo modo electis in quadam Religione. 502
C.30. De absolutione cuiusdam excommunicati impensa ab altero excommunicato. 507
C.31. Explicatur Bulla D. Vrbani VIII. qua abrogat aliquas immunitates particularibus Religiosis concessas. 513
C.32. Respondetur 19. propositionibus cuiusdam Doctoris contra materiam voti, &c. 533

PARS TERTIA.

CAsus 1. An Episcopus successor teneatur soluere debita suis antecessoris defuncti. pag. 594
C.2. De quodam matrimonio prætenso ab vna fœmina. 605
C.3. De quadam donatione facta per Clericum cuidam filiæ fratris sui. 609
C.4. De quodã patre exhæredante filiũ sibi iniuriosum. 618
C.5. De duabus dispensationibus dubiis obtentis circa matrimonium contrahendum. 637
C.6. De quibusdam sponsalibus de futuro iuratis. 644
C.6. De aliis sponsalibus de futuro, cum defloratione inter virum nobilem, & fœminam plebeiam. 647
C.8. de quadam dispensatione circa matrimonium obtenta cum

cum falsa narratione. 655
C.9. De quodam ingresso Religionem post matrimonium ratum cum certa dubia circumstantia. 660
C.10. De quodam defuncto mortuo in duello, & sepulto in loco sacro. 667
C.11. De quodam Officio Lectoris prouiso à Prælato per oppositionem inter duos. 673
C.12. De quodam Clerico causante abortum fœminæ. 679
C.13. De alio abortu causato à Sacerdote cum aliis circumstantiis. 688
C.14. De quadam dote facta Clerico pro patrimonio ad Ordines recipiendos. 696
C.15. De quadam emptione tritici annualis non statim oblato redditu annuali tritici. 704
C.16. Notata quædã circa emptionẽ, seu cõtractũ census. 711
C.17. De quodam matrimonio contracto cum conditionibus circa dotem, & arrhas. 715
C.18. De cuiusdam virginis defloratione per metum. 731
C.19. De quadã emphyteusi cũ certis cõditionibus facta. 737
C.20. An possit Episcopus celebrare, & celebrari facere in Oratoriis priuatis. 743
C.21. De quodam iudice dante consilium Reo in secreto, an possit esse iudex, 750
C.22. De faciente peccatum, quod in se est mortale; sed ille putauit solùm esse veniale. 755
C.23. De quodam confessore reuelante furtum iudici de licentia latronis, an fuerit irregularis. 757
C.24. De quodam legato pro redimenda puella captiua. 762
C.25, An Monialis illegitima, & bigama possit esse Abtissa. 765
C.26. De quodã Parocho, qui dixit populo Missã siccã. 770
C.27. De quadam restitutione facienda. 773
C.28. Dubia quædã circa Officiũ Cõceptionis Deiparæ. 777
C.29. De Parocho excommunicante Parochianum eo quod

Missam

Missam non audiret in propria Parochia. 783
C.30. *De quodam contractu in materia census.* 788
C.31. *De Tabellione nolēte approbare certū instrumētū* 793
C.32. *Professio nulla cuiusdam Monialis.* 802
C.33. *De quadā donatione facta Monasterio Monialis.* 811
C.34. *De quadam licentia confirmata à D. Collectore.* 817
C.35. *De iurisdictione Prouincialis super conuentum Monialium, circa solutionem cuiusdam debiti.* 820
C.36. *De obligatione dandi alimenta fratri Minori litiganti contra Monasterium.* 815
C.37. *De absolutione cuiusdā notorij percussoris clerici.* 829
C.38. *De ingressu fœminarum in Monasteria virorum pro solo videndo ornatu claustri extra processionem.* 834
C.39. *An possint Regulares extra suos conuentus ministrare Eucharistiam secularibus in Oratoriis.* 839
C.40. *De cleric. ord. nat. sine interstitiis, & extra tēpora.* 849
C.41. *De Clerico qui recipit tres Ordines sacros omissis omnibus Ordinibus Minoribus.* 857
C.42. *De quinquennio ad reclamandum contra professionem ex Tridentino quomodo sit computandum.* 864
C.43. *De quadam obligatione Missarum,* &c. 868
C.44. *De quodam adulterio putato, diuortio, dote,* &c. 873
C.45. *De quadam donatione & dote facta filiæ à patre.* 878
C.46. *De dispensatione cuiusdā voti eundi in Hierusalē.* 883
C.47. *An clerici possint exercere mercaturam per personam interpositam.* 885
C.48. *De quadam electione dubia.* 891
C.49. *Explicatur quoddam priuilegiū Martini V.* &c. 897
C.50. *De quodam voto castitatis emisso à certa fœmina cum certa circunstantia.* 900
C.51. *An possit Prælatus punire subditum suum culpatum peccato nefando.* 906
C.52. *Qui est vltimus de priuilegiis viua vocis oraculo reuocatis, & iterum confirmatis.* 909

PRIMA

PRIMA PARS RESPONSIONVM MORALIVM SPECTANTIVM PRÆCIPVE ad personas Regulares, & Ecclesiasticas.

CASVS I.

De officio, vel beneficio nulliter obtento, eiúsque remedio.

CONSTAT ex multis Iuribus, praxi Ecclesiæ, & Doctoribus, quod si aliquis existens irregularis, inhabilis ad officia, vel excommunicatus ob aliquod delictum, vel simile impedimentum, obtinuit aliquod officium, vel beneficium Ecclesiasticum, talis impetratio est nulla in iure, & talis impetrans non potest in conscientia illud possidere. Hoc posito, contigit vt Petrus existens cum aliquo ex illis tribus impedimentis, impetrauerit, & acceptauerit aliquod officium, vel bene-

ficium Ecclesiasticum, quod non potest in conscientia possidere. Quæritur an Petrus obtenta secreto absolutione, dispensatione, vel habilitatione prædictorum impedimentorum, possit secura conscientia manere, & possidere illud officium, vel beneficium nulliter collatum, absque eo quod procuret nouam collationem officij, vel beneficij à potente illud conferre: an vero debeat nouam collationem procurare post ablatum impedimentum? Qui casus sæpè solet euenire.

1 Duæ sunt opiniones. Prima est Nauar. *in Sum. c. 27. n. 194.* & Panorm. *in cap. Innotuit, n. 11. de elect.* & Less. *lib. 2. de iust. c. 34. dub. 22. n. 2. 119.* & aliorum, qui dicunt talem possessorem officij, vel beneficij, ablato illo impedimento secreto per dispensationem, &c. indigere noua impetratione officij, vel beneficij facta à vero collatore, aliàs non manere securum in conscientia. Probant primo, quia Canones absolutè reddunt irritam talem collationem, vel electionem cum tali impedimento, nec meminerunt acceptationis factæ ab isto postquam fuit absolutus, vel dispensatus. Secundò, Electi, vel prouisi, vel præsentati in excommunicatione, vel alio impedimẽto facilè possent differre acceptationem, & interim curare se absolui, & ita nihil illis tale impedimẽtum obesset, quod videtur contra mentem Canonum. Tertiò, Quando cõtractus, vel consensus alicuius est irritus ob impedimentum occultum alterius partis, non satis est tolli illud impedimentum; sed opus est nouo consensu alterius, vt pater in contractu matrimonij: ergo similiter hîc opus est nouo consensu electorum, vel collatoris, quo confirmetur prior actus, aut veluti in eo persistere.

2 Secunda opinio est Speculatoris, Innocent. Hostiens. Ioan. Andr. Ancharan. Sapiæ, Calderin. Milis, Felini,

Felini,& aliorum,quos citat,ac sequitur Sanch. *lib.8. de Matrim.disp 7.n.12.* Hi omnes dicunt,quod sublato impedimento per absolutionem, dispensationem, vel habilitationem superuenientem, si taliter impeditus, & iam dispensatus in secreto, denuò acceptat in secreto officium, vel beneficium, præteritam collationem, vel electionem conualescere, & tribuere ius validum in foro conscientiæ, ita vt non sit necessaria noua collatio officij,vel beneficij. Huius opinionis DD. dicunt necessarias esse sequentes conditiones vt hoc verum sit. Prima, vt impedimentum sit occultum : alioqui actus nullum haberet colorem, sed esset planè irritus in foro externo. Secunda,vt id in nullius cedat præiudicium: si enim duo electi essent,præferendus esset qui caret impedimento, quia hic solus absolutè ius habet. Tertia, vt si sciens suum impedimentum,acceptaret collationem beneficij,non solum impetret dispensationem illius prioris impedimenti, sed etiam illius quod incurrit per talem acceptationem : ita enim acceptando incurrit vitium intrusionis, per quod fit inhabilis ad idem beneficium, etsi non ad alia;vnde etiam eget dispensatione huius impedimenti, qua obtenta poterit beneficium retinere.

Hæc sententia sic explicata, & modificata,probari potest. Nam electio illa fuit valida ex parte eligentium, vel collatoris beneficij, vel præsentatoris (vt supponitur) sed solum requiritur capacitas in electo: ergo vbi primum fuerit factus capax per sublationem impedimenti, ex vi prioris actus ius acquiret : sicut cum quis acceptat in excommunicatione collationē sibi factam ante excommunicationem, sublato illo impedimento ius acquirit absolutū ex vi illius acceptationis. Secundò,quia electores in priori voluntate

manere cenſentur, cum illam non reuocauerint: ergo vis electionis manet, ac proinde poterit illam acceptare ſublato impedimento. Tertio probatur à ſimili exemplo efficaci: nam is cuius profeſſio fuit irrita propter aliquod impedimentum, vt ob defectum ætatis, vel quia annus Nouitiatus non fuit integer, vel quia non conſentit interius in emiſſione votorum, iſte talis ſublato impedimento poteſt manere in Religione, & ratificare ſuam profeſſionem abſque noua admiſſione Prælati, vt communiter tenent Doctores: ergo ſimiliter in noſtro caſu ſufficit, vt impedimento ſublato, acceptet apud ſe collationem, vel electionem præteritam. Eandem ſententiam tenet Henriquez *tom.2. lib. de excomm. lib.13. cap.13. §.3.*

3 Ex his duabus opinionibus prima eſt ſecurior, vt vides: & probatur rationibus efficacioribus, & proinde in praxi, ſi commodè fieri poſſit, conſulenda. Secunda vero opinio fulcitur pluribus, & grauioribus Doctoribus, & ſufficientibus rationibus, ita vt condemnandus non ſit, qui illam ſequi voluerit, maximè in caſu magnæ difficultatis, quando videlicet difficillimè impetrabitur noua collatio beneficij nulliter obtenti, & illius renunciatio cedet in notabilem infamiam poſſidentis: tunc enim poteſt quicumque ſequi opinionem minus probabilem, vt optimè tradit Sanch. *lib.2. de Matrim. diſp.56. num.8.* ex Soto, & Nauar. dicentibus quod periculum graue facit vt formido præpõderet opinioni. Imo maius eſt quod tradit idem Sanchez *lib.7. de Matrim. diſp.37. num.38.* videlicet, poſſe excommunicatum, vel irregularem occultum acceptare beneficium, ſi non poſſit illud renuntiare abſque magna infamia, & acceptet illud cum animo obtinendi diſpenſationem, vel cum animo renuntian-

di

di cum poterit absque infamia: quia videlicet in his omnibus prævalet præceptum maius naturale de honore proprio tuendo, quam præceptum positiuum Ecclesiæ prohibentis hunc sic impeditum acceptare.

4 Ad primum argumentum prioris opinionis, concesso antecedente neganda est consequentia: quamuis enim Canones damnent, annullent collationem factam taliter impedito, id intelligendum est pro tunc, durante impedimento: secus si ablato impedimento duret eadem intentio collatoris, vel electorum, prout præsumitur durare: nec opus fuit vt Canones mentionem facerent acceptationis factæ à beneficiario post ablatum impedimentum, quia leges non semper omnia necessaria exprimunt, satis est quod innuant, & ex ipsa lege colligatur. Colligitur autem ex benigna Ecclesia quod impeditus aliquo impedimento ex supradictis, ablato impedimento, retineat securè suum officium, vel beneficium à superiore collatum, & non reuocatum. Nec deest exemplum aliquale rem confirmans. Nam videmus sacramentum Baptismi receptũ cum obice, & sacramentum pœnitentiæ informe, cum in sua collatione non sint sortita effectum propter impedimentum peccati, ablato hoc impedimento postea per absolutionem sortiri effectum gratiæ postquam iam non existit forma Sacramenti, nisi moraliter, vt communiter tradunt Doctores. Eodem modo in re minori, dispensatione scilicet, si dispensatio superuenit sublato impedimento, collatio præterita adhuc moraliter existens sortietur suum effectum, licèt illum sortita non fuerit cum primo data fuit propter impedimentum, & in dispositionem recipientis officium, vel beneficium. Ad secundum concedẽdum est totum, ac dicendum non esse hoc contra mentem

Canonum, vt patet ex dictis proximè ad solutionem primi. Sic enim præsumendum est benigna Ecclesia vt velit sublato impedimento, collationem officij præteritam conualescere, cum collatio illa prima duret adhuc moraliter, nec sit reuocata à collatore officij, vel beneficij. Ad tertium concessa Maiori dicendum est ad Minorem, non in omni contractu nullo ob defectum consensus alicuius partis esse necessarium pro reualidatione illius nouum consensum alterius partis: patet in exemplo professionis supra posito. Nam professio est contractus inter professum & Religionem, vt docet communis opinio: & tamen quando professio fuit nulla ex eo quod professus non consensit in professione, vt hæc professio nulla reualidetur, sufficit solum vt postea professus interius consentiat, & non requiritur nouus consensus Religionis, vt omnes fatentur. Imo (quod maius est) in matrimonio, quod est clarè contractus, si alter coniux in contractu ipsius non consensit interius, vel ob metum, vel quid simile, ob cuius defectum matrimonij contractus fuit nullus, vt hoc tale matrimonium reualidetur non requiritur quod denuo consentiat ille coniux, qui iam verè in initio consensit, sed sufficit vt consentiat, & accepret denuo ille qui prius non consensit, vt optimè, fusè, & doctè tradit Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 32. n. 9.* citans vltra quindecim Doctores: quod facit satis pro hac sententia, & facilè applicatur ad solutionem huius tertij argumenti.

Adhuc pro consolatione, & remedio istorum acceptantium officia, vel beneficia cum impedimento annullatiuo, noto primo cum Henriq. *cit. lib. 13. c. 14.* illum teneri quam citius fieri possit procurare remedium dispensationis, & reualidationis, alias peccabit

M. &

M & incutret alias pœnas: interim vero dum procurat diligenter remedium, si ex renuntiatione illius officij incurret magnum scandalum, & infamiam, non tenebitur renuntiare ob causam supradictam de præcepto naturali seruandæ famæ. Si autem absque læsione famæ possit, tenetur renuntiare. Pro quo adhuc videri potest Sanch. *cit. lib. 7. de Matrim. disp. 37. n. 38.* vbi ponit casum ad hoc intentum inseruientem.

6 Noto secundò, in hac materia, quod in Religionibus maximè Franciscana, in Capitulis vbi solent fieri electiones, præses Capituli proximè ante electionem solet absoluere, & dispensare, & habilitare omnes electores ibi eligẽtes, vt illorum suffragia valida ibi sint. Et pro ista consuetudine aduerto primo, quod si aliquis istorum electorum in illo Capitulo fuerit electus ad aliquod officium, & antea habebat aliquod impedimentum excommunicationis, irregularitatis, vel inhabilitatis, tale impedimentum sufficienter manet sublatum per illam absolutionem, & dispensationem generalem, ita vt nulla postea dispensatione indigeat. Probatur claro exemplo Episcopi quando cõfert Ordines, qui ante collationem Ordinum absoluit, ac dispensat in communi omnes ibi existentes, & aufert ab illis omne impedimentum impediens receptionem iustam illius Sacramenti. Et hæc absolutio data in communi, & generalis dispensatio liberat omnes ibi præsentes ab omni impedimento occulto, vt tenet Nauar. *consil. 49 de sent. excom. n. 12. vers.* ad secundum, & Zerola in praxi, *p. 2. ver. ordo*, §. secundo solet Episcopus. *& seqq.* vbi citat *cap. solitæ, de maior. & obed.* Aduerto secundo quod ista absolutio, vel dispensatio generalis data à præside Capituli nõ prodest absentibus extra Capitulum. Nam præses Capituli, vtitur his

verbis: *Absoluo vos, dispenso vobiscum*, &c. quibus verbis alloquitur solum præsentes. Vnde si qui postea eliguntur absentes in Guardianos, vel similia officia, & habent aliquod impedimentum occultum annullatiuum electionis, & iste sic impeditus acceptat officium, debet quærere, & procurare remedium, iuxta Regulas suprapositas. Neque enim præses electionis, dicens, facta electione absentis, ego confirmo istam electionem; per hanc confirmationem dispensat in impedimento occulto electi absentis, sed supponit illum esse vere habilem pro dicto officio obtinendo: & electum confirmare, non est illum dispensare: sunt enim valde diuersa confirmare, & dispensare.

CASVS II.

An dispensans cum aliquo semper debeat iniungere aliquod onus, vel pœnitentiam dispensato.

VIdi ego iam Religiosum doctum satis afflictum, eo quod multo tempore vsus fuerit certa dispensatione, & dubitabat an Prælatus dispensans imposuerit sibi condignam pœnitentiam, vel satisfactionem pro onere ablato. Videtur enim de necessitate dispensationis, vt Prælatus, siue confessor dispensans in quauis re, imponat dispensato debitam, & condignam pœnitentiã, vel onus aliquod pro onere ablato.

Videtur hoc probari, primò in materia obseruationis diei festi: nam cap. *licet de feriis*, concedit Papa vt dispẽsetur cum piscatoribus ad capiendos pisces Alecias

cias in die festo cum hoc onere, vt post capturam dent aliquam eleemosynam Ecclesiis & pauperibus. Et secundò Panormit. ad idem *c. licet, de feriis, n.* 4. dicit virtute eiusdem capitis imponi posse onus alicuius eleemosynæ dispensato ad non ieiunandum. Et *in compend. Mendicantium ver.* Officium diuinum primò, §. 9. Leo X. concedit vt Prælatus Minorum possit dispensare cum fratre infirmo ne recitet horas canonicas, iniungendo tamen illi aliquod onus leue, quod sibi videatur. Ecce in materia diei festi, ieiunij, & officij diuini iubetur dispẽsans imponere dispensato aliquod onus condignum. Denique in literis summ. Pœnitentiarij Romani directis ad Doctorem Theologum, vel Canonistam pro dispensandis in voto Religionis, castitatis, & pro matrimonio nullo, & pro irregularibus dispensandis, ac similibus (de quo latè Sanchez *lib. 8. de Matrim. disp. 34. & 35.*) post commissionem ad dispensandum monet sum. Pœnitentiarius, vt dispensato imponatur condigna pœnitentia, vt ieiunij, & obligationis confessiónis sacramentalis certis mensibus, idque perpetuo, vel aliorum similium operum pœnitentiæ prout qualitas negotij postulauerit. Videtur ergo quod semper Prælatus dispensans, vel confessor debeat dispensato aliquam imponere pœnitentiam condignam.

1 Pro parte verò contraria, quod scilicet non semper dispensans debeat iniungere pœnitentiam, facit, quod commutatio voti, v.g. & dispensatio voti differunt valde: nam commutatio non tollit onus voti, sed mutat illud in aliud onus fauorabilius, & proinde iniungitur aliud opus: at dispensatio tum in voto, tum in quouis alio præcepto tollit omnino obligationem præcepti, ita vt amplius non obliget, vt tradunt com-

muniter DD. maximè Azor *tom.5.lib.5.c.15.§.1.* & patet ex definitione dispensationis ab omnibus recepta, quæ est hæc, iuxta Suarez *tom.de leg lib.6.c.10. n.7.* est legis humanæ relaxatio. Alij addunt quod fit relaxatio iuris communis facta cum causæ cognitione, ab habente potestatem dispensandi. Vnde cum in definitione non ponatur quod debeat fieri cum iniunctione pœnitentiæ,non est de ratione,ac obligatione dispensationis,vt fiat semper cum iniunctione pœnitentiæ. Præterea quod detur aliquando dispensatio valida in irregularitate etiam contracta ob culpam, nulla imposita pœnitentia, patet ex fine casus præcedentis, vbi diximus ex Nauarr. & Zerola Episcopum absoluentem, vel dispensantem in communi cum ordinandis, vere illos absoluere,ac dispensare in omnibus irregularitatibus occultis, si quas habent: & tamen Episcopus nullam imponit pœnitentiam dispensatis. Quod idem clarius docet Nauar.*c 25. in fum.n.* 15. circa Religiosos dicens, quod si Prælatus illorum in visitationibus,& in Capitulis absoluat, ac dispenset cum omnibus in communi,manent omnes dispensati etiam ab irregularitate tunc oblita, ita vt non indigeant postea vlla dispensatione: & tamen Prælati hic dispensantes in visitationibus generaliter nullam imponunt pœnitentiam dispensatis etiam pro irregularitate: ac proinde non videtur obligari dispensans Prælatus, vel confessor semper imponere pœnitentiam dispensatis.Ecce pro vtraque parte vides authoritates,& rationes ad probandum,esse, ac non esse necessarium, vt dispensans imponat pœnitentiam aliquam dispensato.Ego hoc dubium apud nullum Doctorem in terminis decisum inueni. Pro meo tamen tenui iudicio, ad illius resolutionem noto sequentia.

2 Primo

2 Primo noto, quod si superior in particulari casu cõmittit alicui vt dispenset seruata certa forma, quam assignat, dispensans tenetur seruare illam formam, alias nihil faciet, vt omnes DD. dicunt, quia non seruata forma actus, vel mandati totum corruit. Vnde si committens dispensationem dicit, quod dispensans iniungat certam particularem pœnitentiam, illa assignata debet imponi. Si vero dicat solum in genere quod imponat illi pœnitentiam: tunc dispensans aliquem debet imponere quam iudicauerit sufficientem arbitrio prudentis viri, ac dispensatoris Dei. Si vero committens dispensationem non exprimit vt dispensans imponat pœnitentiam, quo pacto multa priuilegia concessa Religiosis à Summo Pontifice solum dicunt in communi, & concedunt quod possint in tali, vel tali materia dispensare cum Religiosis, vel sæcularibus, tunc maior est difficultas, cuius resolutio petenda est ex materia circa quam dispensatur.

3 Sit ergo prima conclusio. Quando ex parte petẽtis dispensationem datur morbus, vel impotentia naturalis implendi præceptum, vel res in qua dispensatur non est pœna aliqua contracta ex aliquo delicto, non tenetur dispensans imponere aliquam pœnitentiam dispensato. Hæc satis colligitur ex dictis à Suar. *tom. de leg. lib. 6 c. 18. n. 14.* vbi ait, quod quando in materia dispensationis datur talis causa, vel necessitas, quæ excuset à seruando præcepto, tunc non tam propriè dicetur Prælatus dispensare, quam interpretari legem, seu dicere, ibi legem non obligare: vnde sequitur ibi non debere imponere pœnitentiam, cum tam clara detur causa dispensandi, & dispensatio tollat omnino obligationem legis. Probatur primo ex dicto communi, Necessitas non habet legem, vt habetur *cap. consilium*

filium, de obseruat. ieiunij. Vbi Papa respondit, quod nõ seruantibus ieiunium quadragesimale, & tunc manducantibus carnem ob magnam famis inediam, & penuriã annonæ, non esset pœnitentia aliqua imponenda. Et *cap. ad audientiam, de clerico non resid.* excusatur clericus à residentia, & fructuum amissione propter infirmitatem corporalem. Vbi optimè glossa *verbo* infirmitas, citans multos textus iuris ciuilis, & canonici, dicit ad hoc intentum, quod infirmo afflicto non est danda afflictio: nec pœna debet in culpam verti, imo potius afflicto miserendum est, & compatiendum, nec duplici damno debet aliquis affici. Quæ omnia clare fauent ad hoc quod non sit imponenda pœnitentia dispensato infirmo circa ieiunium, vel non potenti dicere horas canonicas absque magna difficultate, esset enim hoc afflicto dare afflictionẽ. Idem colligitur ex *cap. cleric. victum* 91. *dist.* & hoc applicabis ad similes necessitates dispensandas. Quod adeo verum est, vt teneat Sanch. *lib.* 3 *de Matrim disp.* 10. *n.* 9. cum multis ibi citatis, quod quando adest legitima causa dispensandi, non potest Ordinarius imponere pœnam aliquam pecuniariam dispensato. Si autem quæras an hoc etiam verum sit in dispensatione voti? Dico quod tanta poterit esse eccessitas vouentis, vel difficultas in implendo voto, vt in illius dispensatione nulla sit pœnitentia imponenda, quia tunc habebunt locum supra dicta, quod necessitas non habet legẽ, & quod afflicto non est danda affiictio. Excipe si committens dispẽsationem voti iubet imponi pœnitẽtiam, vt solet iubere summ. Pœnitentiarius in literis de quibus supra circa dispensandos in voto Religionis, vel castitatis. In illis enim fortè reperitur minor causa dispensandi, maximè quia vtplurimum petunt similes dispensationes,

nes, vt possint matrimonium contrahere. Quod vero dixi in conclusione non esse imponendam pœnitentiam dispensato in re, quæ non est pœna orta ex aliquo delicto, melius intelliges ex conclusione sequenti: & probatur statim ex supra dictis, quia vbi non est culpa, nec pœna culpæ imponenda, cùm pœna culpæ tantum respondeat.

4 Secunda conclusio. Quando Prælatus dispensat in aliqua pœna, seu aliquo impedimento orto ex aliquo delicto, vt in irregularitate homicidij, vel indebitæ celebrationis, & similibus, vel tollit inhabilitatem contractam ex delicto, tunc debet imponere aliquã pœnitentiam dispensato. Hæc colligitur ex illis litteris summ. Pœnitentiarij, de quibus supra, & ex consuetudine Summorum Pontificum, qui quando committunt Ordinariis, vel aliis Prælatis hodie vt dispensent cum aliquibus, solent dicere in commissione, quod illis iniungant salutarem pœnitentiam. Sic Concilium Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform.* concedens Episcopis vt dispensent in irregularitatibus, pœnis, &c. vt ibi addit: *Imposita pœnitentia salutari.* Et ratio naturalis videtur dictare, vt scilicet vna pœna, irregularitas, v.g. per aliã pœnam tollatur, vel potius compensetur. Id quod ego probo exemplo claro. Nam quando Summi Pontifices concedunt indulgentias, semper iniungunt aliquod onus, & quasi pœnitentiam implendam per illum, qui debet lucrari indulgentiam: cuius hæc est ratio, quia cum per indulgentiam relaxetur pœna debita in Purgatorio, consentaneum est, vt lucraturo indulgentiam aliqua pœna imponatur subeunda pro illa pœna debita in Purgatorio. Eodẽ modo, quando Prælatus per dispensationem tollit aliquam pœnam irregularitatis, excommunicationis, vel inhabilitatis, vel impedi

impedimentum ortum ex delicto, conueniens est, imo debitum, vt imponat aliquam pœnam subeundam à dispensato pro pœna ablata per dispensationem. Obijcies: Male ergo faciũt Prælati Regulares, imo videntur nulliter dispensare, quando iuxta supradicta ex Nauarro & Zerola, in Capitulis & visitationibus dispensant in communi cum irregularibus, &c. cum ibi nullam imponant particularem pœnitentiam dispensatis, quorum aliqui fortè habebũt irregularitates ortas ex delicto. Respondeo tamen prædictos Prælatos validè tunc dispensare modo prædicto. Primò, quia aliqualẽ imponunt ibi pœnitentiam possibilem, prosternuntur enim Religiosi humo, & dicunt confessionem generalem, cum aliquot Aue Maria impositis, quæ est aliqualis pœnitentia. Secundo, ibi non est possibile aliquam particularem pœnitentiam imponi, quia non debent delicta occulta ibi in publico reuelari. Tertiò, potest dici quod illud est extraordinarium beneficium quod volunt, & possunt facere Summi Pontifices, cõcedentes vt Prælati in actu celebri capitulari dispensent in communi cum irregularibus non imposita pœnitentia: id enim potest facere Papa, & id potest concedere cum sit supra omnem legem Ecclesiasticam.

Ex his potest responderi ad argumenta prioris partis. Nam ad primum ex *cap. licet, de feriis*, respondet Sanch. *cit. disp.* 10. *n.* 11. quod ibi Papa non concedit absolutè vt dispensetur cum illis piscatoribus Aleciarum, sed indulget vt commutetur lex diei festi in illam eleemosynam: diuersa vero sunt inter se dispensatio in lege, & commutatio legis. Nam dispensatio tollit omnem obligationem legis, commutatio vero mutat vinculum legis in aliud vinculum: & Papa ibi non dicit, dispensamus: sed ait, *Indulgemus vt liceat*

diebus

diebus Dominicis, &c. Secundo respondeti potest voluisse Papam in illa particulari dispensatione piscationis onus illud imponi,& propterea in illa seruanda est talis forma pro vt supra diximus. Secus in aliis iuxta Regulas supra traditas. Tertio respondet Sanch.*citat. n.*11. quod illa eleemosyna non imponitur de præcepto,sed de consilio,quæ est verior, & clarior responsio. Ad secundum Panormitani respondet Sanch. *cit. n.*11. cum Sylvest. Tabiena, & aliis, illam eleemosynam pro dispensatione ieiunij non iuberi imponi ex præcepto, sed ex consilio pro maiori securitate. Et hoc clarius intelligetur per responsionem ad exemplum secundum positum in secundo eodem argumento ex Leone X.iubentis, vt cum dispensatur cum fratre infirmo ne dicat officium D. eidem imponatur aliquod onus quotidianum : ad hoc enim, & similia exempla dicendum est,aliquando Summos Pontifices dispensare in aliquibus,& iubere imponi pœnitentias pro maiori securitate, & ad tollendos scrupulos, cũ tamen aliquando in aliquibus dubiis non esset in rigore necessaria dispensatio.Et faciunt in hoc Summi Pontifices quod consulit Suarez *lib.6.de voto,cap.*17. *n.*21. & alij, videlicet, quod quando dubium est an causa ad dispensandum sit vrgens, vel sufficiens,Prælatus dispensans pro maiori securitate vtatur simul commutatione iniungendo aliquod onus leue, & sic simul dispensat,& commutat:& sic fecit Leo X. in illa concessione,& alij Summi Pontifices in similibus, cum tamen, vt diximus, in rigore aliquando non sit necessaria impositio alicuius pœnitẽtiæ pro dispensatione ieiunij,vel recitatione diuini officij,vt cũ morbus,vel imbecillitas,vel importẽtia sunt claræ,& magnæ,& manifestæ. Ad exemplum denique litterarum

sum.

sum pœnitentiarij iubentis imponi pœnitentias dispensatis, iam supra diximus in secunda conclusione id fieri quod dispensatur in pœna orta ex delicto, vel in impedimento orto ex culpa, & proinde tunc seruandam esse formam traditam à summo pœnitentiario.

Ex his colligo quòd confessor Regularis, qui per concessionem Pij V. de licentia sui Prouincialis dispensat cum vxoratis, qui fornicati sunt cum consanguineis alterius coniugis ad petendum debitum, debent imponere illis pœnitentiam particularem, quia dispensant in pœna, vel impedimento orto ex delicto.

Vltimo aduerto quod si Papa in aliquo priuilegio, vel concessione, vel alius Prælatus committant alicui vt dispenset imposita pœnitentia, vel assignata aliqua forma seruanda in dispensatione, & ista pœnitentia, vel forma omittatur, dispensatio erit nulla eo quod non sit seruata forma mandati. Habetur *in cap. cum dilecta, de rescriptis, & cap. venerabili, de offic. delegati*, & tenet Sanchez *lib.* 8. *de Matrimon. disput.*34. *num.*26.

CASVS III.

De dispensatione Bigami.

QVidam clericus ante Ordines susceptos contraxit matrimonium in Brasilia cum duabus virginibus successiuè; quibus mortuis, suscepit Ordines sacros, & Presbyter factus est, non aduertens clarum impedimentum Bigamiæ realis, celebrauit sæpius, imò

iam obtinuit quandam Capellaniam fundatam à quodam suo consanguineo. Post hæc conscius sui impedimenti, & irregularitatis, existens Olyssipone adiuit duos Conuentus Religiosorum, in quibus Patres doctos illorum interrogauit, an per illorum priuilegia possent cum illo dispensare vt secura conscientia posset in officio Sacerdotis ministrare? Et dato quod illi non possent, an cum illo posset Episcopus dispensare? Et ante responsionem casus, vt sciatur grauitas, ac difficultas illius; noto hunc clericum primo esse irregularem propter bigamiam realem vt patet, quæ ferè nunquam dispensatur ad Ordines. Secundò per susceptionem Ordinum indebitam, incurrit suspensionem. Tertiò per eandem Ordinum susceptionem indebitam incurrit excommunicationem, quam semper Episcopus ordinans ante Ordinum collationem fulminat contra illos qui accesserint cum aliquo impedimento, teste Syluestro *ver.* Irregularitas: & sic postea celebrans incurrit nouam irregularitatem. Et potest adhuc colligi ex Syluestro *citato verbo*, §. 27. Quod celebrans suspensus incurrit tertiam irregularitatem. Et vltimo potest adhuc dici quod si illa Capellania quam acceptauit, erat instituta authoritate Episcopi, ita vt transiret in beneficium, iuxta notata per Azorium *tom.*2. *lib.* 3. *cap.*8. *quæst.*3. iste clericus etiam incurrit pœnas acceptantis beneficium Ecclesiasticum cum impedimento irregularitatis.

1 Ego pro remedio istius, vel similis impediti dixi, quod si Episcopus in hoc casu posset dispensare via ordinaria, nos etiam possemus per priuilegia: nam Sixtus IV. concessit Patribus Minimis, vt possent audire confessiones sæcularium, eósque absoluere ab omnibus censuris, & cum illis dispensare in omnibus ir-

regularitatibus reseruatis ordinario: habetur in compendio Mendicantium *verb. Absolutio quoad seculares* 2.§.20. Circa quam concessionem, licet Corduba *Annotat. ad compendium in dicto* §.20. dicat Patres Minimos non vti ista concessione quoad dispensationem vllius irregularitatis cum sæcularibus, & ita se audiuisse à quodam Prouinciali Ordinis Minimorum. Ad quod ego dico, quod ille Prouincialis fortè non erat tam doctus ac fuit Vega Pater Minimus, ac doctissimus; *qui in sum. ver. Absolutio casu 44. § dixe que lo dicho*, refert idem priuilegium Sixti I V. illis concessum ad dispensandum cum sæcularibus in irregularitatibus modo supradicto; & non dicit in sua Religione abstineri à tali dispensatione, quod debuit dicere si ita esset. Præterea Rodriguez *tom. 1. quæst. 61. art. 3.* referens idem priuilegium, ait Iulium secundum declarasse, & extendisse idem priuilegium Sixti I V. datum Minimis vt intelligeretur eos id posse etiam circa sæculares, & Ecclesiasticas personas.

2 Tertio Henriquez *tom. 1. lib 7. de Indulgentiis; cap. 28. §. 5.* ait Patres Minimos Romæ vti illo priuilegio Sixti I V. quoad sæculares, etiam dispensando in irregularitate modo supradicto. Quamuis autem ibi Henriquez dicat solum Prælatum Minimorum sic dispensare: Ego video quod verba priuilegij id non specificant de solis Prælatis, sed concedunt illud Patribus Minimis. Volui hæc semel fusius ponere vt desinat quis mirari, si dicentem me audiat, posse Regulares aliquando dispensare cum clericis, vel sæcularibus in aliqua irregularitate: datur enim tam clarum priuilegium, & affirmatur à tribus Doctoribus suprà citatis grauibus, & recentioribus Et nihilominus his non obstantibus ego non consulo vt Regulares hodie virtute illius

illius priuilegij dispensent cum sæcularibus in aliqua irregularitate, quia video non esse in vsu apud Religiosos, nec de tali vsu vnquam audiui.

Tota ergo dubitatio est an cum isto clerico bigamo posset Episcopus dispensare in omnibus illis impedimentis citatis supra, ita vt posset Ordinum vsum liberum habere? Et quidem in prima irregularitate bigamiæ clarum est non posse Episcopum dispensare ad Ordines, vt patet ex *cap. 2. de bigamis*, & ex *cap. Nuper, eodem tit.* adeo vt multi Doctores dixerint, nec Summum Pontificem posse in illa dispensare, teste Suarez *tom. de Censur. disp. 49. sect. 6. num. 2.* Quod tamen falsum est; potest enim Papa dispensare.

3 Addo quod nec potest Episcopus dispensare in illa per illam amplam concessionem Concilij Trid *sess. 24. cap. 6.* vbi concedit Episcopis quod dispensent in omni irregularitate, excepta illa, quæ nascitur ex homicidio voluntario: Non inquam possunt, quia ibi Concilium solum concedit vt dispensent in irregularitate orta ex delicto: Bigamia verò realis non oritur ex delicto, quia sine peccato quis contrahit cum duabus vxoribus succesiuè. Posset tamen Episcopus dispensare cum isto clerico in aliis censuris, & irregularitatibus istius clerici occultis, & natis ex delicto per dictam concessionem Tridentini.

Vnum solum refugium manet circa istum clericum circa prædictam bigamiam dispensandam, an videlicet, possit Episcopus cum illo in illa dispensare eo modo, quo Episcopus solet dispensare in impedimentis occultis matrimonij dirimentibus, postquam matrimonium iam contractum est. Suppono certissimum apud omnes iuxta Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 40. à num. 2.* posse Episcopum dispensare in impedimento

dirimente matrimonium, quando casus est secretus, & instat magna necessitas periculi animæ, & scandali, &c. quod ibi fusè probat Sanchez cum multis Doctoribus, & praxis id obseruat. Videtur enim casus omnino similis propter rationes ibi adductas à Sanch. quæ huic casui possunt applicari.

4 Quibus visis, & consideratis ego credo quod Episcopus possit dispensare cum isto bigamo quoad bigamiam realem occultam in alio regno, posse item dispẽsare in aliis illius impedimentis occultis eodem modo. Et imprimis habeo eundem Sanchez authorem *in lib. 7. de Matrimon. disp. 86. num. 14.* Vbi ait existente penuria Sacerdotum, & Ministrorum (vt fortè in India Occidentali) posse Episcopum dispensare cum bigamo ad Ordines sacros, & innuit licèt sit casus publicus: dummodo sit magna necessitas, & difficultas adeundi Romam: & remittit se ad illam doctrinam à se traditam *cit. lib. 2. de Matrim. disp. 40.* vbi probat posse dispensare Episcopum in impedimentis secretis matrimonij vrgente magna necessitate. Rationes illius *citata disp. 40.* ad hunc etiam casum conducentes, sunt hæ. Prima, quia quamuis de ordinario non possit Episcopus, & inferior dispensare in lege Papæ, vel Concilij, potest tamẽ id facere in casu magnæ necessitatis, quando ad Papam aditus non patet (id est commodè) & citat pro hoc septem, vel octo Doctores graues: at in casu istius clerici concurrit difficultas magna adeundi Papam, concurrit etiam periculum honoris, si enim viderint illum cessare à celebratione Missæ, sinistrè de illo poterunt iudicare: concurrit etiam paupertas, quia fortè ex Capellania, & Missæ eleemosynis solum sustentatur: quo in casu tantæ necessitatis ex Epiicheia poterit Episcopus dispensare, sicut ex eadẽ

Epiicheia

Epiicheia dispensat in impedimētis occultis matrimonij. Secunda, quia Episcopus in sua diœcesi potest quidquid Papa potest in tota Ecclesia, vt omnes fatentur, nisi ipse Papa sibi reseruet aliqua, vt solet, & potest Hæc autem reseruatio fit pro salute animarum, & salubriori regimine: at si in causa maximæ necessitatis, qualis est ista attentis circumstantiis, teneret talis reseruatio, vergeret in dispendium, & periculum animarum, vt constat: ergo non est credendum quod Papa velit in tali occasione, & necessitate quod Episcopus nequeat dispensare.

5 Tertia, quia fortior est reseruatio cum Papa reseruat sibi absolutionem alicuius criminis grauissimi, vt contenti in Bulla Cœnæ, quæ sit reseruatio bigamiæ, quæ non est peccatum, sed impedimentum Canonicum: & tamen probabilissimum est posse Episcopum absoluere in primo casu, quando ratione impedimenti non est regressus, vel recursus ad Papam, vt tenent Doctores citati ab Henriq. *lib. 6. de pœnitent. cap. 16. n. 1. & cap. 9. n. 7.* Vbi idem asserit de casibus reseruatis in Motibus propriis Sixti V. non obstante rigidissima reseruatione in illis contenta: ergo à simili in casu istius magnæ necessitatis attentis circumstantiis poterit Episcopus dispensare cum isto bigamo, cum in reseruatione dispensationis cum bigamo non sit tam stricta reseruatio, nec tam rigida sicut in Bullis citatis Sixti V. Vltimo facit quod iste bigamus, qui bigamiam contraxit in Brasilia, & hodie est Olyssipone, vel Eboræ, est bigamus Eboræ occultus, nec impedimentum eius deductum est ad forum contentiosum, vt patet: at potest Episcopus dispensare in casu, in quo aliàs non poterat, si esset publicus alibi, si est occultus in hoc loco, vt tenet Sanchez cum multis *lib. 3.*

*Decal.c.*11.*à num.*19.qui tamen *num.*20. aduertit tunc dici occultum, v.g. Vlyſſipone, quando non eſt ſpes, fore vt ad Vlyſſiponem res deferatur, v.g. ex Braſilia. Ergo cum iſte caſus alibi publicus, hîc tamen ſit occultus, nec ſit ſpes fore vt deferatur ex Braſilia Vlyſſiponem, poterit in illo diſpenſare. Et adhuc probatur, quia tota difficultas diſpenſandi cum bigamo reali eſt, quia textus, & Doctores dicunt non poſſe Epiſcopum cum eo diſpenſare ad ordines ſuſcipiendos etiam Minores: at cum iſto bigamo hodie iam non diſpenſatur ad ordines ſacros ſuſcipiendos (iam enim illos habet, quamuis illicitè; ſed diſpenſatur cum illo in executione Ordinum, quod eſt multò minùs, quàm diſpenſare ad illos recipiendos: ergo poterit Epiſcopus cum illo diſpenſare in executione Ordinum.

6 Obiicis. Si per te hoc poteſt Epiſcopus: ergo etiam Prælatus Religionis cuiuſque per ſua priuilegia poterit diſpenſare cum iſto bigamo, quia ſupra diximus, quod ſi poteſt Epiſcopus, poteſt & Prælatus Regularis per priuilegium Sixti IV. ſupra citatum. Reſpondeo negando conſequentiam: nam vt optimè notat Sanchez *citata diſp.* 40. *num.* 9. licèt Epiſcopi poſſint per Epiicheiam diſpenſare in illis impedimentis occultis matrimonij, & aliàs Regulares habeant priuilegium diſpenſandi in caſibus Epiſcopalibus; hi caſus occulti in quibus diſpenſant Epiſcopi pro magna neceſſitate, non ſunt caſus Epiſcopales, ſed ſunt caſus Papales, & ideo non poſſunt Religioſi per ſua priuilegia diſpenſare in illis etiam occultis, etiam ſi occurrat magna neceſſitas. Vide Hentiq. *lib.6.de Pœnit.cap.*14.*num.*7. *littera P.* & Rodriguez *in Bulla citata*, §.9. *n.*118.

7 Et adhuc circa id quod paulò ſuprà dixi iuuare ad hanc diſpenſationem facilitandam, eſſe caſum occultum

tum in hoc loco, facit, quod Patribus D. Hieron. in suo *compendio vers.* Ordines sacri §. 6. conceditur quod bigamus de longinquis partibus, & ignotis, seu ignotus in hoc loco possit dispensari à Prælato, & ad sacros Ordines promoueri. Si ergo conceditur Prælato Religionis erga subditum, idque non existente necessitate, & ad promotionem Ordinum, valdè credibile est illud concedi per Epiicheiam Episcopo circa suum clericum existente tam vrgenti necessitate, & non ad recipiendos Ordines, sed ad ministrandum in iam susceptis.

8 Quæris, an iste bigamus potuerit excusari, vel releuari ab istis irregularitatibus, & censuris incurrendis ob bonam fidem, vel ignorantiam quam semper habuit in hoc toto tempore? Responsio pendet ex illis quæ tradidi *tom. 2. Dubiorum Regular. ver.* Ignorantia *n. 18. & seqq.* Ex quo loco breuiter dico, quod irregularitas bigamiæ realis, & cætera quæ incurruntur absque peccato, propter solam indecentiam operantis, istæ incurruntur quantumcumque operans ignoret illas, & habeat bonam fidem. Aliæ verò irregularitates, & censuræ quæ nascuntur ex delicto, vt ex celebratione in excommunicatione, & similes, non contrahuntur si operans habet ignorantiam iuris positiui illas imponentis: facit inter alia *cap. 2. de constit. in 6. cum glossa ibid.* Vide inter alios Sanchez *lib. 9. de Matrim. tota disp. 32.* & Henriq. *lib. de excomm. cap. 21. num. 1. & seqq.* & hæc bona fides, vel ignorantia istius bigami etiam attendenda est pro faciliori dispensatione.

9 Et adhuc pro consolatione istius clerici, vel similium irregularium carentium remedio de præsenti, moneo vt videas Rodriguez *in Sum. tom. 1. ver.* Irregularitas ex homicidio casuali, *concl. 1.* vbi ait, quod si irregularis, vel excommunicatus non habet de præsenti

remedium absolutionis, & timet notabilem infamiam si non celebret, tunc præmissa contritione, & confessione poterit celebrare absque peccato durante illo periculo, & quod ob talem celebrationem non incurret aliquam censuram durante illo periculo, dummodo faciat totum quod poterit pro dispensatione obtinenda. Et citat Castr. Nauarr. & Gutierres, & tenet idem Zerola 2. *part. praxis*, *ver.* Irregularitas *quæst.* 9.

CASVS IV.

De legato relicto Franciscano Conuentui cum clausula prohibita.

QVidam defunctus in suo testamento sic disposuit. *Tales redditus annuales, quos habeo tritici, & pecuniæ, possideat in sua vita solum Petrus clericus meus consanguineus, & per mortem ipsius hos redditus annuales relinquo Conuentui sancti Francisci huius oppidi Oliuentæ, vt ipse Conuentus eos acquirat, vt hæres illorum, & tradantur Syndico Conuentus, vt semper expendantur in necessitatibus infirmorum.* Sic ibi in testamento. Iste clericus sic institutus vsufructuarius in vita, vult facere pactum, & contractum cum Conuentu prædicto, & Syndico, vt sibi relinquantur liberi prædicti redditus annuales, ita vt de illis possit testari liberè in morte: & per modum emptionis, & venditionis dat statim Conuentui quingentos aureos, dummodo Conuentus, & Syndicus renuntient quidquid iuris habere possit ad illos redditus annuales per mortem ipsius clerici nunc viuentis. Quæritur an possit prædictus Conuentus Minorum,

&

& ipsius Syndicus facere hoc pactum, & venditionem.

Et videtur quod possit. Nam licet videantur fratres Minores incapaces talis legati, vel potius hæreditatis tali modo relictæ propter *c. exiit de verb. signif. in 6. §.* ad hæc: nihilominus postea Clemens VII. in Bullario Rodriguez *fol.* 761. concessit Minoritis: *Vt Minister Prouincialis, vel Guardianus cũ Discretis sui Conuẽtus, quando sibi relicta fuerint legata, quorũ non sunt capaces per suã Regulã, possint per suos Syndicos pacisci cũ executoribus testamẽtorũ, vel haeredibus circa prædicta legata, vel institutiones sicut illis visum fuerit, vt soluãt semel tantũ in pecunia, vel aliis rebus vna tantũ vice ipsis fratribus pro illorũ necessitatibus subleuandis, & quod haeredes authoritate Apostolica in perpetuũ liberentur ad aliquid vltra soluendum*, &c. Quæ cõcessio satis clara est, & satis fauet ad intentum quod possit Syndicus facere prædictum contractum, & venditionem. Et Rodriguez *tom. 2. qq. q. 126. art. 6.* citans hanc concessionem innuit posse hodie Minoritas illi stare, & illa vti.

Nihilominus ego respondi prædictum Conuentũ, & Syndicum non posse acceptare tale pactũ, vel venditionem, nec per mortem huius clerici posse acceptare, vel possidere prædictos redditus annuales tritici, & pecuniæ. Moueor quia prædictum legatum sub tali forma repugnat nostræ Regulæ Minorum. Constat ex declaratione Papæ Nicolai *in cap. Exiit citato*, & §. Ad hæc, vbi explicans quæ legata per testamentum possint acceptare Minores stante puritate suæ Regulæ, sic ait: *Declaramus & ordinamus, quod si testator modum secundum quem fratribus (eorum conditione inspecta) recipere non liceret exprimat in legando, vt si legaret vineã, vel agrũ ad colendũ, vel similia verba in similibus proferret à tali legato, & eius receptione per omnẽ modum*

fratres abſtineant. Hoc ipſum clarius expreſſit Clem. V. *in Clement. Exiui de Paradiſo, de verb. ſignif. verſiculo* Cúmque annui redditus: vbi expreſsè aſſerit redditus annuales repug: are mendicitati, & paupertati Minorum Fratrum. At conſtat hoc legatum, de quo agimus, eſſe redditus annuales, & ſuo modo eſſe agrum ad colendum, vel quid ſimile: ergo hoc legatum clarè repugnat paupertati, & puritati Regulæ Minorum.

4 Suppoſito vero quod clarè repugnat Regulæ noſtræ, dico non poſſe nos circa illud vti conceſſione prædicta Clementis VII. paciſcendo cum hæredibus, & vendendo illud pro vna vice, ſicut citatus Clem. VII. dixit in ſua conceſſione: probo euidenter, quia citata conceſſio Clem. VII. eſt diſpenſatio circa puritatem, & paupertatem Regulæ, cum diſpenſet in legato repugnante Regulæ: iuxta Clementinam *Exiui*, citatam. At capitulum generale Minorum poſtea ſæpè ſæpius renuntiauit clarè omnibus diſpenſationibus Papalibus, per quas Regulæ puritas, & paupertas minui poteſt. Et fecit proteſtationem quod Ordo noſter volebat ſeruare Regulã purè iuxta declarationes Nicolai *cit. cap. Exiit.* & Clement. V. *citat. Clement. Exiui*. reiectis diſpenſationibus quibuſcumque. Conſtat hoc præcipuè ex capitulo generali Toletano celebrato anno 1606. *tit. de obſeruntia Regulæ.* Et nouiſſimè id ipſum decreuit, & ſtatuit capitulum generale Segouienſe ad finem *tit. de diſpenſatione Regulæ*, &c. Quod autem tota Religio in capitulo generali cum ipſo Generali præſidente poſſit renuntiare cuicumque priuilegio Papali, conceſſit Leo X. *in compendio Mendic. ver.* Generalis §. 24. vbi ſtatuit, & etiam aduertit ibi Collector, quod ſi Generalis cum Capitulo decernant non eſſe vtendum aliqua conceſſione Papali, ſcripta,

vel

vel concessa per viuæ vocis oraculum, non possunt postea fratres, vel Moniales nostri Ordinis vti prædicta concessione, vel priuilegio Pontificio. Ex quibus omnibus satis constat non posse dictum Conuentum Minorum, vel Syndicum illius de præsenti facere tale pactum, & venditionem annuorum reddituum: nec per mortem Clerici possidentis illos acceptare; sed relinquendos esse hæredibus ad quos pertineant.

CASVS V.

De quodam Nouitio expulso, sed reclamante.

1 IN quodam Conuentu fuit quidam Nouitius, qui gestauit habitum per menses vndecim: Mense vndecimo expleto audiuit Prælatus tertio suffragia Conuentus, quæ erant vltima suffragia secundum statuta Religionis, & maior pars Conuentus dedit illi suffragia ad professionem, sicut fecerat 4. & 8. mensibus: nec secundum statuta Religionis amplius suffragia suscipiebantur, sed cum solis suffragiis vndecimi mensis admittitur ad professionem expleto mense duodecimo, cuius finis expectatur interim ante completum mensem duodecimum, Nouitius molestatus pœnitentia sibi iniuncta à Magistro Nouitiorum, quam non acceptauit quasi iratus, & impatiès petiuit vestes suas sæculares, dicens se velle exire: iussit Prælatus dare, & exiuit. Eodem tempore constitit in Conuentu inter multos fratres, maximè ex Magistro Nouitiorum, & aliis prædictum Nouitium esse malæ indolis, duræ ceruicis, & in aliquibus occasionibus ostendisse mores

mores Religioni repugnantes : mo & ante habitus ſuſceptionem non bonam famam habuiſſe in aliquibus moribus, de quibus Religio antea conſcia non fuit, ſi enim ſciret, habitum non reciperet. Nouitius ſic poſitus extra Conuentum cum habitu ſæculari, pœnitens facti, poſt ſex, vel octo dies coram Prælato habitum repetiit, allegans ſe calore iracundiæ inconſideratè veſtes petiiſſe, habereque reſtitutionem, nec poſſe repelli, eo quod iam Conuentus pro illo ſuffragatus fuerit vltimis ſuffragiis. Prælatus negauit illi ſecundam receptionem, ſolum allegans ipſum Nouitium ſponte exiuiſſe. Nouitius item mouit Prælato ſuperiori, vt iterum ad habitum, & profeſſionem reciperetur.

2 Quæritur an teneatur Religio illum iterum ad habitum, & profeſſionem admittere, & ad id cogi poſſit ex iuſtitia ? Et pro parte affirmatiua, quod Conuentus ad id obligetur, videtur probari, quia iam Conuentus vltima ſuffragia pro eo tulit, per quæ ſibi placuit illum ad profeſſionem recipere : & tunc per Regulam iuris vigeſimam primam, *Quod ſemel placuit amplius diſplicere non poteſt.* Cum ergo iam placuerit Conuentui dare illi profeſſionem ob ſuffragia data ad profitendum, iam Conuentus non poteſt pœnitere, nec reſilire ab hoc dato conſenſu. Secundò, quia non obſtat, quod ipſe ſponte exierit petens veſtes, id enim fecit inconſideratè, & calore iracundiæ: quod verò fit calore iracundiæ non valet niſi poſtea ratificetur, vt tradit optimè Nauarrus *tom.* 1. ſuorum operum, ſuper *cap. Si quis iratus, 2. quæſt. 3. num.* 3. pro quo citat Bartolum dicentem alienationem per iracundiam factam non valere, vltra alia quæ ibi dicit : at iſte Nouitius petiit veſtes, & exiuit afflictione pœnitentiæ iniunctæ ſibi à Magiſtro,

Magistro, vt dicitur. Tertiò, quia renuntiatio facta non omnino sponte, non valet. *cap. Super hoc, de renuntiatio.* vbi Papa dicit non esse facilè credendum quemdam sponte renuntiasse cuidam beneficio multis laboribus, & expensis acquisito, ex quo sustentari debet. At iste Nouitius per multos labores, & pœnitentias vnius anni Nouitiatus acquisierat ius ad statum Monachalem, ex quo poterat sustentari, ac proinde credendum non est illum sponte renuntiasse iuri quod iam habebat per vltima suffragia Conuentus, vt admitteretur ad professionem, ac proinde sua renuntiatio, & exitus non videntur illi nocere.

3 Pro solutione aduerto quod in ista Religione, in qua hoc contigit, solent Prælati, non obstante quod Nouitius iam habeat vltima suffragia Conuentus, in ipsa adhuc hora professionis percontari à fratribus capitulariter congregatis an sciant aliquem defectum, vel impedimentum Nouitij propter quod non debeat ad professionem admitti; inuentóque defectu ad illam non recipitur; & est hoc fundatum in iure, vt statim dicam. Adhuc enim per suffragia Conuentus data, Nouitius non incorporatur Religioni, vt patet, sed solum habet ius vt recipiatur, si aliunde non constet de impedimento.

4 Secundo aduerto quod si post data vltima suffragia pro Nouitio ad professionem, non appareat aliquod impedimentum secretum, velitque Nouitius profiteri, non potest iam Conuentus illum voluntariè expellere. Præcedit enim contractus virtualis inter Conuentum & Nouitium, vt si in anno Nouitiatus Conuentus in illo experiatur mores conuenientes ad vitam Monasticam, illum Conuentus recipiet ad professionem: iam verò à contractu, & conditionibus

contractus

contractus neutra pars poteſt reſilire ad libitum, vt tradunt Doctores in materia contractuum Et hoc magis confirmatur ex eo quod dixi in 1. *tom. dub. regul. verb.* Nouitius *num.* 54. vbi cum Corduba & Miranda probaui peccare M. Religioſum negantem ſuffragium Nouitio abſque vlla cauſa, ob quaſi contractum iam ibi interuenientem. Quod à fortiori dicendum eſt de Conuentu non recipiente Nouitium ad profeſſionem, pro quo iam totus Conuentus ſuffragatus eſt, nec denuo contra Nouitium culpa aliqua cognoſcitur, tenetur enim Conuentus quaſi ex iuſtitia, ob clarum pactum, & contractum præcedentem.

5 Hoc poſito ad intentum, reſpondeo prædictum Nouitium non poſſe licitè mouere litem Prælato vt iterum recipiatur ad habitum, & profeſſionem, neque Prælatum, vel Conuentum ad id teneri, vel poſſe obligari. Prima & principalis ratio huius rei eſt, quoniam Conuentus poſt data ſuffragia pro Nouitio ad profeſſionem ſciuit culpas illius, tum in nouitiatu, tum in ſæculo commiſſas, quas ſi ſciret, pro Nouitio non daret ſuffragium: & licet Nouitius per ſuffragia ſibi data habuerit ius ad rem, vt reciperetur ad profeſſionem; hoc tamen ius non obſtat, quin cognitis poſtea culpis ante profeſſionem, poſſit ab Ordine expelli. Eſt clariſſimum exemplum in cap. *Cùm nobis olim, de elect.* vbi Papa decernit quod poſtquam aliquis concorditer fuerit electus ad aliquod officium, & habeat iam ius ad illud propter ſuffragia electorum, nihilominus præſes electionis ex officio, etiam nemine opponente, inquirat de moribus, & vita electi, & ſi illum defectuoſum inueniat, non confirmet, ſed repellat. Et ad hoc intentum citat ibi gloſſa in verbo *Ex officio, cap. Venerabilem, de elect.* & *cap. priuſquam* 28. *diſt.* Quod clariſſimè

tissimè facit pro nostro casu : quamuis enim iste Nouitius per vltima suffragia Conuentus sibi data habuerit ius ad professionem, adhuc Prælatus ex officio ante professionem potest requirere de illius defectibus, & illis inuentis illum repellere, & eiicere ab Ordine, vt diximus supra, solere fieri in ista Religione, in qua Prælatus in hora professionis, absente Nouitio, quærit de vita, & moribus illius ore tenus, ad prædictum intentum, & iuxta textus proximè adductos. Secundò probatur ex iis, quæ tradit *gloss.* 2. ad dictam Regulam, quod semel placuit, in 6. vbi dicit posse aliquem reuocare, ac sibi displicere, quando post consensum sciuit de nouo aliquid, quod si antea sciret, non consentiret antea, & habetur expresè *cap. Vt circa, de elect. in 6. & cap.* Nulli *de exceptionibus*, & multis aliis textibus, ibi citatis à glossa: cum ergo Conuentus post data vltima suffragia pro isto Nouitio sciuerit defectus notabiles illius, poterit pœnitere de suffragiis pro illo datis, illáque reuocare, & illum expellere. Et hoc maximè conformat cum Bullis Sixti V. per quas iubetur vt fiant informationes circa Nouitium, ne recipiantur ad ordinem illi, qui malis moribus sunt imbuti. Tertio probatur, quia ignorans, vel errans non consentit, vt habetur 38. *dist. cap.* Quamuis, *& cap. Si de beneficio, de præbendis*, & colligitur ex Clementina prima *de procuratoribus*, vbi glossa in *verbo* Scienter. At Conuentus quando dedit suffragia pro isto Nouitio, ignorabat illius defectus in Nouitiatu, & in sæculo, ergo etiam si dederit suffragia non consensit, quia nesciuit, & errauit. Quod adeo verum est, vt dixerit Nauarrus *lib.* 3. *consil. tit. de Regul. num.* 11. quod si aliqua Religio habet statutum quod non recipiantur ad professionem Christiani noui, & aliquis hac labe maculatus

latus in professione rogatus de illa, eam negaret, & post professionem constaret illum tali macula laborare, ait Nauarrus. Professionem istius fore nullam, non ex vi talis statuti, sed posse eiici ab Ordine, quia defuit consensus in professione ex parte ipsius Ordinis, qui non intendit seipsum obligare taliter maculato: est enim professio contractus mutuus, in quo si deficiat consensus vnius partis, est nullus. Si autem hoc dixit Nauarrus de iam admisso ad professionem, quæ est maius vinculum, quando illius defectus fuit ignoratus; à fortiori idem affirmaret de isto nostro ante professionem, cuius defectus sunt ignorati.

6 Quæris: an ad impediendam professionem istius sufficiat vnus tantũ testis grauis, & omni exceptione maior, qui detegit in capitulo defectus notabiles istius Nouitij, qualis erit solus Magister Nouitiorum, vel quis similis? Et videtur quod sufficiat: nam etiam ad impediendum matrimonium antequam fiat, sufficit vnus testis grauis cum circumstantiis, quas refert Sanchez fusè *lib. 2. de matrim. disp. 71.* vbi multos citat. Ita vt aliqui addant teneri quemlibet denuntiare tale impedimentum, etiam si sit occultum, quia intenditur vitatio peccati. Et in hoc nostro casu intenditur bonum commune Religionis, & vitatio mali publici; magis verò ponderat bonum commune Religionis, quam istius Nouitij, ad hoc vt debeat illius defectus occultus manifestari, ita tamen vt nõ sciatur per confessionem. Illud vero quod dicitur non sufficere vnum testem ad impediendum, quando agitur de præiudicio tertij, quale præiudicium hîc videtur fieri Nouitio; illud inquam intelligendum videtur quando agitur de præiudicio tertij inferendo iniustè, secus si iustè illi inferatur: & ipsi sibi imputet quod habens tale impedimentum

mentum intentauerit Monachatum. Nihilominus ego in hoc casu maturius procedendum duxerim, & dicerem non sufficere vnum tantum testem diuulgantem defectum notabilem Nouitij, ad impediendam illius professionem, nisi cum tali teste concurrat fama, & talia indicia, quæ faciant probationem: est enim res grauissima expellere Nouitium ab Ordine postquam Conuentus habet suffragia: & ideo maiori probatione indiget quam vnius testis quantumcumque grauissimi. In hoc autem scrupulum non habeo, debere, ac teneri quemlibet Religiosum prodere defectum Nouitij etiam occultum, dummodo non sciuerit per confessionem sacramentalem; idque ob rationem proximè dictam, quia bonum commune Ordinis præponderat bono particulari Nouitij. Et quia si secretum non obligat cum præiudicio tertij, minus obligabit cum præiudicio totius Religionis. Vide quæ tradit in simili materia, Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disput.* 13. *num.* 2. cum multis ibi dictis, & citatis.

Ad primum argumentum in oppositum adductum, patet solutio ex dictis paulo supra cum glossa eiusdem Regulæ; videlicet quod potest quis sibi displicere, & potest reuocare id quod sibi placuerat, quando post consensum sciuit de nouo aliquid, quod si ante sciret, non daret consensum. Addit ibi glossa etiam posse aliquem dissentire, & resilire à priori consensu, propter causam denuo superuenientē: at in hoc casu post data suffragia, & consensum Conuentus, superuenit noua causa, & in Ordine detestabilis, quod scilicet iste Nouitius noluerit acceptare disciplinam iniunctam à Magistro, quod etiam à professis fieri, valdè odiosum est, ac seuerè punitur. Superuenit etiam quod ipse spontè à Conuentu exiuit, quod ambo produnt animum du-

rum,& inobedientem, & ad Religionem nullo modo accommodatum. Ad ſecundum, dico quod licet id fecerit calore iracundiæ, & taliter facta non valeant vt plurimum,non cogit quod iterum debeat recipi; nam obſtat aliud impedimentum vehemens, id eſt cognitio defectuum, quos habet Nouitius, propter quos Conuentus non debet,imo non poteſt illum recipere. Adde quod ille textus *cap.* ſi quis iratus, non omnino probat eſſe omnino nullum quod fit calore iracundiæ: aliàs dicendum eſſet, quod occidens hominem calore iracundiæ nullam pœnam mereretur. Ad tertium dato quod demus renuntiationem habitus factam ab iſto Nouitio, non fuerit facta ſponte, non ſequitur quod Religio teneatur illum recipere, obſtat enim ex alio capite impedimentum ne recipiat, videlicet cognitio defectuum quos habet, quibus ſtantibus Religio non conſenſit verè, & poterat illum expellere etiam nolentem. Adde quod iudicia ſunt clara quod ſponte exierit,& renuntiauerit; nam reſtitit Magiſtro Nouitiorum, petiit veſtes ſæculares, quæ videntur ſpontanea, & non coacta. In citato vero textu huius argumenti Papa non dicit abſolutè renuntiantem tali beneficio renuntiare coactè: ſed colligi inde aliqualiter, quod non renuntiauerit ſponte, & ideo mandat ibi Papa inquiri ſi vis aliqua interuenerit. In hoc autem caſu indicia ſunt quod non vi, ſed ſponte exierit ob durum animum, non bonis moribus ornatum, & liberioris vitæ intuitu.

CASVS

CASVS VI.

Homicidium factum à Religioso ante Ordinis ingressum.

1 QVidam adolescens annorum viginti, existens in agro prope vrbem, coram tribus testibus occidit quemdam hominem seruum captiuum, sed valde robustum: illum vero occidit quia seruus verba iniuriosa prior protulerat contra istum adolescentem, & tres socios: iste vero adolescens, vt fatetur, erat præ aliis natura impatiens, & prætendit in hoc sumere vindictam de verbis contra se prolatis, & gladio occidit. Postmodum iste ingressus est Religionem quandam approbatam, & in illa professus est, & manifestato delicto coram Prælato dispensauit Prælatus cum illo in irregularitate, & recepit Ordines factos, factúsque Sacerdos celebrat: & causa qua motus est Prælatus ad dispensandũ, fuit quod casus esset occultus: ille enim recepit habitum in loco remoto à loco delicti, intra tamen idem regnum, & mutauit nomen in professione, vt casus esset occultior. Contigit iste casus ante Bullas Sixti V. contra criminosos non recipiendos ad Ordinẽ, sed Religiosus iste hodie viuit. Antequam Prælatus Ordinis dispensaret, illius consanguinei coram sum. Pontifice Romæ procurarunt dispensationem irregularitatis, quam tamen non obtinuerunt: respõdit enim Papa vt se Ordinis Prælatis manifestaret: & hoc non obstante, postea Prælati dispensarunt, & ipse celebrabat. Nouit hoc quidam Episcopus, qui erat conscius istius casus, & monuit Prouincialem

istius Religiosi, dicens se mirari quomodo ille celebraret Missam, cum esset tam publicus irregularis, eo quod in illa ciuitate iuxta quam fecit homicidium, erat publicum eius delictum diuulgatum à tribus sociis ipsius homicidæ, propter hæc denuo iste Religiosus magnis scrupulis agitatus est, aliis dicentibus illum non esse bene dispensatum, aliis è contra pro illo affirmantibus.

2 Quæritur primò, an istud homicidium fuerit voluntarium? Secundò, an fuerit notorium? Tertiò, an potuerint Prælati Religionis cum illo dispensare virtute suorum priuilegiorum, maximè quando Papa eidem negauerit antea dispensationem?

3 Circa primum dubium nimis inclinor vt sentiam hoc homicidium fuisse voluntarium, saltem in foro externo. Nam iste percussit ense, instrumento apto ad mortem; percussit animo vindictæ, erat feruidus, & impatiens, vt ille fatetur: fuit causa prima & proxima mortis: non constat de illo quod proposuerit in animo non occidere, sed solum percutere: imo ex modo percutiendi constat quod voluit occidere, gladio enim pectus, vel ventrem percussit, quod Lusitani vocant (*dar estocadas*) quod genus percussionis supponit voluntatem occidendi, & ille fatetur quod percusserit sic, *con estocada*: ergo virtualiter saltem voluit clarè occidere, & sic non casu, sed voluntariè occidit. Tradit hæc ferè in terminis Suarez *tom. de Censuris, disput. 64. sect. 1. num 4.* & clarius *num. 5.* & Nauarr. *in Sum. cap. 27. num. 240.*

4 Ad secundum dico, hoc homicidium fuisse publicum, sed non fuisse notorium. Colligitur ex Nauarro *in Summ. cap. 25. num. 73.* vbi ait diuersum quid esse peccatum publicum, seu famosum, à delicto notorio: nam

nam famosum, vel publicum esse potest id quod vnus, vel duo, vel tres tantum viderunt in secreto, & postea diuulgarunt, & sic per famam fuit factum publicum, Notorium autem est quod fit loco publico, & videntibus multis; vel illud quod scit euidenter maior pars populi vicinorum, aut collegij. Nota verbum, scire, & euidenter. De hoc autem homicidio non sciuerunt euidenter, nisi tres socij delinquentis: tota vero ciuitas, vel pars illius non sciuit euidenter, sed ex relatione horum trium. Vnde infert Nauarrus citato loco, quod pauciorum scientia, quam sex non facit rem notoriam, quando illi non sunt maior pars illius congregationis, cuius respectu illud dicitur notorium. Idem in terminis tenet Zerola sequens in hoc Nauarr. *in 1. p. praxis, ver.* Excommunicationis causa formalis, *dub. 3. & in 2. part. ver.* Excomm. *dub. 9.* vbi respondet non esse euitandum tanquam notorium percussorem Clerici, illum Religiosum, qui in Refectorio, vel Sacristia manus violentas iniecit in aliũ Religiosum, si ibi aderant pauciores testes quàm sex. Quod est valde notandum, & seruit ad sedandos quotidianos scrupulos, & fundatur in proximè dicta Nauarri doctrina. Imo maius est quod tradit Farinacius *tom de Inquisitione, tota q. 21. à n. 11. & seqq. maximè num. 47. fol. 185.* vbi dicit ad notorium requiri decem testes, & non sufficere pauciores. Vide etiam ibidem *num. 49. & 55.* Adde gloss. *in cap.* Manifesta, 2. *quæst. 1.* vbi glossa summaria dicit, quod illud, quod sciunt quinque, dicitur occultum. Cum ergo de hoc homicidio tres tantum sciuerint euidenter, & reliqua pars vrbis quam statim intrarunt sciuerit, vel potius crediderit ex fama solum: concluditur manifestè, non fuisse hoc delictum notorium in vrbe, licet fuerit publicum, seu publicatum, seu famo-

sum; quod facit multum pro statim dicendis circa Prælatum dispensaturum in Religione.

Et antequam respondeam ad tertium principale quæsitum, suppono professionem istius homicidæ fuisse validam, nondum enim, vt dixi, publicata erat Bulla Sixti V. prohibens homicidas, & similes criminosos recipi ad habitum monasticum, sed sicut ex relatione cognoui, contigit homicidium vno, vel duobus annis ante prædictæ Bullæ publicationem, ac proinde professio fuit valida, quia de iure communi homicida non prohibetur fieri Religiosus, vt ego trado 1. *tom. Dubiorum Regul. ver.* Nouitij qualitates iuxta Bullam Sixti V. *num.* 12. & ibidem probo cum textu, & duobus exemplis.

Hoc posito ad principale quæsitum tertium istius dubij, vel casus, dico, potuisse Prælatos istius Religionis dispensare validè cum isto sic professo homicida ad omnes Ordines sacros suscipiendos, & ad ministrādum in omnibus illis. Constat hoc manifestè ex priuilegio Martini V. concesso Benedictinis (quo etiam fruitur Ordo nostri homicidæ) *in Compendio ver.* Dispensatio §. 24. per quod prædictis PP. conceſſit, *Vt prior possit absoluere subditos in omni censura Ecclesiastica etiã Papæ reseruata, & cũ eis in omni irregularitate dispensare, in morte videlicet, membrorum tuncatione, &c. dum tamen aliquid horum trium notorium non sit.* Itaque solum notorium homicidium excipit: at iam probabimus hoc homicidium non fuisse notorium: ergo potuit Prælatus Ordinis cum illo dispensare. Tenet hoc ipsum Corduba *addit. ad Compend. super* §. 24. Neque obstat quod ista irregularitas contracta fuerit ab isto homicida ante ingressum Religionis, quando non erat subditus Prælati Regularis: non obstat, quia

Prælati

Prælati Regulares possunt etiam absoluere subditos à censuris, & dispensare in irregularitatibus cõtractis ante ingressum Religionis; idque postquam subditi professi sunt, vt concessit Gregorius XIV. Ordini Ministrorum infirmorum Romæ, teste Capuccino *Addit. ad compendium*, 1. *p. fol.* 27. & patet à simili: nam Prælati dispensant cum subditis professis circa vota emissa in seculo, & dispensant cum illis in irregularitate orta eo quod sint illegitimi, vt possint esse Prælati, quam irregularitatem contraxerunt in seculo.

7 Neque obstat quod dicitur in informatione aditum fuisse Papam pro dispensatione, eámque non concessisse, sed dixisse, vt se Ordini manifestaret, & quod haberet dispensationem gratis: sic ego vidi in informatione scripta per ipsum Religiosum. Non inquam obstat, quia etiam si Papa consultus pro dispensatione alicuius casus illam deneget, & patiens repulsam adeat Episcopum, vel Prælatum Regularem potentes aliàs ex officio, vel priuilegio dispensare, poterit Episcopus, vel talis Prælatus dispensare, non obstante negatione Summi Põtificis. Ita in terminis tenet Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. disp.* 14 *n.* 5. *& seqq.* hoc tamen limitat solum, quando Papa consultus, & causam cognoscens, diceret non adesse causam iustam dispensandi; tunc enim ait Episcopum, vel Prælatum Regularem non posse. Secus si noua causa superueniat post negationem Papæ. Et ratio clara est adducta à Sanch. Nam hoc quod est Papam iam esse consultum, eúmque denegasse dispensationem, vel non solere dispensare, non tollit iurisdictionem, facultates, vel priuilegia Prælatorum inferiorum potentium aliàs ob præmissa dispensare: nec Papa per illam negationem dispensationis prohibet quin dispensent inferiores, nec

illorum facultates, aut priuilegia reuocat, vt patet: ergo poterunt vti sua iurisdictione, vel priuilegio, ac proinde dispensare. Addo quod Papa in responsione data in isto casu, quod iste Religiosus homicida se manifestaret Prælato Ordinis, vt haberet dispensationem gratis, videtur clare supposuisse quod Prælatus Ordinis posset cum illo dispensare per sua priuilegia, quæ optimè nouerat Summus Pontifex, tanquam Princeps habens omnia iura in pectore: & sic dispensatio data per Prælatum daretur gratis, & proinde non esset necessaria dispensatio Sedis Apostolicæ obtinenda cum expensis.

CASVS VII.

De alio homicida ante ingressum Religionis.

QVidam adolescens paruæ ætatis 16. annorum, iniuriatus à quodam viro, animo se vendicandi proposuit alapam impingere viro iniuriatori, & ita fecit de facto in publica platea. Quia tamen puer videbat virum esse superiorem viribus secum tulit pugionem paruum (*vulgo adaga*) solum animo vt metum viro incuteret, ne se puerum occideret. Impacta alapa, vir puerum aggreditur iratus: puer pugionem è vagina eduxit solum animo terrendi, ac repellendi: & præmetu ignorat puer si ipse actiuè virum percusserit, an vir incautus pugione se ipsum percusserit: sed tamen ex percussione vir mortuus est. In hoc tamen certus est iuuenis quod non intendit occidere, sed terrere: si enim mortem cogitaret, à vindicta abstineret omni-

no

no. Iſte iuuenis habebat antea votum Religionis: & ob tale votum ingreſſus eſt poſtea Religionem approbatam in Conuentu remoto à loco delicti, vbi delictum erat omnino occultum, & expleto Nouitiatu profeſſus eſt poſt publicatam Bullam Sixti V. prohibentem homicidas, & criminoſos recipi ad Religionem.

Quæſitum fuit, primò, an poſſet eſſe Religioſus, & vtrum illius profeſſio valida fuerit?

Secundò, an iſtud homicidium fuerit caſuale, vel voluntarium?

Tertiò, ſi proteſtatio facta in profeſſione à Prælatis ne habeant culpas, vel impedimenta, intelligitur etiam de impedimento homicidij?

2 Ad primum quæſitum dico, quod ſi profeſſio facta fuit durante Bulla Sixti V. contra homicidas ab anno 1588. vſque ad annum 1602. profeſſio fuit nulla, tum quod homicida erat, & ſic inhabilis ad profitendum per dictam Bullam: tum etiam quia per tale homicidium viri contraxit debita ſoluenda hæredibus defuncti occiſi iuxta qualitatem perſonæ, vt Doctores tradunt in materia homicidij: iam vero habens debita ſoluenda non poterat eſſe Religioſus per eandem Bullam: & ſic habebat duo impedimenta annullantia profeſſionem, homicidium ſcilicet, ac debita. Quod vero debita reſultantia ex homicidio impedirent etiam profeſſionem, colligo ex Rodriguez, qui *3. tom. qq. q. 19. art. 9.* & Miranda *tom. 1. Man. fol. 162. in fin.* dicunt hominem, qui promiſit virgini matrimonium, & ſub hac ſpe illam defloruit, non poſſe profiteri poſtea in Religione propter debita quibus aſtrictus eſt illi fœminæ, vt ſaltem illi dotem aſſignet, &c. Quod eadem ratione dici debet de illo, qui ratione

homicidij contrahit debita restituenda hæredibus occisi, de quo vide Nauar. *in Summ. c. 15. num. 19. & seqq.* Si vero ista professio facta fuit post annum 1602. (vt puto fuisse exconiecturis) in quo anno Clemens VIII. reduxit Bullas Sixti V. ad terminos iuris communis, talis professio valida fuit, quia homicidæ per ius commune non prohibentur esse Religiosi, vt patet ex *cap.* Admonere 33. *quæst.* 2. & duobus exemplis quæ tradidi *in* 1. *tom. Dub. Regul. ver.* Nouitius *n.* 12. Imo videtur quod etiam stante rigore Bullæ Sixti V. ne recipiantur ad habitum homicidæ, poterat iste recipi, eo quod habebat votum Religionis: nam Rodriguez *in Sum. ver.* Nouitios *c.* 3. *num.* 6. tenet, quod etiam stante Bulla Sixti V. poterat recipi ad habitum homicida, qui ante habebat votum intrandi Religionem: quia de tali non præsumitur quod intret Religionem animo declinandi pœnas, & iurisdictionem iudicis sæcularis; sed id facit ex obligatione voti. Et citat ad hoc Baldum, & Couarr. & idem dicit idem Rodriguez *in Addit. ad Sum. eodem ver. & num.* Aduerto tamen, quod licet iste non sit impeditus de iure communi vt profiteatur, nihilominus Prouincialis non potest eum recipere ad Ordinem, eo quod in rigore criminosus, & homicida est. Clemens vero VIII. in sua Bulla reuocatoria, seu moderatoria Bullarum Sixti V. quamuis Bullas Sixti V. reduxerit ad terminos iuris communis, decreuit nihilominus vt Prælati recipientes ad habitum tales criminosos incurrant hodie pœnas in prædictis Bullis Sixti V. positas contra Prælatos illos recipientes; quod debet intelligi si id scienter fecerint.

3 Ad secundum quæsitum dico resolutè, & absque dubio quod istud homicidium non fuit voluntarium, sed casuale. Constat omnino ex dictis *in casu* 6. *præce-*

dente,

dente, n.3. & Doctoribus ibi citatis. Ex eo, quod ego *dixi in 2.tom. Dubiorum Regul. ver.* Homicidium *n.5.* Nam ad homicidium voluntarium requiritur expressa,& directa voluntas, & spontanea occidendi. Et iste talem voluntatem non habuit, imo formauit voluntatem oppositam,& positiuam,videlicet non occidendi,sed terrendi. Sic tenet expresse Suarez *tom. de censur. disp.64. sect.1. num.4.* Hic vero solum directè, & expresse intendit alapa percutere, quæ percussio non est causatiua mortis vt patet: si autem detulit pugionem, per illum solum intendit terrere, non occidere: & dubitat an ipse percusserit actiuè,an vero ipse occisus incautè se per pugionem immiserit. Adde, quod post alapam impactam iniustè,cum viderit puer robustum hominem super se iratum irruere, merito mortem sibi imminentem timere potuit,ac proinde se pugione defendere vsque ad occisionem inuadentis; & proinde in tali defensione occidens iam non erat homicida voluntarius, sed casualis, liceat antea dederit causam pugnæ. Tenet hoc fusè, & docte Sayro *in Clau. Regia, lib.7. cap.10. à n.18. maximè n.24.* vbi citat Alensem, Sotum, Nauarr. & Gregor. de Valentia, Philarch. cum quibus omnibus dicit, quod licet occisor daret operam rei illicitæ (vt iste) vel ante pugnam dederit causam vt mortuus se occisorem aggrederetur, si tamen postea iste occisor se defendens, occidit, non est homicida voluntarius; quod in hoc casu maximè locum habere videtur, quia puer debilis inuadebatur à viro robusto: & proinde occisio pro defensione propria non est voluntaria.

4 Tertium quæsitum plura inuoluit dubia. Primò enim Leo X. concessit nobis, vt citat Rodrig. *tom.3. quæst.17. art.9.* vt Prælati possint eiicere ab Ordine illum

lum professum, qui in professione rogatus, tacuit grauia crimina, de quibus in sæculo fuerat infamatus: hic vero non potuit non infamari in sæculo de isto homicidio, & alapa, cum publicè in populo fecerit. Secundò, quia statuta nostra Generalia Toletana *in proœmio, fol.69. pag.1.* iubebant fieri Nouitio interrogationes, inter quas vna erat, An fuerit in sæculo infamatus aliqua infamia vulgari? Iste vero fuit in populo infamatus de homicidio, & alapa. Et quod hoc delictum pariat infamiam, probatur ex cap. *Omnes 6. q.1.* vbi dicitur infames esse illos, qui ob aliquam culpam ad Ordines promoueri non possunt, teste Syluestro *ver.* Infamia, *q.6.* Cum ergo professio sit contractus inter profitentem, & Ordinem, & Ordo admittens apponat illas conditiones, vt non fuerit infamis in sæculo, non habuerit delicta grauia, &c. Videtur quod professio istius tacentis homicidium fuerit nulla, & quod ex consequenti potuerit post professionem, cognito delicto expelli à Religione.

5 Verum pro consolatione, & remedio istius professi, & aliorum similium, qui solent sic impediri ad Ordinem recipi. Dico primò, in nostra Franciscana Religione, Nouitium ante professionem non interrogari in particulari an fuerit homicida. Patet ex citato *fol.69. Statutorum Toletanorum*, in Interrogatorio ibi posito. Et ex eodem libro *Statutorum generalium* anno 1583. *fol.128. pag.2. tit.* de qualitatibus Nouitiorum, vbi non iubetur rogari de homicidio; ait tamen quod non fuerit infamis. Nouissimè vero Statuta generalia Segouiæ *tit. de professione*, iubent fieri protestationem Nouitio sub hac tantum forma: quod non descendat intra quartum gradum de Iudæis, Mahumetanis, vel hæreticis damnatis, aliàs professio erit irrita: & nihil

aliud

aliud iubent interrogari, licet in principio in 1. pagina, eadem ſtatuta alia iubeant interrogari, in quibus non continetur homicidium. Neque illis in 1. receptione ad habitū fit proteſtatio. Si vero aliquis Guardianus ante profeſſionem interrogaret de homicidio cum proteſtatione nullitatis profeſſionis; id faceret ex motu ſuo proprio, non ex ſtatutis, vt patet: & ſic illius proteſtatio in hoc particulari non noceret, quia ille non poteſt facere peculiares interrogationes præter aſſignatas à generali ſtatuto. Tota ergo dubitatio eſt an iſte homicida profeſſus poſſit ab Ordine expelli cognito ſuo delicto poſt profeſſionem, cum illum negauerit ſaltem in genere, & negauerit ſe fuiſſe infamatum in ſæculo: idque ob conceſſionem citatam Leonis X. & propter ſtatutum interrogans de infamia.

6 Et quidem quoad Decretum Leonis X. credo, quod illo non obſtante, iſtius profeſſio valida fuit. Leo enim X. non definit ibi taliter negantem non eſſe profeſſum, ſed quod poſſit expelli ab Ordine ob culpam negationis. Secundò, dico Leon. X. loqui tantum de negante in profeſſione: *Grauiſſima & ſcandaloſa crimina, monitione ſuper his per prædictos Prælatos præmiſſa.* Sic habent verba textus. At crimen homicidij pro ſua defenſione, non eſt crimen grauiſſimum, & ſcandaloſum: non enim homicidium ſic ſcandalizat, ſicut alia crimina grauiora. Adde quod Papa ibi requirit quod de tali crimine ſpecialiter fuerint interrogati. Iſte vero de homicidio non fuit ſpecialiter interrogatus, & proinde ex vi iſtius decreti Leonis X. credo quod nec profeſſio annulletur, nec Religio poſſit illum expellere. Quod attinet ad ſtatutum allegatum, requirens vt Nouitius non habuerit vulgarem infamiam in ſæculo. Poteſt primo reſponderi iuxta proximè dictum, quod

delictum

delictum homicidij non infamat vulgariter loquendo, maximè pro defensione commissum: imo apud populares aliquando laudatur (licet iniustè.) Secundo dici potest hunc non fuisse infamem in loco, in quo habitum recipit, absentauit enim se, vt dicitur, eiusque delictum fuit omnino occultum, ita vt Religio per illius receptionem nullam pati posset infamiam. Tertiò dico quod licet per professionem fiat contractus inter Ordinem, & professum modo iam expositio, nihilominus non cuiusque conditionis defectus annullat professionem: probo exemplo claro. Nam in nostris statutis generalibus supracitatis dicitur, quod si Nouitius fuerit morbo aliquo contagioso, vt Gallico, infectus. & de illo rogatus, negauerit, postea expellatur, & professio sit nulla. Et nihilominus graues Doctores dicunt tale statutum non posse practicari, nec talem Nouitium negantem hunc morbum, posse expelli ab Ordine. Ita Sanchez *in 2. tom. Decal. lib 5. c. 4. num. 57. & 58.* citans pro se Rodrig & dans causam; quia cum expulsio ab Ordine sit res grauissima, requirit culpam grauissimam, qualis non est negare morbum contagiosum in professione. Quod ego comprobo, & declaro: nam vt Religiosus post professionem reddatur incorrigibilis, & possit expelli ab Ordine, requiruntur tria delicta grauia, & atrocia iuxta Bullas Pontificias: at negare in professione homicidium casuale pro defensione, non est adeo graue crimen vt propter illud mereatur expelli. Iuuat etiam praxis Religionum; ego enim ex quinquaginta annis meæ professionis vsque nunc, nullum vidi ab Ordine expelli ob crimen negatum in professione, licet propter illud aliqualem passus fuerit infamiam. In hoc tamen certus sum, quod taliter professi negantes delictum in professione, etiamsi

etiamsi fuerit infame, vel negantes morbum Gallicum, sunt verè professi, vt ait Sanchez proximè citato *num.57.* & dat exemplum, quia sicut non omnis error, vel deceptio annullat matrimonium carnale, sed solus error personæ liberæ. Ita non omnis error, vel deceptio annullat matrimonium spirituale professionis, sed sola deceptio circa substantialia professionis, vt defectus consensus, metus grauissimus, & alia similia.

CASVS VIII.

De alio homicida ante ingressum Religionis.

DVo iuuenes rixati sunt adinuicem: vnus percussit alterum vulnere leui: percussus per suum malum regimen in cibis, & deambulationibus, mortuus est, asserente Chirurgo vulnus non fuisse mortale, sed ipsum ex malo suo regimine mortuum esse. Postea percussor intrauit Religionem, & erat in Nouitiatu, quando mihi hoc dubium propositum fuit: & casus fuit omnino secretus.

Quæsitum est primo an aliquam irregularitatem contraxerit iste percussor? Secundò, an dato quod illam contraxerit, possit esse Religiosus, & profiteri. Tertiò, an existens in Nouitiatu rogatus de aliquo delicto impediente in communi teneatur se manifestare, & fateri delictum suum? Et declaratur pro meliori casus decisione, quod iuuenis mortuus fuit agpressor, & author rixæ.

1 Ad primum dico rem esse certissimam illum incurrisse irregularitatem mitiorem tamen, & ortam ex homicidio

homicidio casuali. Est communis Doctorum, & definitur in c. *Significasti ò primeiro*, &c. *Dilectus, de homicidio*, & tradunt Summistæ omnes ver. *Irregularitas*. Quod vero hoc homicidium fuerit casuale, & non voluntarium, iam manet probatum ex dictis in duobus casibus præcedentibus. Nam hoc homicidium non fuit volitum directè in se, neque in aliqua causa efficaci illud causante. Etenim vulnus inflictum non fuit mortale teste Chirurgo: præterea iste occisor fuit prouocatus à defuncto aggressore, & propterea poterat percutere pro sui defensione: quæ omnia probant iuxta dicta in casibus præcedentibus, non fuisse homicidium voluntarium. Hoc ipsum, fuisse hoc homicidium solum casuale, tenet in terminis Suarez *tom. de Censur. disp. 45. sect. 6. n. 19. citatque c. fin. de homicid, in 6.* & *in n.* 18. præcedenti ait esse opinionem communem, & citat aliquos. Idem tenet Lessius *lib. 2. de iust. c. 9. dub. 15.* & isti citant alios multos. Ratio potissima tradita à Suarez est; quia irregularitas homicidij voluntarij non incurritur, nisi quando quis est causa proxima mortis: & non sufficere quod sit causa remota: at iste percussor non fuit causa proxima mortis, vulnus enim leue quod inflixit non causauit mortem proximè, sed malum regimen, & culpa ipsius percussi. Fauet quod tenet Iulius Clarus *in pract. crim. §. homicidium, num.* 31. & 42. dicens, quod prouocatus si occidat non habet pœnam ordinariam homicidæ, & quòd, si percussus leuiter, obiit ex malo suo regimine, percussor non meretur pœnam homicidæ: sed iste de quo quæritur fuit prouocatus, vt patet; & mortuus alter non obiit ex vulnere leui, sed ex malo suo regimine: ergo percussor non incurrit pœnam rigorosam homicidæ, qualis est irregularitas homicidij voluntarij;

rij; sed solum ortam ex casuali. Addo tamen quod si iste prouocatus percussit ita vt non peccaret ob iustam defensionem, nec excessit moderamen inculpatæ tutelæ, tunc non incurrit vllam irregularitatem: ita tradunt communiter Doctores, maximè Nauar. *consil. 36. de homicidio.* & Suarez *tom. de Censur. disp. 46. sect. 1.*

2 Ad secundum dico hunc homicidam posse esse Religiosum validè, si intret Religionem; quia vt iam supra dixi *casu 6.* homicida de iure communi non prohibetur fieri Religiosus. Quamuis autem Sixtus V. in sua Bulla eius professionem fecerit irritam, & nullam, postea Clemens VIII. Bullas Sixti V. reuocauit, & reduxit ad terminos iuris communis, quod ius commune, non annullat professionem homicidæ, vt probaui 1. *tom. Dubiorum Regular. ver.* Nouitius *num.* 12. Quod insuper probo, nam multi Pontifices concesserunt Prælatis Religionum priuilegia dispensandi cum suis subditis in irregularitate homicidij voluntarij, & casualis, vt suppono: quibus priuilegiis vtuntur Prælati Religionum, vtplurimum cum homicidis Religiosis, qui homicidium commiserunt ante ingressum Religionis, supponentes clare, quod illorum homicida patrata ante Nouitiatum non annullarunt professionem: & id videntur etiam suppossuisse Summi Pontifices concedentes illa priuilegia dispensandi; cum non distinxerint de irregularitate contracta ante vel post professionem, potuit ergo hic homicida validè profiteri. Dico validè: nam si possit profiteri licitè, dicam statim in responsione ad tertium. Interim addo, iuxta supradicta, posse Prælatum dispensare cum isto homicida in irregularitate homicidij casualis, vt tradit Rodriguez 1 *tom quæst. q. 23. art. 3.* & ego dixi 1. *tom. Dubiorum Regular. ver.* Dispensare,

num.9. Hanc tamen dispensationem dare non poterit Prælatus isti homicidæ quandiu fuerit Nouitius: nam quandiu Nouitius est, non est illius subditus, vt patet: Summi vero Pontifices prædicta priuilegia concedunt Prælatis, vt dispensent cum suis subditis. Si enim Prælati possent dispensare in irregularitatibus cum Nouitiis, daretur aliquando occasio vt aliqui homicidæ voluntarij fierent Nouitij, vt tempore Nouitiatus obtinerent dispensationem irregularitatis homicidij voluntarij, quam Papa non solet concedere, & postea exirent à Religione, quod est contra mentem Pontificis.

3 Tertium quæsitum maiorem habet difficultatem, an scilicet iste Nouitius teneatur se prodere in Nouitiatu, & delictum præteritum fateri? Videtur enim teneri: imo & videtur, quod peccauerit, & peccet petendo habitum, & professionem sibi prohibitam per legem Papalem. Quamuis enim Clemens VIII. reuocarit Bullas Sixti V. ad terminos iuris cõmunis quoad valorem tantum professionis: tamen illæ Bullæ hodie manent in suo robore, quatenus impediunt ne illi criminosi homicidæ, & cæteri fiant Religiosi; adeo vt Prouinciales eos recipientes incurrant pœnas positas à Sixto V. vt inter alios explicat Sanchez *tom.1. Decal. lib.4. cap.16. n.39. in fine.* Itaque hodie homicidium, latrocinium, & similia delicta posita à Sixto V. licet non annullent professionem, nec sint impedimenta dirimentia professionem: sunt tamen impedimenta impedientia iuxta legem Papæ ne homicida, vel latro licitè possit intrare in Religionem, & in illa profiteri. Quod applicans ad intentum, dico quod videtur, hunc homicidam Nouitium peccasse petendo habitum Ordinis habens impedimentum Papale ad profitendum:

si vero in hoc peccauit, tenetur se prodere, vel exire vt non profiteatur cum impedimento isto Papali. Adde, quod profiteatur. & postea manifestetur eius homicidium, nocebit valde Prouinciali, qui illum inhabilem recepit ad Ordinem, & punietur Prouincialis rigorosis pœnis à Sixto V. impositis; quæ omnia videntur probare hunc Nouitium homicidam, vel peccasse in habitus receptione, vel teneri ad exeundum, vel se manifestandum, & petendum dispensationem ab illo qui dare possit. Et hoc dubium tangit etiam homicidas illos duos, de quibus diximus in 6. & 7. *casibus*, & hîc dicta eiam applicabuntur.

4 Pro istorum dubiorum resolutione, dico primò, quod si iste Nouitius bona fide habitum suscepit, non credens se peccare in illo petendo cum tali impedimento, tunc nihil peccauit ob bonam fidem, quæ excusat à peccato etiam in opere de se non bono: & multo magis in isto opere Religionis profitendæ, quod de se est clare bonum.

5 Secundo dico, quod iste casus resoluendus est per alium quem tractat Sanchez *lib 7. de Matrim. disp. 17.* ibi quærit an habens impedimenta matrimonij non dirimentia (quæ ille recenset *eodem lib. 7. disp. 6.*) v.g. vxoricidium, interfectio clerici, & similia, quæ impediunt quidem, sed non dirimunt matrimonium, sunt tamen statuta per leges Ecclesiasticas: an inquam contrahens matrimonium cum aliquo ex his non dirimentibus, sed solum impedientibus, & prohibentibus, peccet mortaliter, & teneatur abstinere à contrahendo matrimonio ob tale impedimentum solum impediens? Et resoluit *citat. disp. 17.* cum multis citatis, quod talis contrahens matrimonium cum aliquo impedimento non dirimente, sed solum prohibente, non

peccat mortaliter, imo nec venialiter. Excepto illo, qui habet votum castitatis, vel Religionis, vel contraxit sponsalia cum alia: hæc enim duo impedimenta voti, & sponsalium sub mortali impediunt ne contrahatur matrimonium, & sunt impedimenta impedientia matrimonium non dirimentia. Cætera vero impedimenta matrimonij solum impedientia, vt vxoricidium, interfectio Sacerdotis, & Catechumenus, &c. hodie non impediunt sub mortali: & sic non peccabit ille qui affectus aliquo ex illis contraxerit matrimonium. Ratio præcipua Sanchez est, quia per consuetudinem, & tolerantiam Episcoporum iam obtinet præscriptio contra illas leges, ita vt nec petatur dispensatio pro vllo ex prædictis impedimentis solum impedientibus, excepto voto, & sponsalibus. Hæc doctrina multam habet similitudinem in nostro casu. Nam illa impedimenta posita à Sixto circa professionem, vt plurimum hodie sunt impedimenta non dirimentia post moderationem Clementis VIII. v. g. homicidium, & latrocinium; non enim dirimunt, sed impediunt tantum professionem. Quo posito (saluo meliori iudicio) pie videtur posse dici, quod homicida petens habitum Religionis, si sit occultus, non peccabit mortaliter, tum quia praxis videtur iam hanc consuetudinem introduxisse per annos viginti quinque, à quo tempore Clemens VIII. reuocans Bullas Sixti V. voluit homicidium non esse impedimentum dirimens professionis, maximè cum neque ante Sixtum V. illam dirimeret. Et cum videamus post illam moderationem Clementis VIII. multos homicidas occultos Religiones intrare, vt animas suas saluent, & nemo illos condemnat nec obligat ad exeundum.

6 Secundo dico hunc Nouitium homicidam post-

quam

quam bona fide suscepit habitum, non teneri se manifestare, cum eius delictum sit omnino occultum. Probatur ex illo communi dicto Theologorum, quod præceptum conseruandæ propriæ famæ, & honoris, præualet cuicumque præcepto positiuo Ecclesiastico, do quo sunt multa exempla, & nos aliqua tradidimus in præcedentibus. Idipsum habetur *in c. Quis aliquando.* §. his authoritatibus, *de pœnit. dist.* 1. vbi dicitur: Non dico tibi vt te prodas. Quod adeo verum est, vt dicat Zerola *in* 1. *p. praxis ver.* Hæretici. §. ad trigesimum quintum, quod nec hæreticus tenetur se prodere. Vide Nauarr. *consil.* 5. *de hæreticis*, *num.* 3.

7 Quæris: quid si Prælatus ante receptionem habitus, & ante informationes factas, ex decreto Clementis VIII. huic homicidæ iuramentum exhibeat, rogans in genere an habeat aliquod impedimentum ex positis à Sixto V. an possit tacere hoc homicidium sine peccato: difficilis sane quæstio est. Ad quam imprimis dico, quod si illius homicidium fuit omnino occultum, & præterea si fuit factum sine peccato, vt hoc videtur fuisse pro sui defensione, & quia occidens fuit prouocatus: credo quod sine peccato poterit illud tacere, cum non teneatur prodere se, vt dixi; nec Prælatus possit licitè interrogare de delicto omnino occulto: & tunc homicida possit in negatione vti amphibologia se nescire, vel non feciſſe, ita vt teneatur fateri, vel quid simile. Vide quæ dixi *tom.* 2. *dub. reg. ver.* Iuramentum *num.* 13. & 16. Si vero homicidium non fuit omnino occultum, est tamen occultum in hoc loco vbi habitum vult recipere, neque est spes vt detegatur, illique exhibeatur iuramentum, an habeat in genere aliquod impedimentum de assignatis à Sixto V. an possit negare, & dicere se nullum habere, intel-

ligens ſecum, vel apud ſe, ſe non habere impedimentum dirimens profeſſionem, cum homicidium illius eam non dirimat? Videtur quod adhuc poteſt negare, tum quia eius homicidium hîc occultum eſt, neque eſt periculum quod vnquam diuulgetur, neque illud dirimat profeſſionem: nec teneatur ſe infamare. Sed hoc reſolutè non aſſero, neque conſulo. Hoc tantum dico; quod fortè iuuabit ad hoc dubium videre dicta à Sanchez *tom.2. Decal. toto cap.* 28. & alios cum diſputant de iuramento.

8 Adhuc circa hunc caſum aduerto, mihi dictum fuiſſe iſtum occiſum fuiſſe mortuum in hoſpitali publico quia erat pauper: quo caſu, cum iſte occiſor occiderit prouocatus, & in ſui defenſionem, non tenetur aliquid reſtituere hæredibus defuncti, ſed ſolum tenetur reſtituere expenſas hoſpitali, quas fecit in ipſius curatione. Ita Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.9. dub.*15. & Azor *tom.*3. *lib.*" *cap.*11. *in fine.* Nam vnuſquiſque ſolum tenetur reſtituere damnum, quod dedit: at iſte non intulit mortem, vt ſupra diximus: ergo non tenetur reſtituere damna ſecuta ex morte, ſed ſolas expenſas hoſpitalis factas pro vulnere leui quod cauſauit.

CASVS IX.

De profeſſione cuiuſdam Nouitiæ facta per metum, & alias circumſtantias.

QVædam mulier in ſecreto contraxit ſponſalia cum quodam viro: pater fœminæ de hoc factus certior, idque nimis moleſtè ferens, filiam inuitam poſuit

posuit in Monasterio Olyssipone vt esset Monialis, ipseque pater, & mater minati sunt quod si tali viro nuberet, se illam exhæredaturos, & interfecturos: in vna domo eam incluserunt multis opprobriis afficientes ante ingressum Monasterij. Postea ad Conuentum Monialium deferentes, Prælatæ dixerunt, quod si illam efficaciter mouerent ad professionem, Conuentui erant multa donaturi. In nouitiatu à multis Monialibus, maximè ab vna, sollicitabatur ad professionem, ob munera, ac donatiua quæ huic speciali parentes mittebant. Quando ab Ordinario ad crates factum fuit examen libertatis, à parte interiori Conuentus astabat Magistra Nouitiarum prope illam, vt illius metu Nouitia veritatem sponsaliorum taceret: & se ad professionem faciendam paratam diceret: & ipsa Nouitia nolebat subscribere examini scripto à Vicario generali: ita vt aliquæ Moniales illam cogerent subscribere. Tempore professionis faciendæ sponsus Nouitiæ, (qui litem matrimonialem iam mouerat) coram Ordinario supplicauit, vt per censuras interdiceret Prouinciali, & Prælatæ Conuentus, ne prædictam Nouitiam ad professionem admitterent. Episcopus sub censura excommunicationis ipso facto mandauit Prouinciali, & Prælatæ, ne illam ad professionem admitterent, & sub eadem censura ne Moniales illi suffragium darent, donec lis matrimonialis finiretur. Quo non obstante, Prælata auditis suffragiis Monialium, Nouitiam professionem recepit. Professio facta est quasi clanculum, ita vt etiam extra Conuentum custodes vigiles adhiberentur, ne aliquod nouum mandatum professionem impediens de foris intimaretur. Et declaratur, quod aliquæ sunt Moniales, quæ Nouitiam audierunt dicentem se nunquam velum nigrum pro-

feſſionis ſuper caput ſuum fore impoſituram.

His poſitis quæſitum fuit primò, an Ordinarius in hoc caſu validè potuerit Prouincialem, Prælatum, & Moniales excommunicare, ne darent ſuffragia, ac profeſſionem?

Secundò, an dicta profeſſio fuerit nulla ex eo quod prohibita ab Ordinario, qui erat iudex examinis, & cauſæ Matrimonialis?

Tertiò, an fuerit profeſſio nulla ex eo quod in illa dederint ſuffragium Moniales excommunicatæ, & receperit profeſſionem à Prælata excommunicata, & profeſſa fuerit etiam Nouitia excommunicata: nam etiam Ordinarius ſub excommunicatione prohibuit Nouitiæ, ne profiteretur.

Quartò, an dicta profeſſio fuerit nulla propter tot circumſtantias metus reuerentialis, ſeu cadentis in virum conſtantem.

Quintò, an ſit obligatio Ordinarij prædictam nulliter profeſſam extrahere ab illo Conuentu, & eam ponere in alio loco tuto, & ſecuro, vt poſſit libere reſpondere pro cauſa Matrimoniali, & pro cauſa profeſſionis; cum conſtet illam in illo Conuentu non habere libertatem, tum ob prædicta, tum quia hodie poſt profeſſionem illi ſtrictè prohibeatur ne epiſtolas foras mittat, vel recipiat.

Iſte caſus multa inuoluit, quorum reſponſa iuuabunt ad multos alios caſus ſimiles quotidie contingentes. Et res fuit apud me noua, mirabilis, & non audita, & maximè, vt in tali vrbe eueniret.

1 Quod ergo attinet ad primum quæſitum: Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſput. 33. num. 21.* tenet cum multis Doctoribus, & textibus in cauſa Matrimoniali dum Religioſus, vel Religioſa citantur quod matrimo-

nium

nium ante contraxerint, non posse Episcopum contra illos, vel contra ipsorum superiores procedere per censuras excommunicando, vel aliam censuram fulminando. Ratio illius est, quia Religiosi habent priuilegia, maximè Mendicantes, vt non possint excommunicari ab Episcopis: nisi ad id specialem facultatem habuerint. Vnde Concilium Tridentinum quod vltimum Concilium fuit Ecclesiæ, & aliqua priuilegia Religionum reuocauit, in solis duobus, vel tribus casibus, quos ibi citat, concessit Episcopis vt possint cõtra Religiosos per censuras procedere, tanquam Sedis Apostolicæ delegati. Hi casus sunt, primo vt quando Nouitij masculi, vel fœminæ exeunt à Nouitiatu ad mundum, possint Episcopi cogere per censuras Religiosos, vt eisdem exeuntibus restituant omnia supellectilia quæ attulerant. 2. vt possint per censuras cogere Moniales ad seruandam clausuram. 3. vt possint eosdem Regulares cogere per censuras ne celebrẽt Missas in oratoriis, *sess. 25. de Reg. cap. 16.* & ibidem *cap. 5. & sess. 22. in decreto de obseru. in celebr. Miss.* Cum ergo Concilium quoties voluit posse Episcopos Religiosis censuras imponere, id expresserit, sicut in tribus citatis locis; signum est quod in aliis occasionibus id Episcopis denegauerit, sciens Religiosos habere priuilegia ne possint ab aliquo excommunicari, quæ priuilegia in illis solis tribus casibus expressis voluit derogare. Cum ergo iste casus, de quo agimus, videlicet, professionis dandæ, vel matrimonij contrahendi, non sit ex illis tribus, sequitur quod non potuerit Ordinarius in hoc casu excommunicare validè Prouincialem, Priorissam, & Moniales gaudentes citato priuilegio, ne professionem darent, vel suffragia prædictæ Nouitiæ.

2 In oppositum vero Farinacius in suo libro *Declarationum Cardinalium ad sess.25.cap.11. de Regul.prope finem*, ait Illustrissimos Dominos Cardinales declarasse, quod Episcopi poterant per censuras procedere contra Prælatas Monialium, si non obedierint Episcopis in materia examinis Nouitiarum, certiores faciendo Episcopos, vel professionem dantes ante prædictum examen. Quod si dicas hunc librum Declarationum Cardinalium ex Farinacio, esse prohibitum ab Ecclesia in Catalogo Romano, & ideo non habere auctoritatem. Dico, quod eandem Declarationem Cardinaliũ in terminis citat, & ponit Marzil. in suo libro *Declarationum Cardinalium ad citatam sess.25.Trid.§.* si Monialis, *ad c.17.* sub his verbis: *Contra faciẽtes ergo (Moniales, & Superiores) poterit idem Ordinarius coërcere, non solum pœnis à Concilio Tridentino statutis, & prascriptis, sed etiã Ecclesiasticis cẽsuris, & aliis iuris remediis, non obstantibus quibuscũque priuilegiis.* Sic ibi. Et ego non credo quod prædicta declaratio citetur falso. Saltem enim Marzilla est author satis grauis, & pius, Religiosus, & Consultor in sancto Officio, Farinacius vero, licet in illo libro prohibitus sit, est tamen Author Catholicus, & in aliis libris suis valde laudatus apud Iuristas, & Romæ vixit. Vnde non videtur quod prædicta declaratio Cardinalium falso citetur. Quod si vera est, magis præponderat illa sola, quam tot Doctores citati à Sanchez, dicentes non potuisse in hoc Ordinarium excommunicare Prouincialem, & Moniales. Et hoc ipsum contra Sanchez affirmat Salcedo *Addit. ad pract.* Bern. Diaz *cap.3. litera A.§.* punite. Et mihi videtur satis credibile propter dictam declarationem: & præterea quia in casu tantæ necessitatis, si Ordinarius vellet procedere cõtra prædictas Moniales per alia

iuris

iuris remedia ſine cenſuris, vt per pœnas pecuniarias, vel quid ſimile, remedium eſſet tardum, & fere fruſtraneum, cum Moniales eſſent pauperes: & pœna excommunicationis plus timeatur, ſaltem à vitis Religioſis, quam pœna pecuniaria, quæ fere nunquam effectum habet poſita Religioſis. Hoc volui paulo fuſius explicare, quia poterit non ſemel contingere, quando Ordinarij procedunt contra Religioſos.

3 Ad ſecundum, & tertium quæſitum ſimul dico imprimis, dato quod Ordinarius validè excommunicauerit Nouitiam, Prælatam, & Moniales dantes ſuffragia, prædictam profeſſionem non fuiſſe nullam ex hoc capite præcisè. Nam quod attinet ad Moniales, dato quod eſſent vere excommunicatæ, valide tamen poſſent dare ſuffragia Nouitiæ ad profitendum (quidquid ſit de illarum peccato) probo, quia dare ſuffragium pro Nouitio, nõ eſt electio Canonica, vt patet: nam in electionibus de multis eligitur vnus, aliis relictis. At in Nouitio non eligitur vnus relictis aliis: ſed potius dare ſuffragium Nouitio, eſt approbare illum, non eligere. Quamuis ergo ius Canonicum prohibeat ne excommunicatus valide eligat: non prohibet quin excommunicatus validè ferat ſuffragium pro Nouitio. Similiter dico de Nouitia profitente, & de Prælata excommunicata, quod licet ambæ eſſent excommunicatæ, adhuc profeſſio eſſet valida, etiamſi eſſent excommunicatæ declaratæ, quales iſtæ non fuerunt. Quod autem profeſſio excommunicati ſit valida, primo innuit Nauar. *lib. 4. Conſiliorum, tit. de ſponſalib. conſil. 38.* dum ait valere matrimonium Catholici cum hæretica, licet per ius prohibeatur, æquiparant enim Doctores matrimonium carnale cum ſpirituali profeſſionis, quoad valorem & obligationem. Et quoad excommunicatum emitten

emittentem professionem validam, tenet expresè Rodrig. *tom.3.quæst.q.17.art.14.* citans Innocent. Abbatem, Rebuffum, & alios. Idem tenet Comitolus *in Respons.Moral.lib.2.q.8. ad fin.* Vbi ait validam fuisse professionem fœminæ cuiusdam, quæ ementito sexu, & habitu, fecit professionem in Conuentu Religiosorum masculorum: & constat talem fœminam actu extitisse excommunicatam propter ingressum in clausuram monasterij virorum. Hoc ipsum denique colligitur ex cap. *Cum illorum, de sent. excom.* vbi dicitur quod fuit valida professio cuiusdam percussoris Clerici, quod est plus. Si vero ex parte Nouitiæ excommunicatæ professio tenuit, etiam valida fuit ex parte Prælatæ, etiam excommunicatæ, quia est eadem ratio: nam professio est quidam contractus inter professum, & Religionem acceptantem: at excommunicatus non prohibetur facere contractus, etiamsi sit declaratus, vt Doctores tradunt in materia *de excom.*

4 Ad quartum, quod est principale dubium, dico certissimè hanc professionem fuisse nullam propter metum grauissimum variis modis incussum. Et antequam illud in particulari ostendam, suppono certissimum, quod professio facta per metum redditur nulla. Constat ex Concil.Trid. *sess.25. c.19. de Regul.* vbi præcipuam causam ad probandam professionis nullitatem, ait esse metum, aut vim. Nunc probo in hac professione interuenisse metum cadentem in virum constantem. Nam primo, parentes minati sunt mortem, & exhæredationem, & illam in domo particulari clauserunt ante ingressum Religionis, variis opprobriis afficientes: quæ omnia clarè sufficiunt, imò superabundant ad causandum metum non quemcumque, sed cadentem in virum constantem: necdum in fœmi-

na,

na, ſed etiam in viro robuſto. Minus vero malum comminatum, ſeu minor cauſa metus ſufficit circa fœminam, quia fragilis eſt, quam circa virum, vt dicatur metus cadens in virum conſtantem, vt latè probat Sanchez *lib.4. de matrim. diſp.3. n 2.* & Sayr. citans multos: & ex dictis ibidem de metu cadente in virum conſtantem, ſatis conſtat metum incuſſum huic Nouitiæ fuiſſe viri conſtantis metum. Arbitrio vero iudicis relinquitur, iudicare quis ſit metus cadens in virum conſtantem, vt ait Sanchez *cit. diſp.5. lib.4.*

5 Particularis vero cauſa metus grauis fuit in fœmina comminatio exhæredationis facta à parentibus: hæc enim ſola ſufficiebat ad cauſandum metum grauem, vt tradit Sanch. *cit.diſp.5. n.25.* concurrit etiam quaſi forma carceris; eam namque parentes in particulari domo clauſam veluti carcerarunt. Concurrit præterea ſollicitatio Monialium intra clauſuram quæ ſollicitabant illam, vt profiteretur. Adde modum profeſſionis clanculum factæ, cum cuſtodibus extra poſitis, & cæteris quæ narrantur: quæ omnia ſuperabundè probant metum cadentem in virum conſtantem hic interueniſſe.

6 Addo, metum reuerentialem etiam interueniſſe, tum ratione Magiſtræ Nouitiarum poſitæ à tergo tempore examinis facti ad crates, vt Nouitia timeret dicere ſe nolle eſſe profeſſam: imò & Abbatiſſa cum ſpe promiſſionum ſibi factarum, ſollicitans Nouitiam ad profitendum cauſabant metum reuerentialem, iuxta tradita à Sanchez *citato lib.4. diſput.6.num. 24. & ſeq.* vbi agit quarum perſonarum timor, vel reſpectus cauſet metum reuerentialem. Quod vero ſolus reſpectus, vel timor Abbatiſſæ ſperantis promiſſa munera ex profeſſione, ad illamque inuitantis, cauſaret metum

reueren

reuerentialem, tenet Nauar. *lib.2.consil.tit.de confessis, consilio vnico, n.4.* Quamuis autem Sanchez *cit.disp.6.* cum aliis 14. Doctoribus citatis dicat, solum metum reuerentialem non annullare professionem; nihilominus *cit.disp.6. num.17.* citat graues Doctores, qui dicunt annullare. Vltra quos id tenet expresè Brunorus *in locis, commun.ver.* Matrimonium *n 4.* & citat vnam glos. Iasonem, & Decium, & Marsilium. Fauet Lessio *lib.2.de iust.c.17.n.35. vers.13.& n.46. §.* Respondeo, & *num.48.* Tenet idem Riccius, & Sayro citati à Barbosa *in Remission. ad Tridentinum, fol.146. pag.2. n 4.* & Valero Gartusiano *in lib. de different. vtriusque fori, fol.193 col.1.& 2.* cum multis, quos citat. Et super hæc omnia, in libro Declarationum Cardinalium Farinacij *ad sess.25.cap.11. de Regular. §.* Omnimoda libertas, citatur quædam decisio Rotæ sub iudice Oradino anno 1586. per quam iudicatum fuit in causa cuiusdam fœminæ nobilis, metum solum reuerentialem annullasse professionem. Quæ omnia volui recensere pro casibus quotidianis, non tamen vt in hoc de metu solo reuerentiali iudicium mem interponam: qui voluerint, videant citatos hic à me Doctores.

7 Et quoniam casus quotidianus est, hoc in particulari aduerto ex Sanchez *tom.1. Decalog. cap.3. n.13.* vbi ait metum grauem annullare professionem, etiam si vouens per tale votum habuit animum se obligandi; nam Ecclesia illum consensum irritat, & insufficientem reddit, vt ex illo obligatio non oriatur, aliàs nihil peculiare concederetur metui. Et citat Sanchez ad hoc, Sotum, Aragon. Rodrig. Philarcum, & Nauar. *in cap. Statuimus, num.75. 19. quæst.3.* & per hæc satis puto responsum pro nullitate istius professionis ex parte metus incussi.

8 Nequid

8 Nequid vero omittamus ex illis quæ quæsita sunt: ad illud in particulari quod in 2.quæsito quærebatur, an videlicet ista professio fuerit nulla ex eo solum quod Ordinarius prohibuerit ne fieret,& facta sit contra illius expressum mandatum ? Respondeo ex illo tantum capite,non fuisse nullam. Nam iuxta commune dictum Iuristarum, multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent. Probo hoc imprimis à simili in matrimonio carnali. Tenet, ac probat efficaciter Sanchez *lib.3. de Matrim. disp.* 32. quod si Episcopus rigoroso mandato præcipiat Parocho ne certos sponsos matrimonio iungat in facie Ecclesiæ ; & nihilominus Parochus inobediens,illos ad matrimonium admittat, quidquid sit de peccato Parochi , matrimonium erit validum , si tamen sponsi nullum habebant impedimentum dirimens matrimonium. Et inter alia *num.2. ad fin.* id probat doctrina Adriani , dantis exemplum in Religioso, cui Prælatus per obedientiam prohibuit ne confessiones audiret : & ille tamen audiuit : tales confessiones erunt validæ , quidquid sit de peccato illius: nam Religiosus aliàs erat approbatus, &c Id ipsum ego probo *ex Concilio Trd. sess.25.cap.17.de Reg.* vbi prohibetur Abbatissam dare professionem Nouitiæ ,antequam moneat Episcopum pro faciendo examine libertatis:& tamen,si Abbatissa omissa monitione , & examine Episcopi , Nouitiæ det professionem, erit valida, si aliàs non fuit impedimentum dirimens professionem. Colligitur clarè ex eodem capite , quia ibi non dicitur professionem aliàs fore irritam : sed Prælatam puniendam ab Episcopo.

9 Quod attinet ad vltimum quæsitum ? Respondeo taliter professam non obstante coacta illa professione, extrahi posse , ac debere , & reponendam esse in loco

co tuto, ac libero, vt possit liberè respondere ad quæstiones matrimonij, ac professionis. Facit imprimis ad hoc casus similis *in cap. cum locum, de sponsal.* vbi Papa iuber, quod, vt certa fœmina responderet super consensu, & causa matrimoniali, eam iuberet iudex deponi in domo aliqua, vel loco secuto, in quo puella dicere non timeret. Et ita obseruatur in praxi pro matrimonio: quod maiori iure fieri debet pro matrimonio spirituali, quod est professio, cum requirat maiorem libertatem. Et ita gloss. super dictum caput *cum locum, ver.* Nihil eam timere, ait spectare ad iudicem partes reponere in loco tuto, & secuto, & citat plures textus. Id ipsum habetur ex declaratione Cardinalium apud Marcillam *ad sess. 25. cap. 17. de regul.* vbi ait, sic declarasse Congregationem illam. *Si Monialis, aut Nouitia neget se esse professam, Ordinarius audire potest illam extra monasterium.* Quo nil clarius potest desiderari. Eandem declarationem citat Farinac. citato suo libro *Declarationum ad sess 25. cap. 17. de Regul.* Id ipsum docuit, & consuluit Nauarr. *lib. 2. consiliorum tit. de confessis,* vbi respondit quandam Monialem professam, de cuius professionis valore dubitabatur, extrahendam fore à monasterio, & reponendam in loco secuto. Casus vero ibi à Nauarro positus nostro similis, fuit sic. Quidam pater filiam adduxit ad Monasterium, non quidem eo animo, vt profiteretur, sed vt postea illam è Monasterio extraheret, ac nuptui daret. Moniales interim illam sollicitarunt vt fieret Monialis, idque persuaserunt, & facta est Monialis, professa; non sponte, sed coactè ob importunas preces Monialium. Pater indignatus, obtinuit à Vicario Generali, vt post professionem ad crates inquireret ab illa, an libere esset professa: illa de intus respondit absolutè,

se

se esse professam. Institit iterum pater, vt puella extraheretur à Conuentu, & in loco libero rogaretur de consensu professionis. Illa extra Conuentum posita in loco libero, exhibito iuramento à Commissario causæ, respondit se nunquam habuisse animum faciendi professionem. Quo viso, ait ibi Nauarrus nō esse standum priori dicto quod dixit intra Conuentum, ob metum Monialium reuerentialem: sed standum fuisse dicto, seu confessioni secundæ factæ in loco libero. Et sic videtur dicendum in isto casu, in quo iste sponsus ante professionem protestatus est de nullitate ipsius: & hodie instat vt extrahatur à monasterio ad locum tutum. Vt autem extrahatur non est necessaria licentia Sedis Apostolicæ, ne violet clausuram, quam vouit iuxta Tridentinum: sic enim exiens non incurret pœnas impositas violanti clausuram: cum illæ ponantur contra professas verè, de quarum professione non dubitatur: quod in ista non incurrit, cum illius professio vel nulla sit, vel saltem nimis dubia. Adde quod sic exiens, iam exit cum licentia Sedis Apostolicæ, eo quod Cardinales nomine Papæ declararunt posse extra Conuentum interrogari, vt proximè diximus.

10 Adhuc pro maiori euidentia nullitatis in ista professione repertæ, considero, quod licet Sanchez *citata disp. 6. lib. 4. de Matrim.* negèt solum metum reuerentialem annullare professionem, concedit tamen quod si cum illo concurrant, & iungantur minæ, tunc annullabunt. In hoc vero casu factæ sunt minæ mortis, & exhæredationis, vt vidimus. Noto vltimo quod Molina *tom. 3. de iust. 1. p. disp. 57. n. 29.* §. vtrum autem, ait, quod renuntiatio facta à filiis circa suas legitimas coram patre, ob metum reuerentialem, etiamsi iuramento firmetur, esse nullam, & *tom. 2. disp. 267.*

num. 4. ait metum reuerentialem, si efficiat promissionem mixtè inuoluntatiam, annullare. Quæ omnia faciunt pro nullitate istius professionis. Vide Sotum 6. *de iust. quæst.* 2. *art.* 1.

CASVS X.

De alia professione Nouitiæ dubia ex defectu suffragiorum.

IN quodam Conuentu Monialium, Prælata conuocauit capitulariter Moniales ad recipienda vltima suffragia pro Nouitiæ professione. Et iuxta statutum, & consuetudinem illius Ordinis ponitur vrna in loco publico plena fabis albis, & nigris mixtim, ex qua singulæ suffragium daturæ extrahunt fabam, vel albam pro Nouitiæ approbatione, vel nigram pro illius reprobatione: & has fabas albam, vel nigram adducunt secretè coram Prælata, & iniiciunt in aliam vrnam; vnde extractæ omnes fabæ examinantur pro Nouitiæ approbatione, vel eiectione. Contigit, vt quædam Monialis accedens ad primam vrnam, cum esset nimis scrupulosa, nec se resolueret pro Nouitia recipienda, vel eiicienda, clausis oculis, se Deo commendans, tulit vnam fabam, non videns an alba esset vel nigra, & iniecit in vrnam coram Prælata. Sed post diuulgatum scrutinium, ex votis datis, & negatis, & ex numero Monialium suffragantium, intellexit se fabam nigram, & reprobatiuam iniecisse. Alia Monialis vetula, & cæca corporeis oculis, accedens ad primam vrnam, cum nec posset dignoscere de albo, & nigro, & ibi prope vrnam

nam esset quædam Monialis, quæ repugnabat professioni Nouitiæ, hæc Monialis posuit in manu cæcæ fabam nigram, dicens illam esse fabam, quam debebat in vrnam mittere: cum tamen hæc cæca non haberet animum negandi suffragium, vt ipsa statim dixit publicato scrutinio fabarum, dicens se talem animum non habu isse: publicato scrutinio fabarum, media pars Monialium omnium sic suffragantium suffragata est pro Nouitia, videlicet 14. & alia media pars 14. negauit suffragia, ita vt maneret absque vllo excessu suffragiorum. Prælata intendens consulere Prouincialem quid in hoc faciendum sibi esset, post decem, vel duodecim dies informata de duabus illis Monialibus, seu de modo quo suffragium dederunt cæca, & alia scrupulosa, conuocauit secundo Moniales ad capitulum; illísque proposuit in priori electione interuenisse errores graues, propter quos electio fuit nulla, & proinde iterum darent suffragia libere, & sine errore circa Nouitiæ receptionem, vel eiectionem. Hoc audito, aliquæ Moniales, quæ professioni resistebant, exierunt à capitulo, dicentes quod appellabant à secunda suffragiorum receptione, dicentes Nouitiam expellendam, eo quod in prima electione non habuerit excessum suffragiorum supra dimidiam partem Conuentus. Prælata nihilominus recepit vota aliarum quæ remanserunt, quæ erat maior pars Conuentus, & hæ dederunt pro Nouitia duo suffragia vltra dimidiam partem Conuentus, etiam computatis illis quæ abeuntes suffragari noluerunt. Et declaratur quod istæ quæ nunc secundo suffragari noluerunt, iam ante ingressum illius in Conuentum, illius ingressui restiterunt. Denique ad tollendos omnes scrupulos Prouincialis absens, & consultus, suum suffragium per scriptum de-

dit illi Nouitiæ, & cum ſuffragio Prouincialis habuit Nouitia vnum ſuffragium exceſſus ſtante etiam priori electione, in qua Nouitia habuit 14. ſuffragia pro ſe, & 14. contra ſe, & cum ſuffragio Prouincialis habuit 15. pro ſe, & 14. contra ſe, & ſic ex mandato Prouincialis admiſſa eſt ad profeſſionem. His poſitis quæruntur multa.

Primò, an prima ſuffragiorum receptio fuerit nulla propter duo illa ſuffragia cæcæ, & ſcrupuloſæ clauſis oculis ſuffragantis?

Secundò, an Prælata poſt duodecim dies cognito errore, ac dolo ſuffragiorum, potuerit ſecunda vice pro Nouitia ſuffragia totius Conuentus recipere?

Tertiò, an ſecunda electio (ſic voco, licet ſuffragium dare pro Nouitio non ſit eligere.) An inquam ſecunda electio, vel ſuffragiorum receptio valida fuerit, nonobſtante quod aliquæ exeuntes noluerunt ſuffragari, imo appellationem interpoſuerint.

Quartò, vtrum appellatio facta ab illis valida fuerit, an vero friuola iudicanda ſit?

Quintò, an Prouincialis abſens poſſit ſuffragium dare pro Nouitiæ profeſſione, ſicut dant cæteræ ſingulæ Moniales.

1 Ad primum quæſitum reſpondeo primo, prædictam electionem fuiſſe nullam, & merito reſcindendam, propter duo illa ſuffragia cæcæ, & ſcrupuloſæ tali modo ſuffragantium. Probo imprimis, quia ignorans, vel errans non conſentit per multos textus citatos à gloſſa *in Clementina* 1. *de procuratoribus, in verb.* Scienter, vt habetur *cap. Quamuis dist.* 38. & *cap. Si de beneficio, de præbend.* At illa Monialis clauſis oculis ſumens fabam, ignorauit quale daret ſuffragium, vt patet: ergo non conſenſit, & proinde non elegit. Item de illa

illa cæca dicendum, quod cum errauit, dando fabam nigram pro Nouitia, quam aliàs volebat recipere ad Ordinem, vt ipsa postea declarauit, taliter suffragando errauit contra intentionem suam, vt patet: ergo non consensit. Secundò, de illa quæ clausis oculis extraxit fabam, constat quod non dedit suffragium per electionem, sed per sortes. patet, quia eligere per sortes est, quando non nititur quis arte, verbo, vel ratione discernente merita, sed res committitur fortunæ, casui, vel diuinæ prouidentiæ: & sic fecit ista dans suffragiũ clausis oculis, rem committens diuinæ prouidentiæ. At in iure non permittitur electio per sortes, vbi requiritur discretio meritorum circa eligendum, sicut requiritur pro discernendis meritis Nouitij, ne recipiatur inhabilis ad Ordinem, ergo suffragium istius fuit nullum. Quod autem electio per sortes sit prohibita in iure, constat ex c. *Ecclesia, de sortilegiis.* Tertiò, fuit etiam hoc suffragium nullum, quia fuit incertum, & obscurum, vt patet: at suffragium incertum est nullum in iure, habetur in c. 2. *de elect. in* 6. & ibi glossa, *ver.* Incerta, quæ hanc causam assignat: nam suffragium incertum non exprimit consensum sicut oportet: sequitur Couar. 2. *variarum, c.* 16. *num.* 2. & Rodriguez *tom.* 2. *quæst. q.* 51. *art.* 4. vbi ait suffragium debere esse clarum, certum, & non conditionatum, &c. Confirmatur ex cap. *Cum clamor, de testibus.* vbi dicitur quod dictum obscurum habetur pro non dicto: at votum suffragantis oculis clausis, ex se fuit satis obscurum, vt patet: ergo fuit nullum. Idem habetur *c. in nostra, de probat.* Quartò, hinc colligo rationem Theologicam, quæ est huiusmodi. Doctores cum D. Thom. 1. 2. *q.* 13. dicunt quod electio voluntatis internæ fit, quando prius intento fine, & cognito per intellectum, voluntas ex

multis oblatis mediis ad assequendum talem finem, post consultationem mediorum eligit, & adhæret vni medio relictis aliis : & tunc per actum externum tendit ad illud medium, & finem intentum. In hoc vero casu dans suffragium clausis oculis nihil horum fecit; non cogitauit de fine, non habuit consultationem de mediis, nullum elegit finem, vel medium in particulari, vt patet : ergo illius electio externa non fuit electio Theologica, cum non processerit ab actu electionis internæ, sed fuit sortibus se committere, quod est prohibitum in iure. Quintò, in particulari de suffragio dato à cæca, cui alia Monialis non bene affecta Nouitiæ, dedit fabam nigram, & cæca volebat dare albam; constat hoc votum fuisse nullum, quia fuit inuoluntarium, & proinde non liberum: at suffragium inuoluntarium, & non liberum est nullum in iure, *cap. Vbi periculum*, §. Cæterum, *de elect. in 6.* illis verbis : *Cessat electio dum libertas adimitur eligendi.* Et dolo deceptus non dicitur consentire, iuxta l. *& eleganter, ff. de dolo.* vbi Bartolus, & Iuristæ communiter, dicentes quod consensus dolo extortus, non est consensus, de quo optimè multos citans videatur Sanchez, *lib. 1. de Matrimon. disput. 64. num. 3.*

2 Ad secundum dico, potuisse, ac debuisse Prælatam cognito errore duorum illorum suffragiorum, secunda vice Moniales conuocare ad nouam suffragiorum receptionem. Probatur, quia quando prima electio fuit nulla ob aliquem defectum substantialem, bene potest Præses electionis procedere ad secundam electionem. Habetur expresè *in cap. cum terra, de elect. & tenet Innoc. in cap. considerauimus, eodem tit.* Butrius *cap. Auditis, n. 2. vers. concludendo. Abbas in cap. publicato, n. 9. de elect. Rodrig. citat. quæst. 51. art. 7.* & alij communiter.

muniter. Dixi, quod debuit, ac tenebatur Prælata facere secundam electionem detecto errore prioris, quia Prælatus ex officio tenetur prouidere ne quis lædatur iniustè: at in prima electione Nouitia fuit læsa iniustè, cum duo suffragia sibi sunt negata iniustè, vnum per dolum in cæca: aliud per temeritatem in scrupulosa claudente oculos, quæ postea in secunda electione pro Nouitia suffragata est. Vide *Repertorium Inquisitorum ver.* Testes, §. item nota *fol.* 472. vbi asserit cum Doctoribus ibi citatis, ex textu, quod cum testis deposuit confusè, potest, ac debet iudex iterum testes recipere, vel illum confusè testificantem, interrogare secunda vice: quod facit ad præsens intentum. Imo ex superabundanti, dico, quod si constaret iuridicè, in prima electione illam cæcam iniecisse fabam nigram per dolum contra suam voluntatem: si constaret etiam illam quæ clausis oculis abstraxit fabam, abstraxisse, & iniecisse nigram; dico quod in tali casu prima electio valida fuit, & non fuit necessaria secunda. Probo ex supradictis, nam cum saltem illud suffragium datum clausis oculis fuerit incertum, & proinde nullum in iure, tale suffragium non fuit numerandum inter alia: ac proinde mansit Nouitia cum 14. suffragiis pro se, & cum 13. tantum contra se, ideoque habuit maiorem partem communitatis. Si item suffragium à cæca datum per dolum fuit nullum, quia non liberum iuxta prædicta, habuit Nouitia quatuordecim suffragia pro se, & 12. contra se, & proinde non fuit necessaria secunda electio, sed ex vi primæ poterat profiteri.

3 Ad tertium dico rem esse certissimam, quod secunda electio, seu suffragiorum receptio valida fuerit non obstante quod aliquæ exeuntes noluerint dare suffragium, & appellauerint. Nam quod attinet ad pri-

mum, quod illæ noluerint ſuffragium dare, id non annullauit electionem factam ab illis quæ remanſerunt, quæ erat maior pars communitatis legitimè congregatæ: & illæ exeuntes iam fuerant vocatæ, & iuſſæ à Prælata vt ſecundo darent ſuffragium: ſuo vero diſceſſu, renuntiarunt iuri quod habebant ad ſuffragandum, quæ renuntiatio non nocet electioni ab aliis legitimè celebratæ. Habetur expreſsè *in c. cum nobis, de elect.* vbi de quibuſdã vocatis ad electionem, & exeuntibus, nec volentibus intereſſe, ait Papa, non eſſe curandum, neque per illorum exitum electionem factam à manentibus fuiſſe impeditam: *quia* (inquit textus) *ad electionem faciendam accedere noluerunt alienos ſe feciſſe videntur propter quod*, &c. Idem colligitur ex cap. *Quod ſicut, de elect.* Et eſt communis DD. maximè Abbatis ad dictum cap. *cum nobis, n.* 3. Vide omnino Nauarrum *lib.* 1. *conſil. tit. de elect conſil.* 3. *n.* 1.

4 Ad quartum dico quod appellatio interpoſita ab exeuntibus fuit friuola, & non recipienda, imo quod fuit nulla. Probatur, quia fuit facta contra ius: nam, vt ſupra diximus, Prælata iuxta Canones potuit facere ſecundam electionem: ergo appellatum fuit contra decretum iuris, & proinde illicitè. Præterea fuit appellatum ab illis, quæ ante ingreſſum Nouitiæ in Conuentum, iam illi ſuffragia denegauerunt, & proinde non bene affectæ videntur appellaſſe, & non animo zeli. Adde quod nec ipſæ appellantes fuerant læſæ in ſe, neque Conuentus manebat læſus in Nouitiæ receptione, vt ſupponitur, & proinde appellatio fuit friuola, fruſtratoria, & proinde non recipienda: vnde non potuit aliquid impedire. Colliguntur hæc omnia ex cap. *Bonæ, il primeiro, de elect.* & ex c. *conſtitutus, de appellat.* & o diz Butrio in cap. *Conſideranimus, de elect.*

Ad

Ad quintum dico potuisse Prouincialem in hoc casu stante suffragiorum æqualitate, dare suffragium pro illa, & cum solo excessu suffragij illius præcipere, vt ad professionem validè admitteretur.

Sed quoniam in hoc etiam puncto dubium fuit exortum, & viri docti consulti responderunt per scriptum, non posse Prouincialem alicuius Prouinciæ dare suffragium in professione Nouitiæ, sicut dant singulæ Moniales, ideo quo res clarior fiat, peculiarem de hoc sequentem moueo quæstionem.

CASVS XI.

De Prouinciali dante suffragium in professione Nouitiæ.

IN materia casus proximè præcedentis, vir quidam doctus per scriptum consultus dixit, non posse Prouincialem vnius Prouinciæ in quouis Conuentu eiusdem Prouinciæ, in quo repertus fuerit, ferre suffragium pro Nouitij cuiuscumque professione: quod si verum esset, minus posset dare suffragium pro Nouitiæ professione, & in absentia, cum circa Nouitiam maior videatur difficultas iuxta dicenda.

1 Hanc partem negatiuam probabat ex Nauarro *in consil.tit.de Regul.consil.62.* primæ impressionis In quo refert, quod quidam Nouitius in Ordine Carmelitarum recurrit ad suum Generalem Romæ commorantem, ferens secum testimonium Conuentus à quo fuit expulsus, ex quo constabat quod media pars Conuentus pro illo fuerat suffragata, & altera media pars

Conuentus illi ſuffragia denegauerat: & ſtante hac æqualitate ſuffragiorum poſtulabat à Generali vt ſe profeſſum faceret. Et reſpõdet ibi Nauar. *n.* 3. & 4. Generalem non potuiſſe illũ facere profeſſum; quia iuxta Panor. ibi citatum Generalis non poteſt creare Monachum abſque conſenſu Conuentus: id eſt abſque conſenſu maioris partis Conuentus. Quibus verbis clarè videtur Nauar. innuere non potuiſſe Generalem dare ſuffragiũ pro Nouitio. Si enim id poſſet, facilè foret licere in illo caſu, ſtante illa æqualitate ſuffragiorum: do illi meũ ſuffragium, & cum illius exceſſu manebit cum maiori parte ſuffragiorum Conuentus. Quod ipſum videtur ibi clarius dicere Nauar. *n.* 4. vbi dicit, quod recipere ad profeſſionem pertinet ad Conuentum, & ad Prælatum immediatũ Conuentus, non vero ad Prælatum mediatum, & remotum ipſius Conuentus. Citat ad hoc Nauarrus *cap. ad Apoſtolicam, de Regular.* cum ibi notatis. Et vis rationis illius eſt, quod ſolus Prælatus non eſt perſona acceptans ſine Conuentu, vt det profeſſionem: ſed Prælatus cum Conuentu ſimul ſunt perſona acceptans: Nouitius vero eſt perſona acceptata, Et remittit ſe Nauar. ad id quod dixerat *in cap. ſtatuimus, de Regul.* Aliter arguebat ille Doctor conſultus dicens, Eccleſiam ideo vnum annum probationis, ſeu Nouitiatus aſſignaſſe Nouitiis, vt Fratres Conuentus, in quo Nouitius viuit, ſufficiens haberent tempus ad dignoſcendos, & expertos habendos mores Nouitij per annum. Cum verò Prouincialis non trahat moram in quouis Conuentu, non poterit Nouitij mores experiri, nec ſcire an ad Religionem aptus ſit, & proinde non bene poterit pro illo ad profeſſionem ſuffragium ferre. Et huius opinionis fuerunt alij duo viri docti cuiuſdam grauis Conuentus ob proximè datam

tam rationem. In extremam opinionem alij abierunt dicentes non ſolum Prouincialem dare poſſe ſuffragium in quouis Conuentu, ſed etiam Secretarium ipſius Prouincialis de mandato ipſius Prouincialis, eo quod Secretarius ſit officialis publicus Prouinciæ.

2 Hoc non obſtante ego dixi, & dico poſſe Prouincialem ferre ſuum ſuffragium in profeſſione Nouitiæ exiſtentis in Conuentu ſibi ſubiecto: quod ſi probauerimus de profeſſione Nouitiæ, à fortiori probatum erit quod poterit dare ſuffragium in profeſſione cuiuſcumque Nouitij ſuæ Prouinciæ. Probo ergo quoad Nouitiam, ex regula in cap. *cui licet quod eſt plus, licet vtique quod eſt minus, de Regul iur. in 6.* vbi gloſſa dat exempla. Aſ Prouincialis poteſt recipere Nouitiam ad habitum quod eſt pluſquam pro illa dare ſuffragium ad profeſſionem, vt patet: item Prouincialis poteſt dare ſuffragium in electione Abbatiſſæ, vt ſuppono certum, & probaui: *tom. Dubiorum Regul. ver.* Abbatiſſa: ergo poterit etiam dare ſuffragium in eo quod eſt minus, videlicet in profeſſione Nouitiæ. Quod vero maius ſit dare ſuffragium in electione Abbatiſſæ, quam ſuffragari pro Nouitia: conſtat, quia electio Abbatiſſæ eſt Canonica & ſecreta, facta per ſchedulas ſecretas: quæ ambo deſunt in ſuffragio dãdo pro Nouitia, cuius receptio per ſuffragia non eſt electio vera. Et præterea dignior perſona eſt Abbatiſſa, & Conuentui magis neceſſaria quam ſit Nouitia. Et confirmatur, quia hæc ambo maius, & minus ſunt eiuſdem ordinis, vtrumque enim eſt dare ſuffragium tam pro Abbatiſſa, quam pro Nouitia. Et vtraque perſona habet quodammodo ordinem inter ſe, Abbatiſſa videlicet ad profeſſam, & profeſſa ad Abbatiſſam: & vtraque ad bonum Conuentus, cuius Prouincialis eſt caput, & Prælatus. Et ſic

hoc

hoc loco non habet locum regula iuris citata à Nauarro, quod scilicet à separatis non fit illatio: non enim sunt separata suffragari pro Nouitia, & suffragari pro Abbatissa, vt diximus, sed similia, & fere subordinata.

3 Imo hæc duo sunt connexa, dare suffragium, vel licentiam ad ingressum Religionis, & dare suffragium ad profitendum: de connexis vero, seu æquipollentibus idem est iudicium, *lex fin. ff. mandat.* Vnde non potest nocere expositio regulæ supradictæ, *cui licet quod est plus*, dicens, intelligendum esse quando illa plus, & minus ordinantur ad idem, vel vnum ordinatur ad aliud, vel vnum includitur in alio: hæc enim tria reperiuntur in hoc quod est recipere Nouitiam ad ingressum Ordinis, quod est plus, & recipere illam ad professionem dando suffragium quod est minus: & Prouincialis potest facere illud maius, recipere ad ordinem: ergo poterit illud minus quod est per suffragium recipere ad professionem. Secundò probatur ex declaratione citatæ regulæ *cui licet*, &c. tradita à glossa in cap. *visis* 16. *q.* 2. vbi ait dictam Regulam explicari, vel confirmari per cap. *præcipimus* 12. *q.* 1. & in hoc capite præcipitur quod Episcopus dispensat, & habeat pecuniam Ecclesiæ, & causam assignat. Nam si Episcopus gubernat animas, quod est plus, etiam gubernabit pecuniam Ecclesiæ, quod est minus. Tunc sic. Si Prouincialis dat suffragium in electione Abbatissæ, & recipit Nouitiam ad habitum, quæ sunt plus: etiam recipiet Nouitiam ad professionem per suum particulare suffragium, quod est minus. Tertiò probatur ex ratione naturali: nam si singulæ Moniales dant suffragium in professione Nouitiæ, eo quod sunt membra istius Conuentus: ratio dictat vt idem possit facere Prouincialis, eo quod sit caput istius Conuentus, cum

sit

sit Prælatus illius. Facit omnino quod tenet Panorm. cap. *ad Apostolicam*, citans multos text.& DD. videlicet, quod solus Prælatus per se absque Conuentu potest facere validè professionem Nouitio absque suffragiis Religiosorum. Quod licet non sit receptum, neque ego approbo,facit tamen satis credibile dictum tanti Doctoris, & Bartoli, & aliorum, vt saltem possimus dicere quòd poterit Prælatus per suum suffragium, Conuentúsque suffragia recipere ad professionem Nouitiam, quam ipse recepit ad habitum. Vltimo confirmatur, quia in Religione istius Nouitiæ (idem credo fit in aliis) quando Prouincialis vult pro maiori solemnitate, ipse per se facit professionem Nouitiæ, non Abbatissa, & Nouitia in manibus Prouincialis validè profitetur, admittítque Prouincialis ad ipsam professionem solemnem : cur ergo non poterit paulo ante dare suffragium ad istam professionem,sicut dant cæteræ Moniales ?

Quod attinet ad id quod in oppositum adducitur ex Nauarro de Generali Carmelitarum, noto primo, quod Nauarrus non ait dictum Generalem dedisse suffragium pro Nouitio, neque id supponit Nauarrus, sed solum innuit, quod ex officio, quatenus solum iudex causæ, non dando suffragium, non poterat illum facere professum:secus forte dicturus Nauarrus, si ipse Generalis vellet suum ferre suffragium, iuxta supradicta à nobis. Quod vero spectat ad dictum Nauarri dicentis,ex cap. *ad Apostolicam*, *de Regul.* colligi, dare professionem Nouitio pertinere ad solum Prælatum immediatum Conuentus, non ad Prælatum mediatum,Prouincialem scilicet,&c. superiores,dico imprimis nullum verbum in citato capitulo contineri,quod faueat dicto Nauar.nisi hoc:*Abbate per se,vel per aliũ*

professio

professionem recipiente Monasticam. Hæc autem verba non probant quod vult Nauarrus: nam licet dicatur hîc, quod Abbas per se recipiat professionem, illud *per se*, non excludit quod Generalis illius Conuentus si sit præsens, possit recipere illam professionem inuito Abbate Conuentus, cum Generalis sit verus Prælatus illius Conuentus. Et in mea Prouincia vidi Prouincialem recepisse ad professionem per se quédam Nouitium, non vero Guardianum, qui erat Prælatus immediatus Conuentus, & erat ibi præsens, & nemo professionem accusauit vsque hodie. Explico ergo & citatum textum, & ipsum Nauarrum, dum dicunt dare professionem pertinere ad Prælatum immediatum Conuentus cum ipso Conuentu, non vero pertinere ad Prælatum superiorem mediatum, hoc solum velle: quod vt professio sit valida debet consentire Prælatus Conuentus, & ipse Conuentus per sua suffragia, hoc vero non pertinere ad solum Prælatum mediatum, & generalem Conuentus, ita videlicet vt ipse solus Prælatus mediatus, & Generalis per se solum facere possit professum absque suffragiis Conuentus. Alludit enim textus, & Nauarrus ad morem fortasse antiquum, per quem solus Prælatus faciebat professum absque consensu Conuentus; & hoc solum negat Nauarrus posse facere Prælatum mediatum Conuentus; & hæc sola est mens Nauarri in toto illo consilio si bene attendatur. Non verò negat Nauarrus quin Prælatus mediatus, & Generalis Conuentus possit cum consensu, & suffragiis Conuentus dare per se professionem præsente Prælato immediato Conuentus: nec proinde negaret posse eundem Prælatum mediatum, seu Prouincialem dare suffragiũ ad professionem Nouitij, quando recipiuntur suffragia à cæteris Religiosis

sis Conuentus. Alia quæ obiiciuntur ex Nauarro, difficultatem non habent, & ex supradictis facilè soluuntur.

4 Ad aliam obiectionem, qua dicitur dari annum probationis, vt Religiosi possint experiri mores Nouitij, Prouincialem vero ordinariè absentem non posse illos experiri; dico non habere fundamentum; vt enim sufficienter pro Nouitio detur suffragium, non requiritur exacta, & quotidiana experientia Nouitij. Sufficit quod habeatur notitia per bonam informationem Fratrum. Probo multis exemplis. Primò, si antequam recipiantur suffragia ad professionem Nouitij triduò antea aliquis Religiosus denuo veniat ad habitandum in illo Conuentu assignatus per Prouincialem, iste vocem habens in Conuentu, validè suffragium feret pro Nouitij professione, vt patet; & tamen per solum triduum mores Nouitij non cognoscit. Secundò, quando Fratres ex Portugallia vadunt ad capitulum generale Romæ, v.g. celebratum, ibi dant suffragium pro Generali, illi Religioso Italo, vel Gallo, quem nunquam viderunt, & cuius mores nunquam sunt experti: solumque ducuntur per informationem bonam ibi triduo acceptam. Plus vero est suffragari pro Generali, quam pro Nouitio. Tertiò, efficacius probatur, quia Nouitius poterit efficere totum annum Nouitiatus validū, si cum habitu Ordinis existat extra Conuentum de licentia Prælati toto anno Nouitiatus, vt tenet Sanch. *tom.* 2. *Decal. lib.* 5. *cap.* 4. citans multos, & graues Doctores, etiam recentiores id affirmantes: inter quos est Nauarrus *consil.* 42. *de Regulari.* affirmans quemdam Nouitium valide professum fuisse, qui solum per mensem, & medium extitit intra Conuentum anno Nouitiatus, reliquum verò tempus eiusdem anni Nouitiatus extitisse

extitisse extra Conuentum in domo sæculari extra Conuentum. Ait de Nouitio sic toto fere anno existente extra Conuentum, non poterant Religiosi Conuentus sumere exactam, & quotidianam experientiam de vita, & moribus, nisi per informationem. Et hanc etiam poterit habere Prouincialis absens à Conuentu Nouitij fere toto anno, per informationem iuridicam, & iuratam Religiosorum eiusdem Conuentus, qua informatione ductus possit secure, & sufficienter pro Nouitio, vel Nouitia suffragium dare ad professionem.

5 Nec vero capitulum *statuimus, de Regularibus*, ad quod se Nauarrus remittit, aliquid continet contra à nobis hîc dicta, imo agit de nimis diuersa materia. Quod vero alij dicebant è contra, Secretarium Prouincialis posse dare suffragium pro Nouitio in quouis Conuentu eiusdem Prouinciæ, in quo repertus fuerit, nullum habet fundamentum apparens. Non enim illud potest dare, eo quod solum sit Officialis Prouinciæ: hoc enim non sufficit, cum non sit Prælatus, vel caput illius Conuentus, neque Conuentualis habitator in illo, & proinde non habet vocem in capitulo illius Conuentus, sicut habet Prouincialis Prælatus.

Et propter à me hactenus dicta, tres alij Doctores graues Olyssipone huic sententiæ subscripserunt, dicentes in terminis, posse Prouincialem ferre suffragium pro Nouitiæ professione in Conuentu sibi subdito.

CASVS

CASVS XII.

De quodam Conuentu Monialium, quem Prælatus illius dimisit regimini Ordinarij sæcularis, vel Episcopi.

IN Ordine Minorum,& in vno Capitulo Prouinciali cuiusdam Prouinciæ, Commissarius Generalis præsidens in Capitulo,cum Diffinitorio decreuerũt,quod certus Conuentus Monialium eiusdem Prouinciæ ob certas causas molestas eximeretur ab obedientia, & regimine Prælatorum Ordinis, dimitteretúrque gubernationi Ordinarij sæcularis. Intimatum est hoc decretum Abbatissæ Conuentus, quæ libenter acceptauit,& Archiepiscopo Diœcesano se subdidit,qui Conuentus regimen acceptauit, & vt facilius acceptaret accesserunt epistolæ Regis Hispaniæ, suadentes etiam vt acceptaret.Tempore quo intimatum est prædictum decretum Ordinis Abbatissæ, aliquæ graues Moniales appellarunt à dicto mandato, & decreto Commissarij generalis ad Generalem totius Ordinis, qui Romæ existens appellationem acceptauit, & habuit prædictam dimissionem tanquam nullam,& cassam. Eáque appellatione nonobstante, & admissione appellationis,Ordinarius sæcularis acceptauit prædicti Conuentus administrationem, & regimen in spiritualibus,& temporalibus, ac si foret Prælatus illius. Quo posito, quæsita sunt multa.

Primò,an dictus Commissarius generalis cum Diffinitorio Capituli potuerit abdicare à se prædictum regimen talis Conuẽtus, illúmque dimittere Ordinario.

Secundò, an dato quod potuerit dimittere illum, talis dimiſſio fuerit nulla, vel ſaltem ſuſpenſa propter appellationem interpoſitam ab illis Monialibus.

Tertiò, an Archiepiſcopus potuerit validè, & iuſtè acceptare talis Conuentus regimen cum ſolo Regis mandato, abſque ſpeciali decreto Summi Pontificis? poſſitque tale regimen retinere?

Quartò, vtrum illæ paucæ, vel plures Moniales potuerint valide appellare ad Patrem Generalem, ne fieret talis dimiſſio Conuentus ad Ordinarium.

1 Et quidem pro parte affirmatiua, quod Commiſſarius generalis cum Diffinitorio potuerit validè dimittere prædictum Conuentum Ordinario, videtur ſic probari: nam Commiſſarius generalis Ordinis Minorum in ſua familia poteſt omne illud quod poteſt Generalis in toto Ordine, vt conſtat ex Bulla vnionis Leonis X. & ex ſtatutis generalibus Segouienſibus, titulo *de Commiſſario generali.* At Generalis Ordinis, cũ ſibi viſum fuerit conueniens, poteſt dimittere & relinquere Ordinario vnum Conuentum Fratrum, ſeu Monaſterium, vt habetur expreſsè *in Compendio Mendicantium, ver.* Ædificare §. 8. Ergo & Commiſſarius generalis in ſua familia poterit dimittere vnũ Conuẽtum Monialium eidem Ordinario, maximè ſi ob cauſas iuſtas ſibi cum Diffinitorio cõueniens videatur. Secundò, multi & graues Doctores etiam recentiores dicunt poſſe Prælatum exemptũ, ſuum ſubditum exemptum ſubiicere Epiſcopo, vt Epiſcopus illum abſoluat à caſu reſeruato, v.g. hæreſi, (ſi hodie Epiſcopus poteſt) à quo caſu ipſe Prælatus Regularis non poteſt talem ſubditum abſoluere; quos Doctores citat, & ſequitur Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 39. *n.* 32. Ergo etiam poterit ſuas ſubditas vnius Conuentus ſubiicere eidem

dem Episcopo quoad gubernationem extrinsecam, quæ videtur esse minor, quam subiectio quoad iurisdictionem animæ. Tertiò, vnusquisque potest renuntiare suo priuilegio, cum enim priuilegium sit beneficium Principis, beneficium non confertur inuito. At Prælati Regulares gubernant Moniales ex priuilegio Papæ, vt est notorium, & patebit ex dicēdis: ergo Prælatus Regularis potest suas Moniales dimittere Episcopo, renuntiando priuilegio quod habet vt illas gubernet. Quartò, quod Ordinarius in isto casu potuerit acceptare regimen istius Conuentus eo deserto à Prælato Regulari, illique assignare confessorem Clericum, probatur ex *declaratione Cardinalium* citata à Marzilla *ad sessionem 25. c. 17. de Regul. in Tridentino.* Vbi ait, sic declarasse illos Dominos Illustrissimos. *Episcopus potest dare confessorem Monialibus subiectis Regularibus, quæ nulla ratione induci possūt, vt suis Regularibus confessoribus peccata confiteantur.* Sic ibi. Si ergo confessorem illis potest assignare, poterit vtique regimen Conuentus assumere, quando Prælati Regulares eas dimittunt, & non est qui gubernet illas. Confirmo hoc dupliciter, primo, ex doctrina communi Theologorum in materia restitutionis, ac Iuristarum dicentium, rem desertam à proprio, ac vero domino, posse apprehendi à quolibet primo occupante tanquam desertam: at in hoc casu verus dominus Prælatus Regularis dimittens hunc Conuentum habuit illum pro derelicto, vt patet; ergo potuit occupari, & apprehendi à quouis alio; non autem melius, nec iustius, quam ab ordinario Episcopo, qui est Prælatus omnium ouium suæ diœcesis: & non erat congruum iuxta leges Canonicas, vt aliqui fideles in vna Diœcesi carerent omnino Prælato, & superiore spirituali, ac temporali. Secundò, con-

firmatur ex eo quod tradit Nauarrus *lib.5.consil. tit.de pœnitent.& remission. consil.*18. in simili fere materia, vbi ait posse Regulares tempore Iubilæi confiteri peccata sua confessori clerico sæculari.(vbi per Regulares intellige etiam Moniales.) Ait inquam posse hoc fieri, quia iuxta *cap.ab exordio 35.distinctione,& l.si vnus,§.* pactus ne peteret, *ff.* de pactis, res facile reuertitur ad suam pristinam, & antiquam naturam, & citat Iasonem, Felinum, & Federicum. Iam vero, ait, Regulares olim erant subditi Episcopi,& confitebantur clerico sæculari,vt patet; ergo cum Iubilæus annuat,concedat,& faueat,facile credendum est Regulares redire pro eo tempore ad antiquam naturam,& morem,quo possint confiteri peccata Sacerdoti sæculari approbato. Quod ipsum facile applicabitur nostro casui : nam Moniales olim, quoad regimen fori interni, & externi erãt subditæ Episcopis;& per priuilegia sunt exemptæ ab illorum regimine,vt patet in multis priuilegiis in compendio Mendicantium *verbo* Exemptio, & *verbo* Moniales: ergo cum Prælatus Regularis istius Conuentus suo priuilegio renuncians illum dimiserit Ordinario,facile per hanc dimissionem redibit res ad suam antiquam naturam, videlicet ad regimen internum, & externum Episcopi, sicut olim fieri solebat.

1 Hoc non obstante pro solutione. Noto primo. In Ordine Minorum dari duas classes, vel duas Regulas Monialium eidem Ordini subiectarum. Primæ dicuntur Damianæ, vulgo, discalciatæ, & dicuntur Moniales primæ Regulæ, quam scilicet Pater noster Franciscus fecit, ac dedit sanctæ Claræ, & viuunt sub rigidiori instituto. Secundæ dicuntur sanctæ Claræ Vrbanistæ, eo quod Vrbanus Papa priorem illam rigidissimam Regulam moderauit, eiusque rigorem in aliquibus

bus temperauit, & ſic temperatam dedit obſeruandam his ſecundis Monialibus Vrbaniſtis, de quarum numero eſt hic Conuentus, de quo fuit altercatio. Quod vero hæ ambæ claſſes Monialium ſint ſubiectæ immediatè regimini Prælatorum Ordinis Minorum, de primis Diſcalciatis, conſtat ex procemio Regulæ ipſarum confirmatæ à Papa Innoc. IV. vbi ſic habetur de ſancta Clara. *Promiſit obedientiã Beato Franciſco, & ſucceſſoribus ſuis: & aliæ ſorores teneantur ſemper ſucceſſoribus B. Franciſci canonicè electis obedire.* Sic ibi *c.* 10. De ſecundis vero Vrbaniſtis vltra alia priuilegia, ſunt duo particularia data ab Eugenio IV. quorum alterum citat ad longum Rodriguez in ſuo Bullario *fol.* 241. aliud ponit in eodem Bullario *fol.* 239. per quæ prædictas Moniales ſubiicit immediatè gubernationi Prælatorum Ordinis Minorum. Et in illo priori, exprimit Papa quod prædictas Moniales eximit ab omni iuriſdictione Legatorum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum & Epiſcoporum, &c. ita vt nõ poſſint in ipſas ferre aliquam cenſuram. Et in ſecundo priuilegio, loquens cum Prælatis Minorum circa Moniales, ait: *Per has ſanctiones Apoſtolicas, illas per vos decernimus gubernari*, &c. Et in iſta ſecunda Bulla dicit etiam quod Abbatiſſæ quæ noluerint obedire, ac ſubiici regimini Prælatorum Ordinis Minorum, ipſo facto ſunt excommunicatæ. Omitto alias probationes pro iſta exemptione, cum praxis ipſa ſufficeret, & conſuetudo præſcripta per ſpatium tot annorum.

2 Suppono ſecundo rem eſſe certiſſimam in iure, quod interpoſita appellatione, illaque pendente nihil eſt innouandum. Eſt textus expreſſus in capite *ſi à iudice, de appellation. in 6.* vbi gloſſa multa citat. Et praxis obſeruat, eſtque receptiſſimum in vtroque iure ciuili,

& Canonico. Et apud Doctores:& probari etiam potest ex toto titulo, *vt lite pendente nihil innouetur.* Quod si pendente appellatione aliquid innouetur, irritum,& nullum iudicandum est, vt vtrumque ius decernit.

3 Suppono tertio in ordine Minorum Commissarium generalem esse subditum omnino Ministri generalis eiusdem Ordinis, ita vt ab ipso Generali accipiat suam iurisdictionem. Habetur clare in citata Bulla vnionis Leonis X. in qua instituit regimen Ordinis Minorum de Obseruantia, vbi decernit quod electo Generali in Capitulo generali pro toto Ordine,etiam eligatur Commissarius Generalis pro alia familia:*Cui Minister generalis (ait Papa) super fratres vltramontanos vices suas committat.* Si ergo Commissarius generalis ab ipso Generali iurisdictionem suam recipit, illius profecto subditus est: & ab ipso Commissario ad Generalem poterit appellari: iuxta definitionem appellationis, quæ sic definitur, est prouocatio causæ à minore ad superiorem iudicem, &c. Et idem habetur in statutis generalibus Segouiens.eiusdem Religionis, quod scilicet Commissarius generalis est subditus Ministri generalis. His ita suppositis.

4 Ad primum quæsitum dico, non potuisse prædictum Commissarium generalem cum Capitulo illo Prouinciali dimittere dictum Conuentum Ordinario quoad regimen. Probatur,quoniam illa dimissio in rigore, & substantialiter fuit renuntiatio priuilegij, seu exemptionis illius Conuentus Monialium; quod erat beneficium datum à Sede Apostolica: at beneficium non potest renuntiari, nisi coram superiori,à quo fuit receptum, & multo minus potest dari alteri ad libitum, nisi de consensu superioris ad quem pertinet collatio

latio beneficij, qui est Sum. Pontifex. Habetur *in cap.* Admonet, *de renuntiat. & cap.* Denique 6. *q.* 3. *& cap.* Abbas 18. *q.* 2. *& alibi.* Quod adeo verum est, debere beneficium renuntiari coram superiore, vt etiam ipse Papa si officio debeat renuntiare, & abdicare se à Papatu, licet in terris superiorem non habeat, debet tamen renuntiare coram Cardinalibus, tanquam coram testibus, qui videant ipsum Deo ipsi renuntiare: ita tenet Comitolus *lib.* 1. *qq. moralium, q.* 100. *n.* 2. At Commissarius Generalis habet regimen Monialium de manu Papæ, vt patet ex supradictis: ergo coram ipso Papa solum poterat huic regimini renuntiare, qui erat superior; non vero coram Archiepiscopo, qui nec erat superior renuntiantis, nec ad ipsum Archiepiscopum pertinebat collatio talis regiminis. Et confirmatur ratione naturali, & à simili: nam si ego habeo rem aliquam mihi commodatam ab alio, non possum ego rem istam alteri dare ad libitum, sed debeo reddere domino qui illam commodauit: at officium regendi Moniales istas datum, seu commodatum est Prælatis Minorum ab ipso Papa: ergo si resignandum est, in manibus solius Papæ debet resignari, qui ipsum dedit, non vero in manibus Ordinarij. Secundo videtur hoc expresè colligi ex cap. *cum tempore, de arbitris,* vbi Papa approbat quoddam compromissum inter Ecclesiam exemptam cum quodam Episcopo: & excipit, quæ contra Ecclesiæ illius exemptæ libertatem in eo compromisso continentur, reddens hanc rationem: *Cum, & si sponte volueris, de iure tamen nequiueris, sine licentia Romani Pontificis renuntiare priuilegiis, vel indulgentiis libertatis, qua monasterium illud indicant ad ius, & proprietatem Rom. Ecclesiæ pertinere.* Sic ibi Papa: quo nihil clarius ad nostrum intentum potuit desi-

derari, est enim idem casus in terminis. Et iuuat caput *cum olim, lib. 2 de priuilegiis*, vbi Papa circa priuilegia, vel causam vnius Ecclesiæ priuilegiatæ, subdit hæc verba: *Nos igitur attendentes, quod eadem priuilegia non solummodo pro libertate Monasterij faciebãt, sed etiã exprimebãt ius nostrũ, & Ecclesiæ Romanæ iustitiã tuebãtur*, &c. Tertiò, faciunt pro hac parte plusquam tredecim Doctores graues, quos citat Sanchez *citato c. 39. lib. 4. Decal. num. 29.* qui omnes rationibus, & textibus neruosè probant, non posse Prælatũ Regularem suum subditum subiicere Episcopo etiam in foro conscientiæ, vt absoluatur ab illo in casu, à quo ipse Prælatus Regularis non potest: & multo minus dicunt posse illum subiicere Episcopo quoad forum externum; quia inquiunt, nõ potest Prælatus Regularis in hoc renuntiare priuilegio exemptionis spiritualis, sibi concesso non personaliter, sed pro tota Religione. Et quamuis ipse Sanch. ibi *n.* 32. cum aliis Doctoribus teneat posse Prælatum in foro solo interno subiicere suum subditum Episcopo pro absolutione sacramentali: ait tamen cum Lapo, & Ancharano id non posse Prælatum Regularem facere, subiiciendo illum Episcopo in foro externo, & contentioso, qui est noster casus. Quartò, per illas duas Bullas Eugenij citatas, Summus Pontifex aufert ab omnibus Ordinariis in perpetuum omnem iurisdictionem gubernandi Moniales istas: iurisdictio vero semel extincta non amplius reuiuiscit nisi renouetur: ergo cum Ordinarius non habuerit renouatam iurisdictionem extinctam per Papam, nec ille potuit acceptare istum Conuentum, nec Commissarius generalis eum illi dimittere. Quintò facit omnino, quod tradit Henriquez *tom. 1. Sum. lib. 7. de Indulgentiis, cap. 25. n. 1.* vbi loquens de exemptione alicuius

Reli

Religionis, dicit, quod quando Papa de aliqua Religione, vel loco dicit, *Immediatè nobis subiicimus*: tunc Papa constituit se immediatum superiorem, iudicémque Ordinarium, quasi esset Episcopus Diœcesanus, &c. Et paulo infra dicit: *Non licet Regularibus sine licentia Papæ renuntiare priuilegio dato in honorem status*, &c. At priuilegium gubernandi Moniales datum est Prælatis in honorem status Franciscani, vt patet: & Moniales immediatè subiectæ Sedi Apostolicæ, subiectæ fuerunt per Papam immediatè Ordini Minorum, ergo non potest Prælatus Minorum, etiamsi sit ipse Generalis, eas tradere Ordinario. Et citat ibi Henriq. *in glossa littera C.* citatum à nobis supra capitulum *cum tempore, de arbitris.* Adhuc pro nullitate istius dimissionis, aduerto alium defectum: nam, quando Commissarius generalis posset renuntiare hoc regimen Ordinario, ista renuntiatio facienda erat in manibus ipsius Ordinarij, intimando coram illo renuntiationem, vt colligitur ex textibus citatis in primo nostro argumento huius *num.* 4. & colligitur ex traditis à Rodrig. *tom.* 1. *quæst. Regul. q.* 23. *art.* 6. At ista dimissio non est facta coram Ordinario, neque illi intimata: sed solum in diffinitorio decreta, propter inobedientiam Abbatissæ fuit illi intimata, vt se haberet pro dimissa ab Ordine ad Ordinarium, & proinde etiam ex hoc capite fuit nulla.

5 Ad secundum quæsitum dico, dato quod Commissarius generalis potuerit illam dimissionem facere, illam nihilominus fuisse suspensam, & proinde nullam propter appellationem interpositam. Constat clare ex dictis *num.* 2. nam appellatione interposita, nihil potest innouari per multos textus ibi adductos, quod si aliquid innouetur irritum est. Quibus adde doctri-

nam Nauarri *lib.2. Consiliorum, consil. de sent. & re iudic n.6.* vbi loquens de effectu appellationis, sic ait; *Effectus enim appellationis, siue defensionis iuris naturalis qui in ea continetur, est rescissio actus à quo appellatur, & repositio appellantis in statum pristinũ, secundũ Bartolum, Panormitanum, Deciũ, & communem.* Sic ibi. Et dicta à Nauarro inseruiũt etiam ad casum præsentem.

6 Ad tertium quæsitum dico, non potuisse prædictum Archiepiscopum licitè, ac validè acceptare regimen illi dimissum. Probatur ex dictis *num.1.* per Bullam enim primam Eugenij IV. ademptum fuit hoc regimen Monialium omnibus Ordinariis cuiuscumque qualitatis illi sint: ergo post illud ademptum à Papa, non possunt iterum se intromittere in illud, absque particulari commissione Summi Pontificis. Tenet cõsequentia: nam si renuntians alicui rei, iuri, vel beneficio, non potest ad illud redire sine nouo titulo collato à Superiore, eo quod per renunciationem abdicauit à se omne ius, quod in tali beneficio habebat; minus poterit Ordinarius redire ad regimen Monialium, quod ille in speciali per Bullas prædictas amisit, sine noua collatione illius regiminis. Consonant his, quæ tradit Nauarrus *tom.3. suorum operum ad cap. si quando, de rescriptis, in fine. in Actuario prælectionis illius à num 19. & seqq.* vbi loquens de regressu ad beneficium renunciatum *num.23.* ait per renuntiationem perdi titulum, & opus esse vt detur nouus titulus, iuxta capitulum *quam periculosum, 7. q. 1. & l. quæritur. §. si venditor. ff. de edict.* & sine titulo beneficium Ecclesiasticum obtineri non potest. Ergo adempta iurisdictione circa Moniales regendas ab Episcopo per Papam in illis citatis priuilegiis, necessarius est nouus titulus, seu noua commissio Papæ, vt Episcopus possit assume-

re

re ademptum regimen,& proinde non potuit illud licitè,nec validè acceptare de manu solius Commissarij generalis dimittentis. Neque vero epistola Regis nostri Catholici iubentis, vt Ordinarius acceptaret regimen dicti Conuentus, sufficiens fuit vt Ordinarius licitè acceptaret: nam Rex temporalis non habet, nec potest dare iurisdictionem super personas Religiosas, & Ecclesiasticas, quales sunt Moniales subiectæ immediatè Sedi Apostolicæ; & hoc ita verum est, vt quamuis Rex aliàs esset patronus illius Conuentus, adhuc illam iurisdictionem super Moniales dare non posset sine licentia Papæ:sicut beneficia quæ Rex præsentat tanquam patronus, non prosunt sine confirmatione Summi Pontificis.

7 Ad quartum quæsitum dico, potuisse valide prædictas Moniales appellare ad Patrem Generalem Ordinis à dicto Patre Commissario generali, ob factam dimissionem Ordinario: & hoc ex duobus capitibus. Primò, quia Commissarius generalis est inferior, & subditus Generali,vt diximus in tertio notabili:appellari autem potest ab inferiori ad superiorem. Adde quod Gregorius XIII. vt refert Capuccinus Sorbo *in Compendio,verb.*Appellare,assignans Fratribus Minoribus formam,& ordinem quo debebant appellare,dixit, appellandum illis esse à Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, &c. Et quamuis ibi non exprimat, à Commissario generali ad Generalem, res per se patens est, cum ab inferiori quocumque appellare liceat ad superiorem, sicut ab Episcopo ad Archiepiscopum. Secundo potuerunt appellare prædictæ Moniales. quia Conuentus, & proinde ipsæ erant grauatæ, & oppressæ, videlicet quia per talem dimissionem sibi adimebatur priuilegium exemptionis à

iurisdi

iurisdictione Ordinarij quo Conuentus fruebatur pacifice per tot annos: ademptio vero exemptionis istius erat notabile grauamen, & mutatio status earum, & Conuentus. Iam vero quilibet grauatus, & oppressus licitè potest appellare. Habetur expressè in capite *omnis oppressus* 2. *q.* 6. vbi sic habetur: *Omnis oppressus libere Sacerdotum (si voluerit) appellet iudicium, & à nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, & liberetur*: & habetur passim in titulo *de Appellationibus* in Decretalibus, & in 6. vbi passim ponuntur casus appellantium à grauamine. Imo pro bono communi istius Cõuentus poterant singulæ appellare; colligitur clare ex cap. *vt circa, de elect.* & ex cap. *qui contra, eod. tit.* vbi permittitur cuicumque appellare, seque opponere electioni indigni, vel electioni indebitæ, idque ob bonum commune Ecclesiæ; & ob bonum particulare redundans in ipsum appellantem, cui conuenit habere bonum Prælatum. Facit etiam ad hoc, quod ex iure ciuili quilibet, etiam extraneus, potest appellare pro damnato ad mortem, vt tradit *lex* Non tantum *ff.* de appellat. Idque potest etiam facere consanguineus damnati non habens procurationem illius. De quo Iulius Clarus *in pract. crim. quæst.* 94. *num.* 4.

8 His positis, argumenta in contrarium adducta sic soluentur. Ad primum concesso antecedente, quod scilicet Generalis Ordinis possit dimittere Conuentum vnum Ordinario cõcurrentibus circumstantiis dictis in illa concessione, neganda est consequentia, posse scilicet Commissarium Generalem dimittere Moniales istius Conuentus regimini Ordinarij. Ratio clarissima est: nam quando generalis dimittit illum Conuentum insalubrem, v.g. dimittit solum parietes, saxa, & situm, non vero dimittit, nec potest dimittere fratres

tres illius Conuentus Ordinario, quia non potest dare Ordinario iurisdictionem super fratres, quam Generalis habet à solo Papa: at in casu nostro agitur & supponitur de Commissario generali dimittente Ordinario non parietes, & saxa, vel situm Conuentus, sed de illo dimittente Ordinario Moniales quoad regimen, quod nec ipse Generalis facere posset ob dicta efficaciter in præcedentibus ex Bullis Summorum Pontificum, & ob textus Canonicos. Ad secundum, dicendum est illud fundari in authoritate Doctorũ, quæ est satis dubia, an videlicet possit Prælatus Regularis subdere suum subditum Episcopo pro foro interno, & in vno, vel altero tantum casu, vt vidimus superius in responsione ad primum quæsitum ex Sanchez *loco cit.* quin potius Doctores id concedentes tenent non posse vllo modo Prælatum Regularem suum subditum subdere Episcopo, quoad forum externum contentiosum: itaque antecedens illius argumenti secundi, est satis dubium, potestque negari cum tredecim Doctoribus citatis à Sanchez *dicto cap.* 39. *num.* 29. Respondeo secundo, ad idem argumentum secundum, dato antecedente, negando consequentiam. Nam quando Prælatus Regularis subdit subditum Episcopo pro absolutione tantum fori interni, id facit non ad semper, sed vna, vel altera vice; & per hoc non abdicat à se iurisdictionem spiritualem in totum, sed pro vna vice. At in nostro casu esset Commissarium generalem abdicare à se in perpetuum, & in totum iurisdictionem externi fori, quod est difficilius. Differunt enim valde iurisdictio externa, quæ dicitur contentiosa: & iurisdictio voluntaria, quæ fere est fori interni. Nam Prælatus extra suum territorium non potest vti in subditum iurisdictione externa, & contentiosa; licet possit

ibi

ibi vti cum illo iurisdictione voluntaria. Eodem modo, facilius Prælatus poterit cõcedere, vt subditus subdatur Episcopo in foro interno pro iurisdictione voluntaria, & hoc vna vice: quam subdere illum Episcopo quoad iurisdictionem contentiosam in perpetuum. Potest tertio ad idem secundum argumentum responderi concesso antecedente, quod scilicet possit Prælatus Regularis subdere subditum Episcopo pro foro interno modo prædicto, quia dantur aliqua motiua, & rationes id persuadentes adductæ à Sanch. *citato n.* 32. Negando tamen consequentiam, quod scilicet etiam possit sic illum subiicere Episcopo, quoad forum externum per totam vitam, quia sunt multæ Bullæ Pontificiæ, Canones, & rationes hanc subiectionem prohibentes, vt patet ex supradictis.

9 Ad tertium patet solutio ex dictis supra in responsione ad primum quæsitum ex Henriquez, & clarius id tradit Suarez *tom. de leg. lib.* 8. *cap.* 33. *à num.* 2. *& seqq.* videlicet non posse aliquem renuntiare suo priuilegio, quando tale priuilegium non conceditur illi ratione sui, sed in honorem status: dat vterque exemplum in clerico, qui non potest renuntiare priuilegio fori; tale enim priuilegium non fuit illi concessum immediatè ratione sui, sed in honorem status clericalis. Eodem modo hoc priuilegium gubernandi Moniales non est datum Commissario generali Ordinis ratione sui, sed in honorem Religionis Fratrum, & Monialium, & ad melius regimen ipsarum: vt suppono me aliàs probasse, ac proinde non poterat Commissarius prædictus tali suo priuilegio renuntiare. Respondetur secundo, potuisse Commissarium generalem illud priuilegium renunciare, sed id facere debuit coram Papa solum, non vero dando illud Ordinario,

natio, cui dare non poterat: & postquam remisisset renunciationem regiminis ad Papam, non debuit abstinere à regimine illarum donec sciret Papam Romæ acceptasse renuntiationem, cum constet in iure & praxi renuntiationem non valere donec acceptetur à potente acceptare. Respondetur tertio, non potuisse dictum Commissarium facere dictam renuntiationem, quia illud regimen Monialium, etiamsi aliquo modo sit priuilegium Papæ, tamen in rigore est mandatum Papæ, quo iussit has Moniales gubernari à Prælatis Minorum: patet ex verbis secundæ Bullæ Eugenij IV. supra citatis in responsione ad primum quæsitum. Vel in primo notabili positis, videlicet: *Per has sanctiones Apostolicas per vos (id est Prælatos Minorum) decernimus gubernari.* Vbi verbum *Decernimus*, non significat priuilegium voluntati commissum: sed significat mandatum, vt Doctores communiter explicant hoc verbum, *Decerno*; cum ergo mandato Papæ non possit renuntiari, non potuit dictus Commissarius renuntiare huic mandato Papali.

10 Ad quartum argumentum, dato quod Illustrissimi Cardinales ita declarauerint, posse Episcopum in illa occasione dare confessorem Monialibus exemptis: non dixerunt pro foro externo posse Episcopum exemptarum Monialium regimen externum assumere pro semper, hoc enim valde diuersum est à confessione sacramentali audienda, vt patet, & non sequitur; potest assignare confessorem, ergo potest illas regere, & gubernare. Ad primam confirmationem, & exemplum rei dimissæ à domino proprio, quam potest quisquis occupare pro derelicto: dico id intelligi quando ille dominus rei, est vere dominus illius, & potest illam absolutè dimittere: secus si illam habeat ex

commo

commodato, vel cum circumstantia prohibente alienationem, vel dimissionem, tunc enim si dimittat indebite, non poterit quilibet occupare. Quod applicans ad nostrum casum, dico, Commissarium generalem non habuisse hoc regimen tanquam dominum absolutum, ita vt posset illud libere donare, & dimittere cui voluerit, sed ita vt per se solum administret: ac proinde si indebite illud dimisit, dando id cui non poterat, nullus poterat acceptare rem alienam, sed pro illius regiminis acceptatione, & occupatione recurrendum fuit ad verum dominum, & collatorem illius, qui est solus Summus Pontifex. Ad secundam confirmationem ex Nauarro, dico primo, ad textum citatum facile vnamquamque rem, vel legem redire ad suam pristinam naturam, si tamen impedimentum non obstet: exemplum, à qua facile descendit. Ita in hoc casu, facile regimen Monialium rediret ad statum antiquum, vt per suos Episcopos regerentur, si non obstarent tot Bullæ Pontificiæ illas extrahentes ab illorum regimine, & tot textus, & rationes positæ supra contra hanc dimissionem indebitè factam: & proinde non potuit hic res, vel lex redire ad suam antiquam naturam, seu gubernationem Monialium per Episcopos. Addo quod Nauarrus non applicat illam legem, & textum, nisi solum vt probet, per Iubilæum posse Monialem confiteri sacramentaliter, clerico sæculari, sicut dicebat proximè citata *Declaratio Cardinalium*. Nihil vero ibi Nauarrus loquitur de foro externo circa Moniales, vel Religiosos. Et quidem quoad casum Nauarri, ego etiam id concederem, posse Religiosum per Iubilæum magnum, eligere confessorem approbatum etiam sæcularem, quia verba Iubilæi ampliſſima sunt, & vtplurimum nimis ad id inclinant: hoc tamen

quod

quod est recurrere ad iurisdictionem externam, & contentiosam, quod nimis odiosum est immutare, dico necessariam esse particularem commissionem illam potentis concedere ob satis dicta in præcedentibus.

CASVS XIII.

De Abbatissa inchoante annos quadraginta, non expletos.

CONcilium Tridentinum *sess. 25. cap. 7. de Regul.* præcipit vt eligenda in Abbatissam, vel Prælatam Monialium sit non minor annis quadraginta, cum aliis requisitis ibidem. Quæsitum fuit an quædam Monialis vnius Conuentus, quæ annum quadragesimum inchoauerat, sed non compleuerat, posset eligi in Abbatissam, cum in eodem Conuentu non deessent aliæ maiores quadraginta annis cum cæteris qualitatibus requisitis?

1 Credo quod dicta Monialis potest eligi, & confirmari in Abbatissam absque vlla dispensatione, & quod sufficiat annum quadragesimum inchoasse. Quam quæstionem licet apud nullum in particulari disputatam inuenerim, id colligo primo ex Azor. *tom. 1. Sum. lib. 5. c. 28.* §. Dubiæ est, vbi dicit, quod quando in aliqua Bulla, vel lege dicitur, quod ad tale officium debeat persona habere certos annos, & lex vtitur ablatiuo, dicendo in tertio, quarto, vel simili anno; tunc lex non petit annos completos, sed sufficit quod sint inchoati. Et citat ad hoc quandam glossam, & Sylvest.

At Tridentinum *citato cap.* loquens de ætate requisita in Abbatissa, vtitur ablatiuo, dicés: *Quod non sit minor quadraginta annis*; ergo nõ requirit completos, sed inchoatos. Et statim post, vtitur etiam ablatiuo, dicens; *Quæ octo annis post professionem laudabiliter vixerit.* Secundo, id probo ex Sylueſt. *verb.* tempus (qui locus non citatur ab Azorio) vbi Syluester citat Panormitanum in cap. *ad nostram, de Regular.* vbi ait, quod in dubio iuris an loquatur de annis completis, an inchoatis, quoad dignitates, in quibus fauor consideratur, quod annus incœptus habetur pro completo, secundum gloſſam ibi citatam à Panormit. Tertio, id probo ex eodem *cap. 7. Trident.* vbi ait, quod si defuerint Moniales quadraginta annorum, eligatur quæ annum trigesimum excesserit. In quibus verbis expressit quod trigesimus annus debet esse completus. Quod verbum, *Excesserit*, non apposuit Concilium, quando dixit requiri annum quadragesimum in eligenda Abbatissa: sed solum simpliciter dixit, quod non sit minor annis quadraginta. Et potest satis colligi ex mente Concilij; nam si ibi deficiente Moniali quadraginta annorum, dicit quod habeat saltem triginta annos, dispensans in decem annis, satis creditur illud dispensare in decem, vel sex mensibus in illa quæ habet quadraginta annos minus aliquot mensibus. Et potest confirmari ex eo quod tradit Nauarrus *lib. 3. consiliorum, tit. de Regul. consilio 75.* §. His non obstantibus, vbi citans legem quandam ait, quod quando lex habet duos sensus per quos potest explicari; tunc benignus intellectus est accipiendus. Cum ergo citata lex *Trident.* patiatur duos sensus, de anno completo, vel incompleto, benignior sensus de inchoato solum poterit acceptari, quod concordat cum dicto Panorm. proximè citati à

Sylue

Syluestro. Vltimo confirmo ex dicto communi Iuristarum dicentium vnam legem posse explicari per aliam legem, nam iura iuribus debent concordari. At constat in simili fere materia, quod in Clementina prima de statu Monach. agens ibi Papa de ætate, quam debet habere Religiosus, vt sit Prælatus alicuius Conuentus, & dicens debere esse viginti quinque annorum, ponit hæc verba: *Nisi annos vigesimum quintum attigerit.* Vbi non requirit annum vigintiquinque cópletum, sed inchoatum. Quod pari modo in Abbatissa poterit explicari, vt iura iuribus consonent. Si enim attigisse annos vigesimumquintum sufficit in viro vt sit Prælatus; sufficiet in fœmina excessus quindecim annorum, vel quatuordecim attingendo quadragesimum, vt possit esse Prælata vnius Conuentus.

2 Quæris. Monialis, nondum attringens quadraginta annos, bona fide, & ignoranter, imo putans se illos habere completos, fuit electa in Abbatissam: post electionem, constitit quod dictos quadraginta annos nó dum attigerat. An electio illa valida sit; an vero irritanda? Respondeo primo, Concilium ibi, licèt prohibeat eligi minorem 40. annis, non tamen irritat professionem. At constat quod multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent, vt iam diximus in præcedentibus, ex eodem Concilio, quod eadem *sess. c. 17.* prohibet ne Abbatissa ad professionẽ admittat Nouitiam antequam Episcopum moneat pro examine Nouitiæ faciendo: & tamen si Abbatissa secus faciat, professio erit valida, quia Concilium nó annullat professionem secus factam. Et iuxta ius antiquum, etiam in materia professionis, aliquid prohibitum non annullatum à lege, valebat, vt patet ex cap *ad Apostolicam, de Regul.* vbi dicitur quod licet professio prohibeatur fieri infrà

annum probationis; tamen si fieret, valida erat: quamuis id hodie correctum sit per Tridentinum eadem *sess. cap.* 15. extra vero illum casum, hodie per Tridentinum correctum, dicit ibi Papa Innoc. III. in textu, quod multa fieri prohibentur; quæ tamen facta obtinent. Et ibi glossa *ver.* obtinent, *cit. cap.* Nos nouimus 17. *quæst.* 2. & cap. si vir, 27. *dist.* & alium textum. Si vero obiicias quod factum contra legem pro infecto habetur, *l. non dubium, C. de legibus*, & Regula iuris *n.* 6. *de Regul. iuris, regul.* 64. Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi. Respondet Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 5. *n.* 4. in alia simili materia Tridentini, factum contra legem haberi pro infecto, quando lex statuit formam substantialem actus: secus quando ex lege colligitur, solam formam, & modum, vt rectè fiat, præscribi. In citato vero *cap.* 7. non videtur Tridentinum statuere formã substantialem electionis Abbatissæ: sed solum accidentalem, vt rectè fiat, id est, vt matura ætate, & commodior ad regimen eligatur. Nam substantialia, quæ spectant ad electionis formam, traduntur à gloss. in c. *Quia propter, de elect. verb.* senior. Videlicet vt secretè suffragia recipiantur; vt sit libera, & electus habeat excessum suffragiorum, & alia ibidem: quæ tamen in Tridentino non recensentur pro electione Abbatissæ, sed ætatis tempus quod non videtur de substantia electionis. Et proinde videtur quod facta electio de qua agimus, quamtumcumque prohibita, erit tamen valida. Addo quod ibi Tridentinum, non apponit verbum *Nullatenus*, aut verbum, *Omnino*, quæ duo verba apposita in lege, annullant factum in contrarium, etiam si lex non apponit verbum annullans, aut irritans, vt probat Sanch. *lib.* 1. *de Matrim. disp.* 32. *num.* 6. & *lib.* 6. *disp.* 32. *num.* 7. sed simpliciter,

ter,& nude ait Tridentinum: non eligatur minor annis quadraginta.

3 Ego casum apud nullum in particulari decisum inuenio. Deducendo vero dubium ex doctrina communi Doctorum inuenio ad intentum, dictum Syluestri verb. *alienatio*, *num.* 13. vbi dicit, quod quando lex aliquid aliàs iure naturæ licitum irritat propter defectum solemnitatis præscriptis iure tantum positiuo; si ipsum fiat, validum esse in foro conscientiæ donec rescindatur in foro externo. Ponit exemplum in electione, in qua si concurrant essentialia electionis, qualis est maior pars electorum consentientium, &c. quæ de iure naturæ requiruntur ad electionem; si aliàs electio claudicet ex defectu alicuius solemnitatis præceptæ à iure positiuo, electus securus est in conscientia, nec tenetur renuntiare, antequam electio irritetur in foro externo. Syluestrum sequitur Reginaldus *tom.* 1. *Sum. lib.* 13. *c.* 18. *n.* 183. At, sicut diximus, Tridentinum non annullat *citato cap.* 7. electionem Abbatissæ carentis 40. annis. Nec Reginald. *citato loc. num.* 184. in casibus quos ibi assignat, aliquid dicit, quod huic nostræ doctrinæ contradicat. Ergo rem non definio: sufficiat attigisse conducentia pro dubij resolutione. Dixi tamen, si talis electio fiat bona fide: nam si scienter Monialis minor 40. annis consentiat se eligi, vel Prælatus illam confirmet scienter, ad minus peccabunt mortaliter, cum legem communem Ecclesiæ violent, & in re grauissima.

CASVS XIV.

De electione Abbatissæ facta voce tenus, non per schedulas secretas.

QVidam Prælatus Regularis fecit electionem Abbatissæ ad crates oretenus, non recipiendo suffragia Monialium in schedulis obsignatis. Dubitatum fuit an talis electio valida fuerit. Et videtur quod non: nã in c. *Quia propter, de elect.* vbi assignatur forma substantialis seruanda in electionibus, teste glossa *ibidem, verb.* Sanior, iubet Papa vt vota recipiantur per scriptum. Sic enim habetur in textu: *Assumantur tres de collegio, qui secretè, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirat, & in scriptis redacta mox publicẽt* Quibus verbis videtur præcipi quod vota dentur in scriptis, id est, schedulis obsignatis. Cui textui forte inhærens Concilium Tridentinum *sess... cap. 6. de Regul.* præcipit, vt omnis electio Abbatum Generalium, & Abbatissarum, *Fiat per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Ex quibus duobus textibus, Ecclesiæ vsus obtinuit, vt omnes electiones Prælatorum, & Prælatarum fiant per schedulas scriptas, & obsignatas: quod cum non fuerit seruatum in ista electione, videtur firmitate caruisse.

1 Dico nihilominus talem electionem fuisse validam, si aliàs cætera necessaria concurrerunt. Probo ex eodem Concilio Tridentino *ead. sess. c. 7.* vbi expressè dicit: *Posse Episcopum, siue alium Superiorem ante cancellorum fenestellã vota singularũ audire, id est Monialium.* In quibus verbis duo considero, primum est verbum,

bum, *siue alius Superior.* Vbi id non solum concedit Episcopo, quoad Moniales sibi subiectas: sed etiã cuiuis alteri Superiori, qui non est alius nisi Prælatus Regularis in Monialibus sibi subditis. Secundum verbum quod considero, est, *vota audiant.* Audire enim est per aures percipere, non scripto recipere: verba enim legis sunt accipienda in proprio, & vsitato sensu: si ergo Episcopus, vel quiuis Superior potest per solum auditum vota Monialium ore tenus in electione Prælatæ recipere, valida fuit ista electio, de qua quæritur. Et ad tollendam omnem dubitationem, Marzilla *ad citatum cap. 6 sess. 25. Trid.* citat declarationem Cardinalium in hunc modum: *In electione Abbatissarum vota oretenus accipi possunt à Superioribus cum duobus testibus.* Eandem Declarationem in terminis citat Farinacius *in libro Declarationum Cardinalium ad cit. cap 6. Trident.*

2 Neque obstant citata ex cap. *Quia propter, de electio.* nec citata ex cap. *6. eiusdem Trident.* Nam citatum c. *Quia propter,* cum iubet suffragia electorum redigi in scripto, non vult quod electores suum suffragium dent per scriptum, vel schedulas obsignatas: sed solum vult quod tres illi de Capitulo electi, vota secreta audita ab eligentibus in scripto redigant, & scribant, vt postea certo constet de numero suffragantiũ, nec possit de illo oriri confusio: & hæc votorum auditio, & scriptio vult quod fiat secretè; & patet ex verbis textus ibi: *Vota exquirant.* Id est, quærant ab electoribus, cui dent suffragium, & illud scribant. Talis enim voti exquisitio non requirit schedulas obsignatas, sed per contationem verbalem in secreto. Eodem modo intelligendum est Concilium Tridentinum priori loco citatum, videlicet *in cap. 6.* quando dicit electionem Generalium, & Abbatissarum faciendam esse per vota secreta. Impri-

mis enim nõ dicit quod fiat per schedulas obsignatas, sed per vota secreta. Vota autem vocaliter tantùm data sine scripto coram tribus illis Notario, & testibus data, sunt secreta, & manent secreta: nam quod fit à tribus tantum vel quatuor, dicitur secretum, antequam diuulgetur & publicetur, vt tradit Nauarr. *in Summ. cap.* 18. *n.* 52. citans D. Thom. Scotum, & Caietan. & tenet Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. disp.* 37. *n.* 11. *in fin.* Mens ergo Tridentini præcipientis vt electio Superiorum, & Abbatissarum fiat per vota secreta, teste Nauarro *in consil.* 4. *de elect. n.* 4. solum fuit, statuere, vt capitula facerent elections secreto, in hunc sensum; quod non permittant fieri aliquid ex quo publicari possint nomina eligentium, & si tale quid permiserint, electio non valeat. Sic Nauarr. *citato consil.*

3 Dicis, si hoc ita est. Ergo si hodie fiat electio Prouincialis, v.g. sine schedulis obsignatis, valebit electio contra receptam consuetudinem? Respondeo, saluo meliori iudicio, fore electionem validam, si aliàs seruentur supradicta essentialia, vt scilicet vota secreto recipiantur à tribus assignatis, & scripto redigantur, & nomina eligentium non publicentur. Nam vt vidimus, neque cap. *Quia propter*, nec Tridentinum petunt vt electores dent suffragia per schedulas obsignatas, & sic talis electio ex hoc capite non claudicaret: posset tamen talis electio argui, quod fieret contra consuetudinem sine schedulis, vel contra statutum præcipiens fieri per schedulas. Tale vero statutum non posset irritare electionem factam sine schedulis, cum illam Ecclesia non annullet in duobus citatis locis: & Religio non potest facere statutum annullans electionem, in qua concurrunt omnia requisita ex iure naturali, & quam Ecclesia non annullat.

4 Tota

4 Tota vero dubitatio eſt circa Ordinem Minorum, & electiones in illo faciendas. Nam Sixtus V. *in Bulla*, qua confirmauit ſtatuta generalia Fratrum Minorum facta an. 1587 quæ habetur *in lib. ſtatutorum* Rebolledi, *fol.* 184. *pag.* 2. poſt confirmationem dictorum ſtatutorum, Papa ex ſe ibi duo addidit. Primum, *Quod Abbatiſſæ durent per ſolum triẽnium.* Secundum, *Quod electiones Superiorũ, vel Officialiũ, quæ per fratres celebrari debent, fiant per ſchedulas obſignatas.* Et poſt hæc addit, irritum fore & inane quidquid per quamcumque perſonam in contrarium fuerit attentatum. Vbi vides pro Ordine Minorum præcipi, vt omnes electiones fiant per ſchedulas obſignatas, & non voce tenus.

5 Circa hanc Bullam, & mandatum, ego dico imprimis in Ordine Minorum electiones Fratrum, in quibus eligendi ſunt Prælati Ordinis, vt Generalis, Prouincialis, &c. electiones faciendas eſſe per ſchedulas obſignatas, vt ibi Papa exprimit, & ita praxis obſeruat; idque non obſtante quod ſupra dixi circa alias Religiones. Potuit vero, & voluit Papa in Ordine noſtro reſtringere, vt electiones non ſolum fiant ſecreto, iuxta Tridentinum citatum, ſed etiam fierent per ſchedulas obſignatas, idque ad maius ſecretum, & pacem conſeruandam, ita vt nec tres illi teſtes. qui vota excipiunt, & examinant, ſciant pro quo ſuffragium ferat quicumque Religioſus. Si vero in prædicto Ordine Minorum electio Prælatorum non fiat per ſchedulas obſignatas, electio erit nulla, propter clauſulam annullatiuam ſtatim poſitam à Papa. Aliæ Religiones viderint quid ſpeciale circa hoc habeant, & ſic obſeruent.

6 Dico ſecundo. In eodem Ordine Minorum, hodie non obſtante illa Bulla Sixti V. electionem Abbatiſſæ factam ad crates oretenus, ſine ſchedulis à Prouinciali

Minorita, fore validam. Probo clare ex verbis ipſius Bullæ, cum loquitur de electionibus: primo enim ponit, *Superiorum*. Iam vero per Superiores non intelliguntur Abbatiſſæ, ſed Prælati ſuperiores Fratrum. Secundo, conſidero verbum, *Officialium*, ibi poſitum, quod non poteſt ſignificare Officiales Monialium, Vicariam, Ianitricem, Magiſtram Nouitiarum, & ſimiles: hæ enim nullibi apud Moniales eliguntur per ſchedulas, imo neque per totam communitatem. Tertio, conſidero verbum poſitum ibi: in electionibus *per fratres faciendis*, id eſt, quæ per ſuffragia Fratrum debent fieri, vt Prælati eligantur. At quando Abbatiſſa eligitur, non fit per Fratres ſuffragia dantes, ſed per Prælatum aſſiſtentem, & præſidentem electioni, vt patet, ergo in illa clauſula de electionibus, *per ſchedulas faciendas*, non loquitur Papa de electionibus, per quas eligendæ ſunt Abbatiſſæ: ſed de illis, in quibus debent eligi Prælati Fratrum Minorum. Vltimo probo, quia Tridentinum, vt ſupra vidimus, clarè, & expreſsè concedit *cap.* 7. vt ſuperiores poſſint eligere Abbatiſſam ad crates, oretenus vota audiendo, & proinde ſine ſchedulis: at Sixtus V. non dicit ſe reuocare in hoc Concilium Tridentinum, cum oporteret id exprimere ſi reuocare intenderet: ergo reliquit Concilium Tridentinum quoad hoc in ſuo robore, & firmitate. Nunquam enim Sum. Pontifices intelliguntur derogare in ſuis Bullis vllo Concilio generali per reuocatorias generales niſi illud exprimant. Imo idem Papa paulo ante in confirmatione dictorum ſtatutorum dicit ſe illa confirmare quatenus ſunt licita, & honeſta, & non contradicunt ſacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini.

CASVS

CASVS XV.

De quibuſdam Monialibus tranſlatis ſine licentia Epiſcopi ſui Prælati.

IN vno oppido, vel loco Inſulæ Angræ, quidã Conuentus Monialium ſanctæ Claræ ſubditarum Epiſcopo Ordinario, per ruinam, ac terræmotum corruit à fundamentis: Moniales habuerunt tempus commodum fugiendi, & ciuitatem adeuntes conſtitutæ ſunt ab Epiſcopo ſuo Prælato in domibus quibuſdam ſæcularibus non bene commodis ad clauſuram. Interim dum Monaſterium antiquum reædificabatur, ſcientes quod Epiſcopus ſuus Prælatus nolebat eas redire ad antiquum Conuentum reædificatum, impetrarũt Bullam à Summo Pontifice, vt vbi primum nouus Conuentus haberet ædificia, ac officinas commodas ad Monialium habitationem, ſtatim illæ ad illud redirent: & huius Bullæ executionem commiſit eidem Epiſcopo ſuo Prælato. Cum verò per tempus iam nouus Conuentus haberet officinas commodas ad illarum habitationem, & Epiſcopus executionem differret, imo ſuſpicio eſſet, quod id impediret propter particulare ſuum intentum: illæ Epiſcopum quaſi recuſarunt, vt ſuſpectum, & ipſe Epiſcopus cauſam recuſationis Regi noſtro Catholico remiſit. Rex per ſuos Miniſtros iuſtitiæ ſæcularis in inſula mandauit vt Moniales deferrentur ad ſuum antiquum Monaſterium reædificatum. Ex vi iſtius mandati ſolius, aliquæ, ſeu maior pars communitatis exiuit à clauſura, in qua illas Epiſcopus ſuus Prælatus poſuerat: & exierunt clanculum

culum sine ipsius Episcopi licentia : & contradicente Prælata ipsarum ibidem existente ; & regressæ sunt ad suum antiquum Conuentum via recta,cum omni possibili decentia. Aliquæ remanserunt nolentes redire, quæ discedentes variis molestiis afficiebant eo quod abirent , imo persuadebant ne ad antiquum Conuentum redirent.

Quæsitum fuit an istæ sic redeuntes ad antiquum Conuentum incurrerint aliquam censuram , eo quod violauerint clausuram,& ab illa exierint absque licentia Episcopi sui Prælati ? De hoc enim postea fuerunt redargutæ , & fere accusatæ coram Collectore Apostolico.

1 Antequam respondeam ad principale quæsitum, dico has Moniales potuisse reuertere ad suum antiquum Conuentum reædificatum absque impetratione nouæ Bullæ, vel licentiæ Sum. Pontificis ; ad quod probandum,vltra illa quæ mox dicam ex Regula ipsarum,facit ipsamet Bulla denuò impetrata ad reuertendũm. Nam in ipsius narratiua, ait Papa : *Eo quod ipsæ Moniales redire nolunt absque mãdato nouo Sedis Apostolicæ.* Non ait Papa , quod non possent Moniales regredi absque nouo mandato:sed quod nollent. Sæpius enim Breuia Apostolica,& dispensationes Papales petuntur, non pro necessitate , sed pro securitate ad tollendos scrupulos. Et hanc licentiam redeundi impetrarunt per interces sionem Regis Catholici, quia fortè timebãt Episcopum suum Prælatum talem regressum impedire , vel dissuadere. Et confirmatur , nam Moniales alterius similis Conuentus qui cum eodem terræmotu corruerat,& ad similes domos cõductas se receperant,vbi primum illarum Conuentus reædificatus est, ad illum se receperunt, nulla denuò impetrata

Pontificis

Pontificis conceſſione. Et quod ſæpius Summi Pontifices Bullas concedant non pro neceſſitate, ſed pro tollendis ſcrupulis, tradit Nauarr. *lib.3. conſil. tit. de Regul. num.5.* §. ad poſterius.

2 Secundo aduerto, Concilium Tridentinum, quando excommunicat Moniales exeuntes à clauſura *ſeſſ. 25. cap.5. de Regular.* illas ſolum excommunicat, quæ exeunt ſine licentia ſuperioris, & ſine cauſa, vt videri poteſt ibi in textu. Et Pius V. in ſuo motu proprio, qui incipit *Decori*, pro eodem fine, eaſdem conditiones requirit, vt ibidem videri poterit. Et præterea eſt concors Doctorum ſententia quod excommunicatio non incurritur niſi ob peccatum mortale, & contumaciam.

3 Hoc poſito reſolutè dico: prædictas Moniales ſic exeuntes à clauſura illis aſſignata per ſuum Epiſcopum, non incurriſſe excommunicationem eo quod exierint ſine licentia ſui Prælati, imo illo contradicente. Probo hoc primo ex Regula iſtorũ Monialium, in cuius *cap.*2. Vrbanus IV. dicit, quod prædictæ Moniales poterunt exire à clauſura occurrente ineuitabili neceſſitate: (qualis antea his Monialibus contigit) & exeuntes recipiantur ad locum commodum, quouſque eis de Monaſterio ſit prouiſum. Nota iſta verba, *Quo vſque*, quæ denotant limitatum tempus quo debent manere extra Conuentum priorem; videlicet, quoad vſque illis ſit prouiſum de Monaſterio. Reſtaurato verò priore, vel alio æquiualente, clarè innuit, quod debeant regredi ad illud. Et ſic Papa non ſolum illis concedit, vt exeant ſtante neceſſitate ineuitabili, ſed etiam iubet, vt data commoditate Monaſterij, regrediantur ad illud. In hoc vero caſu iam hæ Moniales habebant Monaſterium commodum, ad quod regrederen

grederentur: ergo non indigebant licentia Episcopi ad exeundum, cum haberent mandatum Papæ, vt ad iam paratum Conuentum exirent. Et quod hæc licentia Regulæ ad redeundum ad antiquam clausuram, non sit reuocata per Tridentinum, nec per Bullam citatam Pij V. probat Miranda in expositione Regulæ prædictæ *ad c* 2. §. solo resta, *fol.* 8. & probari etiam potest ex traditis à Nauarro *citato consilio* 98. *n.* 3. Cum ergo exierint cum licentia Papæ, ac suæ Regulæ, nullam incurrerunt censuram. Confirmatur hoc exemplo temporum nostrorum. Nam tempore quo classis Anglicana tentauit Olyssiponem terra, marique obsidere, multæ Moniales Conuentuum extra muros ad partes transtaganas confugerunt: quæ tamen cessante, & recedente obsidione vrbis ad suos antiquos Conuentus sunt regressæ nulla alia petita licentia suorum Prælatorum. Confirmatur adhuc exemplo quotidiano. Quando subditus alicuius Prælati de illius licentia exit à Conuentu cum tempore assignato ad extramanendum; si subditus extramaneat aliquos dies extra tempus assignatum, peccat, & punitur, vt patet: ergo cum hæ Moniales per suã Regulam habuerint licentiam in hoc casu exeundi à clausura, solum, & limitatè, vsque dum haberent commodum Monasterium: constat, quod vbi primum illud commodum habuerunt, peccarent mortaliter, si non regrederentur.

4 Secundò, principaliter illud probo exẽplo à simili posito à Rodrig. *tom* 2. *qq. q.* 62. *art.* 19. vbi resoluit, quod si in vno populo Vicarius generalis impediat ne habeatur prædicatio ad populũ in diebus Dominicis, vel solemnibus: & iudex sæcularis è contrario præcipiat, vt habeatur sermo ad populum, standum est mandato iudicis sæcularis, non autem Vicarij, quia tunc iudex

dex sæcularis agit pro executione Concilij Tridentini præcipiẽtis vt talibus diebus prædicetur ad populum. Hoc idem suo modo contingit in nostro casu. Episcopus impediebat redire has Moniales ad suam antiquã clausuram præceptam à sua Regula, & Tridentino: Minister Regius, & prætor ciuitatis, Ordine sibi dato à Rege, illas eduxit ex domibus illis conductis ad clausuram iam paratam: in hoc casu non erat parendum Episcopo, sed prætori, ac Ministro Regis procurantis vt impleretur præceptum Tridentini circa Monialium clausuram, & præceptum Papæ positum in Regula ipsarum de regressu ad antiquam clausuram: maximéque hoc poterat Regius Minister procurare, quãdo Concilium Trident. *cit. c. 5. de Regular. sess. 25.* Regibus, ac Principibus sæcularibus iniungit curam faciendi seruare clausuram in Conuentibus Monialium. Cum ergo in hoc casu Rex interuenerit primo procurando à Papa Bullam, per quam illæ regrederentur ad antiquum Monasterium: secundo exequendo prædictum reditum per prætorem suum Regium, non temerè, nec illicitè fecerunt Moniales reuertendo ad antiquam clausuram, concedente Papa, exequente Rege, etiamsi proprius Episcopus contradiceret, vel ob suum propriũ interesse, vel suam dilationem, & etiam contradicente Prælata ipsius Conuentus, prout fertur contradixisse. Confirmatur adhuc hoc ipsum ex multis textibus citatis à Rodriguez *in dict. art. 19.* ad marginem, quibus probatur teneri Reges executioni mandare Apostolica mandata tanquam Ecclesiæ defensores, iuxta cap. *Administratores 27. q. 5. &* cap. *Tributum, 23. quæst. 8.* & hoc specialiter quando Prælati particulares negligentes fuerint in eisdem mandatis Apostolicis exequendis: nam tunc poterit Rex Prælatorum

torum negligentiam ſupplere, vt poteſt etiam clarè videri in Decretalibus toto titulo de ſupplenda negligentia Prælatorum. Et in particulari Rex noſter in hoc caſu habebat mandatum à Concilio Tridentino procurandi vt Monialium clauſura ſeruaretur, quæ in domibus conductis iſtarum Monialium periclitabatur, vt dicitur.

5 Tertiò principaliter probatur à ſimili *ex cap. licet, de Regular.* vbi Papa Innocent. III. ait, quod Religioſus, qui zelo melioris vitæ voluerit transferri de vna Religione laxiori ad aliam ſtrictiorem, petat primo licentiam à ſuo ſuperiore, cui ſuperiori Papa commendat vt illam det. Et quando Prælatus denegauerit, concedit Papa vt Religioſus ad illam ſtrictiorem Religionem ſe transferat etiam non obtenta tali licentia iam petita: quia in tali caſu iam hoc facit de licentia Papæ: & cauſam ibi aſſignat Summus Pontifex. Nam priuilegium meretur amittere, qui ſibi conceſſa abutitur poteſtate. Quæ optimè applicantur ad intentum. Nam hæ Moniales exiſtentes in laxiori, & periculoſa clauſura, petierunt licentiam à ſuo Epiſcopo, & à ſua Prælata eundi ad arctiorem, & ſecuriorem ſuam clauſuram iam paratam: Epiſcopus, & Prælata denegarunt: ergo iam licitè exierunt cum licentia Papæ, & Regulæ ſuæ, vt in præcedentibus manet explicatum. Et hoc maximè locum habet, quando in hoc caſu Epiſcopus, vt fertur, iam viderat, & approbauerat ædificium, & officinas noui Conuentus, illas iudicans aptas ad clauſuram: & proinde ſine cauſa videtur negaſſe licentiam tranſlationis.

6 Quartò, quia ſi hæ Moniales ſic exeuntes incurrerunt excommunicationem, etiam illam incurrerunt prætor Regius, Religioſi, & ſæculares nobiles eaſdem

tunc

tunc comitantes : nam Bulla Pij V. hos omnes comitantes,& fauentes excommunicat. At Episcopus nullum horum pto tunc censuit excommunicatum : ergo nec Moniales exeuntes tali censura innodatæ fuerunt. Facit etiam ad hunc exitum reuelandum à culpa, id quod dicitur, has Moniales exeuntes multis vexationibus afflictas antea fuisse ob hanc causam ab aliis exire nolentibus:nam vt ait Rodriquez *tom.1.qq. Regul.quæst.30.art.2.* si Religiosus in aliquo Conuentu afficitur notabili grauamine iniustè, & ad vitandum tale grauamen, exit, & recurrit ad superiorem Prælatum, non peccat, & non est apostata,quia redimit suam vexationem: & est ferè communis recentiorum opinio,

7 Quintò. Ad excusandas has Moniales à censura facit, quod illæ bona fide fecerunt, putantes se ad id teneri; & fecerunt ob mandatum Regis exequentis mandatum Papæ : & proinde non peccarunt mortaliter. Vbi vero non est peccatum mortale, nulla incurritur excommunicatio, vt communis Theologorum sententia testatur.Et ex superabundantia videri adhuc potest Sanch. *1.tom.Decalogi,lib.1.cap.10.n.42.52.* vbi cum multis Doctoribus citatis, dicit quod in dubio facti non est censendus excommunicatus, qui aliquid fecit apparens contra legem At in isto casu saltem est dubium facti; videlicet, an hoc factum, sic factum à Monialibus, fuerit factum contra legem clausuræ. Et nos probauimus non fuisse factum contra legem, imo factum fuisse secundum legem Regulæ suæ, Tridentini,& Bullam Pij V.

8 Hinc sequitur prædictas Moniales sic exeuntes non fuisse absoluendas etiam nec ad cautelam : nam absolutio ad cautelam non solet dari, nisi quandoest

grauis suspicio, quando censura fuerit incursa: in hoc vero casu non potest esse grauis suspicio quod incurrerint. Quod etiam probatur ex praxi Tribunalis sancti Officij, in quo teste Penha in suo directorio à *fol.* 486. *& seqq.* non absoluuntur à censura hæresis, qui sunt de illa suspecti, leuiter, vel vehementer solum: sed illi qui sunt de hæresi suspecti per præsumptionem violentam. In hoc verò casu non fuit violenta, nec vehemens præsumptio contra has Moniales, imo nec leuis suspicio quod censuram incurrerint ob tot probationes adductas: ergo non indiguerunt absolutione ad cautelam. Et confirmatur, quia violatio clausuræ est exire à clausura ad non clausuram, vt patet: at istæ Moniales exierunt à non clausura, id est domibus sæcularibus, ad clausuram iam approbatam ab eodem suo Episcopo, qui officinas noui Conuentus approbauerat: quod si ille licentiam petitam negauit, facit optimè, & vltimo pro Monialibus excusandis casus in cap. 1. de supplenda negligentia Prælatorum, vbi Papa concedit Religiosis Cistercienſibus, quod si illi vocauerint Episcopum Diœcesanum, vt accedat ad illorum Ecclesiam consecrandam, & Episcopus ter rogatus non venerit, tunc Prior Conuentus Ecclesiam consecrare poterit, cum aliàs de iure non posset. Et notat ibi glossa *verb.* aliam, id Papam commisisse Priori in odium Episcoporum, ne propterea Monasteria paterentur detrimentum in spiritualibus, & in aliis. Quod etiam potest applicari ad nostrum casum, in quo Moniales ob petitam licentiam ab Episcopo reuertendi, & negatam, patiebantur periculum in spiritualibus, & temporalibus ob incommodas domus, à quibus exiuerunt.

9 Vnum tantum restat argumentum pro maiori claritater

ritate, quod est huiusmodi. Constat ex praxi, & Doctoribus recentioribus, quod quando Papa committit alicui Episcopo vt dispenset in certa causa, v.g. in impedimento matrimonij, facto prius examine narrationis factæ coram Summo Pontifice, persona quæ dispensationem petit, licet talem delegationem factam Episcopo inpetrauerit, non manet secura, nec dispensata, quod vsque Episcopus causa cognita sententiam proferat, & concessionem Apostolicam executioni mandet. Nam, ante talem concessionem gratia Papalis nondum est facta, sed fienda. De quo inter alios vide Sanchez *lib.8.de Matrim. disput.25. num.8.* sed nostro casu, Papa per Bullam suam delegauit Episcopo regressum, & translationem harum Monialium ad antiquum Conuentum: & Episcopus executor Bullæ nondum sententiam tulerat, nec Bullam executioni dederat; imo negauerat licentiam: ergo non videntur Moniales securè fecisse transitum antequam Episcopus Bullæ executor, & delegatus Papæ licentiam concederet, & Bullam executioni mandaret. Ad hoc argumentum dico, disparem valde esse rationem in petente à Papa dispensationem in impedimento matrimonij, & in istis Monialibus, quando petierunt à Papa licentiam reuertendi ad nouum Monasterium. Nam petens à Papa dispensationem impedimenti matrimonij, petit illud pro necessitate omnimoda, quia si talis dispensatio non interueniat, peccabit mortaliter contrahendo: & ideo si contrahat antequam Episcopus expediat literas Apostolicas, & peccat, & nulliter facit, quia nondum habet licentiam ad contrahendum. At quando Moniales istæ petierunt nouam licentiam à Papa regrediendi, non petierunt illam pro necessitate, sed pro tollendis scrupulis, vt supra diximus, & vt per

Breue Apoſtolicum Epiſcopus ſuus renuens, moueretur ad talem licentiam concedendam. Quamuis ergo Epiſcopus nondum Bullam Apoſtolicam expedierit, nec executioni mandauerit, illæ reuertentes non fecerunt id abſque licentia Papæ, iam enim hanc habebant ex Papa Vrbano, qui vt diximus *in cap.2. Regulæ*, illas obligat ad regreſſum ad antiquum Monaſterium ceſſante neceſſitate ob quam exierant. Et Epiſcopo indebitè negante regreſſum poterat Epiicheia interpretari licitum eſſe regreſſum ob tot, ac tantas, & efficaces rationes pro Monialibus in præcedentibus adductas,

CASVS XVI.

De congregatione quorumdam hominum ſub forma Tertiariorum P.noſtri Franciſci.

IN Inſula Angræ, duo Sacerdotes ſe receperunt ad quandam ſacram ædiculam, ſiue oratorium in campo. Ibi exiſtentes cœperunt ſibi alios aggregare vſque ad numerum duodenarium, & cœperunt viuere ſub titulo Tertiariorum D. Franciſci, cum habitu & veſte diſtincto, non omnino Religioſo, ſed honeſto in colore fuſco, qui Luſitanè dicitur (pardo) non cum cucullo, nec cum mantello Religioſo; ſed cum pallio ſæculari, qui dicitur (ferragoilo) eiuſdem coloris honeſti. Hoc inſtitutum dixerunt ſe incœpiſſe de licentia Prouincialis Tertiariorum, qui in Portugallia viuunt in congregatione ex approbatione Sedis Apoſtolicæ. Quo non obſtante in eadem Inſula dederunt obedien-

tiam

tiam prælato Ordinis Minorum de Obſeruantia, qui in illa Inſula vocatur Cuſtos Conuentuum Obſeruantiæ, poſtea dederunt obedientiam Epiſcopo illius Inſulæ. Sic continuantes recipiunt Nouitios cum anno Nouitiatus: quo finito admittunt illos ad tria vota ſolemnia, ſicut fieri ſolet in omnibus aliis Religionibus. His ſuppoſitis, exorta ſunt multa dubia, quorum reſolutio non ſolum inuabit ad præſentem caſum, ſed alios ſimiles viuentium in congregatione ſiue ſint fœminæ, ſiue maſculi.

1 Et antequam per concluſiones reſpondeam: ſuppono quod in Ordine Minorum tres ſunt claſſes Tertiariorum. Primus eſt, quem inſtituit P.N. Franciſcus, qui non emittunt tria vota eſſentialia, ſed ſolum ſe obligant ad ſeruanda decem mandata Decalogi, manentes in domibus ſuis, ſiue ſint vxorati, ſiue cælibes. Et hi propriè non ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ exemptæ, ſicut ait Collector priuilegiorum Mendicantium, & Rodrig. mox citandi. Secunda claſſis eſt illorum, qui viuunt in congregatione, & emittunt tria vota eſſentialia in manu Prælati, iuxta Regulam illis præſcriptam à Leone X. quorum multi Conuentus, & Prouinciæ ſunt in Hiſpania, & præcipuè in Portugallia, Olyſſipone, Viennæ, Vimierio, &c. Hi autem ſunt veri Religioſi, & perſonæ Eccleſiaſticæ exemptæ, & gaudent priuilegiis conceſſis Fratribus Minorum de Obſeruantia. Tertia claſſis Tertiariorum eſt eorum, qui viuunt in aliqua heremo, vel aliqua Eccleſia, ſed non emittunt vota, nec profeſſionem; ſed receperunt habitum Tertiariorum de manu alicuius Religioſi Franciſcani, vel illi per ſe illum aſſumpſerunt. Et hi nullo modo ſunt Tertiarij vere, ſed fictitie. Hæc omnia traduntur in terminis à Collectore priuilegiorum Men-

dicantium, qui fuit vir doctissimus, in compendio *verb.* Tertiarij Fratres, statim post §.25. *& seqq.* & Rodriguez *tom.3.qq.Regul.quæst.72.art.1.* Quo supposito, Elicio sequentes conclusiones.

2 Prima conclusio. Hi Tertiarij illicitè, & iniustè omnino fecerunt post datam obedientiam Prouinciali Tertiariorum Olyssipone, subiiciendo se secundo Prælato Minorum Obseruantiæ in Insula Custodi vocato: imo & post datam obedientiam prædicto Custodi, iniquius fecerunt subiiciendo se Episcopo, constat clarè: quia subditus vnius Prælati non potest se subtrahere ad libitum ab obedientia huius Prælati; id enim imprimis maximam in Ecclesia Dei causaret confusionem, & præterea speciem haberet furti, & grauaminis notabilis, quod fit illi Prælato à cuius obedienta subtrahitur, & in hoc casu potest habere locum dictum D. Gregorij in Epistola ad Venantium Monachum apostatam, in qua dicit illum per apostasiam, non subtraxisse numos pecuniarios, sed subtraxisse se Deo, & Ordini cui se deuouerat. Hinc colligitur non potuisse licitè Episcopum Angrensem horum obedientiam tertio acceptasse, si sciebat illos antea duobus Prælatis Regularibus fuisse subiectos.

3 Secunda conclusio. Hi Tertiarij supposito quod viuunt hodie in congregatione cum tribus votis solemnibus, non possunt obedire Episcopo, sed tenentur obedire Generali, & Commissario generali Ordinis Minorum, & illi prouinciali Tertiariorum Portugalliæ, qui illos primo recepit, vnde non possunt obedire Episcopo. Probatur clare ex Bulla Pij V. posita in Bullario Rodrig. *fol.671.* in qua Papa prædictus primo facit subditos Generali, & Commissario generali Ordinis

nis Minorum omnes Tertiarios viuentes in congregatione cum tribus votis solemnibus: & statim post idem Summus Pontifex præcipit eisdem Tertiariis in virtute S.obedientiæ, vt obediant prædictis Prælatis Minorum de Obseruantia. Idem præceperat antea Sixtus IV.cuius verba refert Rodrig.*cit.quæst.72.art.1.concl.3.* Cum ergo Summi Pontifices iubeant, vt Tertiarij viuentes in congregatione obediant Prælatis Ordinis Minorum, non possunt isti obedire Episcopo, à cuius iurisdictione Ecclesia illos eximit, & Prælatis Minorum subdit.Constat idem ex Papa Leone X.qui statuit Regulam pro Tertiariis viuentibus in congregatione cum votis solemnibus, quæ habetur in Capuccino *in fine Compend.fol.43.*In cuius Regulæ *cap.5.* dicit Papa quod obedient Prælatis localibus Minorum.Vltra hæc vero trium Pontificum decreta, constat iam de possessione:nam vt dicitur in informatione,iam in principio Prælatis Minorum possederunt obedientiam fundatorum duorum istius Conuentus:ac proinde ratione saltem contractus non potuerunt exire ab obedientia dictorum Prælatorum Prouincialis, & Custodis. Idem tenet Collector priuilegiorum,& Rodrig. *citat locis,*& Miranda *in explicat. Regulæ Tertiariorum, c.7.* Ex quibus infertur non potuisse Episcopum acceptare obedientiam, & regimen illorum, quos tres Summi Pontifices Prælatis Minorum subiecerunt. Ex quibus Pius V.*in citat.Bulla* constituit executorem illius,Cardinalem protectorem Ordinis Minorum,eidem iniungens, & concedens, vt per censuras procedat contra impedientes ne dicti Tertiarij obediant prædictis Prælatis Minorum.

4 Obiicit.Hi Tertiarii non portant habitum Tertiariorum viuentium in Portugallia, portantium habi-

tum cum caputio, siue cucullo, & mantello religioso, imo hi portant habitum in forma ferè sæcularí, ac proinde non videntur comprehendi in illa Bulla Pij V. Secundò obiicis, quod in Portugallia sunt Conuentus Monialium Tertiariarum, quæ obediunt Episcopo, vt constat ex Monasterio Saluatoris Eboræ constituto, & alio ædificato in oppido do Torraño, quæ sunt Tertiariæ viuentes in congregatione cum tribus votis solemnibus, & tamen subduntur Archiepiscopo Eborensi: sic ergo poterunt isti, de quibus est quæstio, obedire Episcopo Angrensi. Non obstant: nam licet isti Tertiarij non portent habitum cum caputio, nec mantellum religiosum, non ideo desinunt esse subditi Prælatis Minorum. Nam illi tres Summi Pontifices in tribus citatis Bullis, non specificant, neque assignant peculiarem formam habitus talium Tertiariorum, solum exprimunt si viuunt in congregatione cum tribus votis solemnibus: idque in particulari constat ex Regula facta à Leone X. pro his Tertiariis viuentibus in congregatione; nam *cap. 6.* eiusdem Regulæ loquens de vestitu illorum, ait: *Depositis cæteris vanis huius sæculi ornamentis, nullum ornamẽtum corporale portare debent, nisi solum humile, & necessarium ornamentum corporis sui.* Nihil aliud loquitur de illorũ vestitu: & proinde illius forma relinquitur dispositioni Prælatorũ, vel consuetudini Prouinciæ. Itaque vt tales Tertiarij subdantur Prælatis Minorum, solum requiritur quod viuant in congregatione cum tribus votis solemnibus. Quod si adhuc velit hos Tertiarios, eo quod portent habitum distinctum à Tertiariis Ordinariis viuentibus in congregatione in Portugallia cum caputio & mantello religioso, non esse de istorum classe, vel de istorum ordine; habes contra te fortius argumentum; nam inde

conuin

conuincitur hos Tertiarios non esse Tertiarios, nec posse manere in isto statu: quia non sunt Tertiarij ex aliqua classe illarum trium, quas diximus in principio *num.* 1. Non enim sunt ex prima classe, cum hi nec viuant in congregatione, nec emittant tria vota solemnia: nec sunt ex secunda classe, per te, qua licet viuant in congregatione cum tribus votis, non portant habitum cum caputio, & mantello, vt cæteri in Portugallia viuentes in congregatione. Non sunt tertiæ classis, quia hi nullam professionem, aut votum emittunt: ergo cum nullius classis sint ex illis tribus, erit Religio noua, & proinde nullo modo licita, cum iuxta *cap. fin.* de religiosis domibus, nulla noua Religio possit erigi absque particulari licentia Sedis Apostolicæ. Et idem habetur in cap. *vnico, eodem tit. in* 6. Imo per hoc 2. capitulum in 6. hi Teritarij cum noua ista forma habitus videntur prohiberi: ibi enim non solum Papa prohibet erectionem nouæ Religionis absque speciali licentia Papæ, sed etiam ne habitum nouæ Religionis quis assumat.

5 Ad secundam obiectionem de Monialibus Tertiariis subiectis Episcopo, Respondet Rodriguez *citat. quæst.* 72. *art.* 1. *concl.* 3. dicens hos Conuentus Monialium Tertiariarum Episcopis subditarum, illis esse subiectos, quia Fratres Minores illarum regimen à principio acceptare noluerunt. In cuius probationem facit, quod semper à principio fundationis harum Tertiariarum impetratur licentia Summi Pontificis, vt illæ Episcopis subdantur. Et hoc saltem constat de Monasterio Tertiariarum Saluatoris Eborensis, quod olim fuit subiectum Prælatis Minorum Conuentus Eborensis, vt constat, & ego vidi in libro anti quo manuscripto, in quo continentur aliquæ antiquitates il-

lius Conuentus Fratrum Minorum Eborensis. Vbi dicitur Sorores illas Tertiarias ante Tridentinum in suo Conuentu solitas venire ad Capitulum culparum intra Conuentum Fratrum pro illis celebratum in singulis hebdomadis. Et proinde argumentum non concludit: diuersa enim ratio est Monialibus Tertiariis, & in Fratribus Tertiariis viuentibus in congregatione cum tribus votis: nam Papa Pius V. exprimit Fratres hos Tertiarios vt sint subditi Prælatis Minorum: nihil vero loquitur de Monialibus Tertiariis.

6 Quæ hactenus dicta sunt de his Tertiariis emittentibus tria vota, intelligo de votis solemnibus; de his enim sic vouentibus solemniter intelliguntur prædictæ Bullæ Pontificum. Nam si in ista congregatione non emittunt vota solemnia, sed solum vouent seruare mandata Dei, sicut Tertiarij à P. N. Francisco instituti, tunc sibi contradicunt viuendo in congregatione, nam pater noster Franciscus non instituit primos illos Tertiarios primæ classis vt viuerent in congregatione, sed vt manerent in propriis domibus etiam vxorati, qualis fuit sanctus Ludouicus Rex Galliæ, sanctus Elzearius Comes Ariani, & alij: ac proinde isti non possunt viuere in communitate si solum vouent eo modo quo Tertiarij primæ classis. Quod si vouent tria vota solemnia, debent subiici Prælatis generalibus Minorum, iuxta tres Bullas Pontificias citatas. Addo, quod licet hi Tertiarij solùm voueant, & faciant professionem illius voti, quod emittunt Tertiarij primæ classis instituti à N.P. Francisco, adhuc super illos Prælati Minorum habent superintendentiam, vt videlicet possint, & debeant illis consilia bona dare, illos dirigere, obiurgare, &c. ob aliquas concessiones Papales, quas citat Miranda citato *cap.* 7. in expositione Regulæ

ipsorum,

ipsorum, quam superintendentiam ait non esse iurisdictionem propriè dictam, cum non detur ad puniendum: sed esse quandam superintendentiam gubernatiuam, quam ibi dicit non posse illis auferri ab Episcopis secundum citatas ibi à se Bullas.

7 Secunda conclusio. Si isti Tertiarij, de quibus est quæstio, solum faciunt professionem communem aliorum Tertiariorum primæ classis sine tribus votis solemnibus, non gaudent aliquo priuilegio concesso à Summis Pontificibus Ordinis Fratrum Minorum: nec liberantur à soluendis decimis, vel à soluendis tributis, sicut tradit Collector priuilegiorum citato loco, & Miranda citato libro super Regulam ipsorum *cap.* 11. & Cordoua ad citatum verbum Tertiarij in compendio, & alij.

8 Tertia conclusio. Si constiterit quod ille qui est hodie Prælatus, & fundator istius noui Conuentus, non fecit professionem istiusmet Regulæ in manu Prælati potentis illum admittere ad talem professionem, professiones cæterorum, quas admisit, fuerunt nullæ, & irritæ. Probo, quia nullus potest ad professionem aliquem admittere, nisi qui sit Religiosus illius Regulæ, vel habeat iurisdictionem delegatam ad id faciendum ab illo, qui illam possit delegare: sicut tradit Nauarr. *in consiliis titul. de Regul. consil.* 18. *& in consilio* 62. vbi citat. cap. *ad Apostolicam, de Regul.* & clariùs hoc habet Sanchez *tom.* 2. *Decal. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 74. vbi cum multis ibi citatis tenet, quod nec Episcopus potest valide ad professionem aliquem admittere, ita vt profitens obligatus maneat, nisi fuerit in Conuentu Monialium, cuius ipse Episcopus est Prælatus. Vnde si Episcopus, de quo agitur, non erat Prælatus istorum Tertiariorum per supra allegata, nec poterat

illos

illos ad professionem admittere: & præterea illi non habebant commissionem à Prælatis Minorum ad recipiendos Nouitios, dandamque professionem; sequitur quod quidquid ab illis attantatum fuit in receptione, & professione, fuit nullum. Et confirmatur, quia si primus Prouincialis Tertiariorum Olyssipone illos duos priores recepit ad habitum, idemque fecit postea custos Prælatus Obseruantiæ in insula, talis receptio ex vsu, & praxi solum continet, quod illos recipit ad habitum Tertiariorum primæ classis, quos instituit P. N. Franciscus, etiam coniugatos: non autem prædicti duo Prælati per illam receptionem ad habitum Tertiariorum illis commiserunt vt possent ædificare Conuentum, & Nouitios recipere ad viuendum in Congregatione cum tribus votis solemnibus: imo neque id poterant illis concedere; cumque neque id posset illis Episcopus concedere per supradicta, iudicandum est illos non valide fuisse professos, neque esse tutos in conscientia. Addit Sanchez proximè loco citato, non posse Episcopum aliquem ad professionem admittere, quia non est Prælatus Religiosorum; nam omnes Religiosi hodie ferè exempti sunt.

9 Quarta conclusio. Aliud inauditum, & absurdum continet iste casus; quod scilicet iste Prælatus localis noui Conuentus (imo non Prælatus) recipiat Nouitios ad Ordinem, & professionem, quod est contra praxim omnium Ordinum Mendicantum, maxime Minorum, in quibus Nouitiorum receptio interdicitur Prælato locali, & reseruatur Prouinciali. Pro quo facit optimè casus positus à Rodriguez in suo Bullario *fol.* 1017. *& seqq.* vbi ponit Bullam quandam Greg. XIII. in cuius tempore contigit casus omnino similis: nam quidam Matthæus secessit in eremum cum aliis sociis:

ibi

ibi fecerunt vnam formam Monasterij, in quo viuebant. Iste Matthæus functus est officio Abbatis sine ordine Sedis Apostolicæ, vel alterius Prælati potentis illum creare Abbatem. Isto mortuo successit illi in officio alter Didacus, & admittebant alios ad professionem. Re cognita,& detecto errore,consultus Papa Gregorius XIII. suppleuit defectum; creauit legitimum Abbatem, iussit ratificari professiones, eosque subiecit Ordini Sancti Basilij, & assignans ibi Papa causam,ait: *Cum autem Eremitæ ijdem prædictam professionem in manibus eius,qui illam recipiendi facultatem non habebat emiserint,eademque professio nulla,& inualida reddatur*, &c. Vbi vides similem omnino casum isti nostro:ac proinde hunc casum iuxta illum esse restaurandum,ac prouidendum.

10 Ex his concludo, quod si isti Tertiarij emittunt tria vota solemnia, prout dicitur in informatione,non possunt obedire Episcopo,iuxta tres Bullas Pontificias citatas. Si vero non emittunt tria vota solemnia,non possunt viuere in congregatione,propter aliam Bullam expressam Pij V. positam à Rodriguez in suo Bullario *fol.* 944. vbi expresse Sum. Pontifex prohibet ne in congregatione qualibet hodie congregentur viri, nisi emiserint tria vota solemnia,quæ Bulla citato loco videri potest. Quod decretum non comprehendit fœminas viuentes in congregatione, sine tribus votis solemnibus, quales sunt aliquæ Olyssipone,& alibi,quæ dicuntur Lusitanè, *Recolhimentos*: quia in illis sic viuentibus non concurrunt inconuenientia, quæ dantur in viris viuentibus in congregationibus sine illis tribus votis solemnibus.

CASVS

CASVS XVII.

De alienatione cuiusdam rei, Ecclesiæ Monialium relictæ, cum obligatione non alienandi.

QVædam Regina Portugalliæ fundauit quendam Conuẽtum Monialium, cui donauit in morte, & in morte aliquas re pretiosas mobiles, simulque impetrauit Bullam à Summo Pontifice tunc regente Ecclesiam, per quam iubebat, ne Moniales præsentes, & futuræ dicti Conuentus, vnquam rem vllam ex illis sibi relictis alienarent, venderent, seu distraherent. Inter res istas sic donatas & relictas, erat vna argentea magni pretij, *vulgo portapaz*, cũ qua olim in Missa post Agnus Dei, dabatur pax Sacerdoti, & erat grandioris maiestatis, & quantitatis. Postea Conuentus fecit aliam minorem pro vsu quotidiano. Denique post cæremoniale Noui Missalis, prædictum instrumentum pacis dandæ, & cæremonia illa in Missa sublata est. Voluit Conuentus Monialium prædictam portapaz vendere, & alienare, & ex pretio illius aliam rem mobilem comparare pro seruitio altaris, & veneratione sanctissimæ Eucharistiæ. Idque volebat, tum quod dicta portapaz iam non poterat seruire in ministerio Missæ propter illius vsum sublatum, tum quod Conuentus aliam iam commodiorem habebat: tum denique quia illa à Regina donata prę sua maiestate, & pretiositate Cõuentui pauperum Monialium non congruebat. Et declaratur, quod prædicta Bulla Papalis à Regina impetrata, nullam censuram, aut pœnam spiritualem imponebat Monialibus, si alienarent, sed solum annullabat alienationem,

nem, vel distractionem rerum prædictarum à Monialibus factam, vel attentatam.

1 Quæsitum fuit, an hodie non obstante prædicta Bulla prohibitiua, possent Moniales prædictum instrumentum pacis dandæ alienare, ac vendere, & ex pretio illius aliam rem fixam, & perpetuo mansuram pro obsequio eiusdem altaris, emere, vel fabricare? Respondi id potuisse Moniales facere, seruatis tamen aliis conditionibus in iure requisitis; vt scilicet fiat cum consensu Prælati illius Conuentus, & cum consensu maioris partis capituli Monialium. Et eiusdem meæ opinionis fuit alius vir sati Religiosus, & doctus, qui huic meæ opinioni subscripsit, propter rationes sequentes. Primò, cessante fine legis cessat lex: cap. *Cum cessante, de appellat. & l. fi. ff. de hæred instit.* Nauar. *in consiliis, tit. de sentent. excom. consil. 57.* Suarez *lib. 6. de legib. cap. 9. n. 11.* At in hoc casu cessauit finis Fundatricis, & finis Papæ, fundatrix enim intendit rem illam donare vt seruiret in altari, quæ hodie non potest seruire propter cæremoniam illam ab Ecclesia sublatam: ergo cessante illo fine Fundatricis, & Papæ, iam hodie voluntas illa Reginæ, & Papæ non videntur obligare, cum non sit congruum prædictas Moniales rem habere pro sola ostentatione, & aliàs inutilem. Secundò, quia pœna annullationis impsita in hac Bulla, non magis obligat, quam pœnæ suspensionis, & excommunicationis positæ in iure communi contra indebitè alienantes bona Ecclesiæ, vt patet: imo pœnæ istius Bullæ videntur mitiores, quia sunt lex positiua vnius tantum Summi Pontificis, illæ vero positæ in iure communi, ex eo videntur grauiores, quia positæ in iure communi, & vt plurimum positæ per Concilia generalia Ecclesiæ: at constat ex iure, & ex

communi

communi Doctorum sententia posse alienari res Ecclesiæ, etiam immobiles concurrente debita solemnitate, si alienatio fiat in maiorem vtilitatem Conuentus, per multos textus ad hoc recitatos à Rodriguez *tom.1.quæst.Regul.q.17.art.2.* quos citat ad marginem, & hæc alienatio fuit clarè in maiorem vtilitatem Conuentus, vt constat: ergo licitè potuit fieri. Tertiò, magis obligat votum simplex factum Deo, quam obliget lex positiua Papæ, cum votum obliget de iure naturali, lex autem Papæ obligat tantum de iure positiuo: at potest vnusquisque habens obligationem voti, per se solum illud commutare in rem euidenter meliorem absque alia dispensatione, vt tradunt communiter Doctores, maxime Sanchez *tom.1.Decalog.lib.4. cap.49.num.4.* vbi pro eodem citat vltra viginti Doctores: ergo etiam Conuentus in hoc casu poterit hanc obligationem positam à Fundatrice de re ista conseruanda, commutare, vendendo illam, altari omnino inutilem, & emendo aliam euidenter vtilem pro seruitio eiusdem altaris.

2 Obiicis contra hoc argumentum, non valere similitudinem voti, & legis positiuæ obligantis. Nam si ego omitto facere rem iniunctam à lege, licet faciem tunc aliam rem meliorem, non impleo legem, sed peccatum committo omissionis, vt facilè erit exemplis ostendere: ergo non valet exemplum per se commutantis votum in rem clarè meliorem, cum id fundetur in benigna Dei voluntate, quæ sic præsumitur acceptare. Ad hoc argumentum dico, etiam in obligatione iustitiæ, ac restitutionis locum habere quod diximus, vt scilicet satisfiat oblgationi restitutionis, si pro vna re debita reddam aliam diuersam, meliorem, vel æquiualentem. Nam si abstuli vinum à Petro, impleo præceptum

ptum restitutionis reddendo pecuniam æquiualentem, vel abundantiorem. Item si abstuli triticum, & reddo vinum, cum quo creditor conuentus est, satisfacio dando rem diuersam. Cum ergo alienatio ista, de qua agitur, pertineat ferè ad materiam iustitiæ, sequitur quod satisfiet præcepto posito à Regina de non alienando, dando, & substituendo rem aliam meliorem, quam Fundatrix & Papa certissimè acceptarent, si viuerent, & id scirent: neque Fundatrici infertur damnum, sed commodum; quinimo nec Summo Pontifici contradici videtur, ille enim in illa prohibitione solum voluit se accommodare piæ, ac rectæ intentioni Reginæ, quæ non debuit velle Monialibus res inutiles relinquere, nec impedire vt commodiores res pro cultu diuino emerentur.

3 Quartò, id ipsum confirmo ex alia doctrina tradita à Doctoribus in materia de voto, maximè à Sanchez *citato 4. lib. Decal. cap. 2. num. 24.* qui dicunt, quod quando materia voti facta est inutilis, vel indifferens, cessat obligatio voti: sic ergo in casu præsenti, cum materia istius donationis factæ à Fundatrice, & materia legis Pontificiæ sit facta inutilis, eo quod res ista non possit amplius ad aliquid seruire, sequitur quod cessabit obligatio posita à Papa, & à Fundatrice. Quintò, id probatur, quia hæ Moniales gaudent priuilegio concesso à Sixto IV. Fratribus Minoribus, qui sunt Prælati illarum, per quod priuilegium Papa concedit, vt legatum illis relictum pro vno vsu possint de licentia Prælati conuertere in alium vsum, vt habetur in *Compend. Mendic. verb.* Legatum. §. *vnico*, cum declaratione ibi posita. Ergo cum licentia sui Prælati poterunt facere hanc alienationem, dummodo pretium rei venditæ conuertatur in alium vsum rei permanentis, & altati

perpetuo deseruituræ. Sexto, facit priuilegium, quod ego cito in meo primo tomo *Dubiorum Regul. verb. Alienatio, num. 5.* vbi Benedictus XIII. concessit Patribus D. Hieron. vt possint alienare res immobiles Conuentus cum conditionibus ibi positis, dummodo non sint datæ à Regibus pro fundatione Conuentus. Vbi concedit posse alienari res immobiles, excepto si sint immobiles datæ à Regibus, & pro fundatione Conuentus. Cum ergo res ista, de qua agitur, non sit immobilis, nec data pro fundatione Conuentus, sequitur posse illam alienari in maiorem vtilitatem Conuentus: quod probatur ex communi maxima Iuristarum dicente, quod exceptio firmat Regulam: cum ergo illic Papa solum excipiat ne alienẽtur res immobiles datæ à Regibus, sequitur quod permittit alienari mobiles datas ab eisdem Regibus.

4 Vltimo probatur, quia Moniales sanctæ Claræ, (de quarum numero sunt hæ de quibus agitur) habent priuilegium, vt cum licentia Prælati, & consensu maioris partis Conuẽtus possint alienare bona immobilia in maiorem, & euidentem vtilitatem Monasterij, de quo Rodrig. *citato art. 2. §. Infertur* 2. Ergo bene poterunt hæ Moniales alienare hanc rem, de qua quæritur, cum sit mobilis, & proinde facilius possit distrahi secundum iura. Quod si dicatur in hac Bulla, de qua agimus, Papam hoc prohibuisse vtens clausula, ex certa scientia, quæ rigidior est, & magis reuocatoria? Respondeo hanc Bullam datam fuisse octoginta ab hinc annis: & ab illa ætate vsque ad hanc, multi Summi Pontifices confirmarunt nostra priuilegia ex certa scientia; qui modus confirmandi priuilegia reualidat etiam priuilegia antiqua annullata, vt ego probo in meo primo tomo *Dubior. Regular. ver.* priuilegij confirmatio.

firmatio. Et vltra hoc, post illam Bullam multi Sum. Pontifices concesserunt priuilegia aliquibus Ordinibus, vt possent alienare res immobiles in maiorem vtilitatem Conuentus: pro quo vide à me dicta citato primo tomo, & *verb.* alienatio per totum titulum. Et vide etiam Rodrig. *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 27. *art.* 2. de concessione postea facta Monialibus Ordinis sancti Augustini.

5 Vltra has probationes, addu co duo exempla in praxi. Nam, me petente, quidam Collector Apostolicus in hoc Regno declarauit, quod Moniales istiusmet Conuentus poterant vendere quandam Bibliothecam Latinorum librorum relictam ab eadem Regina Fundatrice eidem Conuentui: quæ quia inutilis omnino erat Conuentui, declarauit idem Collector quod venderetur, & pretium illius conuerteretur in rem fixam, & perpetuo duraturam in eodem Conuentu. Et sic factum est. Deinde post aliquot annos me etiam petente, alius Collector huius Regni declarauit posse Moniales alterius Conuentus de Sacauem prope Olyssiponem siti, vendere quosdam pannos pretiosos, & æstimabiles, inseruientes pro ornatu parietum, qui dicto Conuentui pauperi, erant inutiles, & temporis longæuitate putrescebant, declarauit inquam illos posse vendi, dummodo pretium eorum conuerteretur in rem permanentem Conuentus. Et in hoc secundo casu fundator Conuentus obtinuerat aliam Bullam Papæ rigidiorem, prohibentem sub grauibus pœnis ne donata ab illo illi Conuentui distraherentur, vel alienarentur. Et iterum aduerto prædictos duos Collectores in illis duobus casibus non fuisse vsos dispensatione Apostolica: nam mihi dixit Auditor prioris Collectoris, non posse Collectores huius Regni di-

ſpenſare in Bullis Pontificiis. Fecerunt ergo illi prædicti Collectores declarando legem, & non diſpenſando.

6 Adhuc pro maiore firmitate primi argumenti poſiti in principio, quod ceſſante fine legis ceſſat lex, moneo vt videatur Suarez *citato cap. 9. num. 11. lib. 6. de legibus*, vbi dicitur, quod vt dicatur ceſſare finis, ceſſante cauſa, vnum ex duobus requiritur: vel quia bonum proxime intentum per illum actum deſinit eſſe commodum ad commune bonum: vel quia ipſemet actus deſinit eſſe vtilis ad commune commodum. Quæ duo concurrunt in iſto noſtro caſu: nam res de qua agitur, id eſt, *portapaz*, & in ſe, & in ſuo vſu deſinit eſſe vtilis ad bonum commune, cum illius vſus ab Eccleſia ſit interdictus, cum aliis cauſis ſupra allegatis.

CASVS XVIII.

De quodam Prælato Conuentuali appellante à ſuo Prouinciali in viſitatione ſui Conuentus.

QVidam Prouincilis viſitauit ex officio quendam Conuentum ſuæ Prouinciæ præſente, & non reclamante Prælato locali illius. Finita viſitatione, & reſultantibus culpis probatis contra Prælatum localem, illum vocauit: eidemque dedit copiam capitulorum culparum, vt pro ſe reſponderet, & pro ſua defenſione diceret quod habebat. Acceptauit capitula Prælatus localis dicens ſe reſponſurum: & paulo poſt receptionem capitulorum, rediit ad Prouincialem, petiit prorogationem temporis ad reſpondendum, vltra tempus

tempus assignatum in exhibitione Capitulorum: & hoc concesso à Prouinciali, idem Prælatus rediens ad Prouincialem, dixit se appellare ab illo ad superiorem Regularem ipsius Prouincialis; quam appellationem, nec scripto fecit, neque vllam causam appellationis expressit; cum tamen Prouincialis instaret vt causam appellationis exprimeret Paulo post idem Prælatus localis clanculum Conuentum exiuit insalutato Prouinciali præsente, & superiorem illum adiuit, ad quem appellauerat. Eidem vero superiori exposuit, dictum Prouincialem sibi fecisse grauamina, & iniustitias. Quo audito, prædictus superior, inaudito Prouinciali, nec visa copia processuum, neque informatione vlla, præter dictum ipsius appellantis, destinauit particularem visitatorem, vt iret ad visitandum prædictum Conuentum; & cognosceret de grauaminibus factis à Prouinciali, ipsi locali Prælato, eiusque defensioni intenderet. Accedens visitator ad prædictum Conuentum; inaudito Prouinciali, recepit nouiter testes pro defensione Prælati localis: qui aliquibus Religiosis opposuit exceptionem testium suspectorum; qui in visitatione Prouincialis fuerant testes, ipso Prælato locali vidente, & non excipiente. Et hi testes ab illo recusati ad testificandum non sunt vocati à visitatore, neque illorum testimonium receptum est. Quo posito quæruntur multa.

1 Primo, an potuerit appellare iste Prælatus localis à Prouinciali, postquam illum admisit ad visitationem Conuentus, & postquam admisit capitula culparum exhibita à Prouinciali, dicens se responsurum; imo iam incœperat respondere.

2 An prædicta appellatio sine scripto, & sine expressione causæ fuerit valida, ac friuola iudicanda.

3 An fuerit apoſtata exiens à Conuentu, ſine licentia Prouincialis præſentis, eumque reſpondere iubentis.

4 An ſuperior potuerit mandare viſitatorem particularem pro reuiſitando Conuentu circa grauamina facta à Prouinciali, idque nec audito, nec citato Prouinciali, nec prolata ſententia circa valorem, aut nullitatem appellationis; & iuſſit inquiri de grauaminibus, & iniuſtitiis factis à Prouinciali, eo non audito.

5 An Prælatus localis in ſecunda viſitatione poſſet recuſare teſtes, vt ſuſpectos, quos antea non recuſauit in viſitatione Prouincialis.

6 An viſitator, dato quod probaretur exceptio contra aliquos teſtes, teneretur nihilominus recipere teſtimonium horum teſtium recuſatorum.

1 Ad primum quæſitum, credo quod non potuerit appellare à Prouinciali, poſtquam admiſit illum ad viſitandum, & recepit capitula culparum obligans ſe reſponſurum, & petiit ab eodem Prouinciali prorogationem temporis ad reſpondendum: excepto ſi poſt hæc omnia noua cauſa appellandi, vel recuſandi orta fuerit, vel aliqua cauſa appellandi. vel recuſandi ante hæc omnia nata, & exiſtens, ſed incognita, poſt illa omnia denuo ad notitiam venerit appellantis. Prima pars huius reſponſionis colligitur clarè ex cap. *ad petitionem, de accuſat.* vbi Papa iuſſit quendam Legatum viſitare vnum Monaſterium, petente id ipſum Abbate Monaſterij, & præſente adviſitationem Legati, nec Abbate reclamante. Facta viſitatione, & reſultantibus culpis contra Abbatem, Legatus obtulit Abbati capitula culparum, vt reſponderet pro ſua defenſione. Abbas appellauit ad Papam, dicens Legatum ſibi eſſe ſuſpectum, quo non obſtante Legatus Abbatem priuauit officio,

officio. Post priuationem officij Abbas recurrit ad Papam per appellationem. Papa illo audito confirmauit sententiam Legati. Et addit Papa notanter tanquam conducens pro causa iustitiæ: *Quod dictus Legatus præsente, nec reclamante Abbate, super statu Monasterij cœpit inquirere diligenter.* Et licet postea Abbas appellauerit, & dixerit prædictum Legatū sibi esse suspectum, Papa nec detulit appellationi, nec recusationi. Secundo idem probatur ex Regula, quod semel placuit, amplius displicere non potest, *de Regul iuris in 6. Regula* 21. Iam vero huic Prælato locali non semel, sed bis placuit litigare corā isto Prouinciali primo acceptando, vt ille visitaret: secundo acceptando ab illo capitula, & articulos culparum ad respondendum: imo tertio acceptauit illum in iudicem, cum post hæc ab eodem Prouinciali petiit prorogationem temporis ad respondendum: per hanc enim petitionem illum acceptauit, & recognouit in iudicem, vt patet: ergo licet antea haberet causam appellandi, vel recusandi, sibi cognitam, non potuit postea appellare, vel recusare; quia tali causæ, vel appellationi renunciauit, eo quod Prouincialem in iudicem per tres actus acceptauerit. Idem confirmatur à simili ex iure Regio Lusitano, *in Ordinatione istius Regni, lib. 3. tit. 21. §. 1.* Vbi Rex decernit, non posse aliquem recusare iudicem illum coram quo fecit vllum actum acceptationis, per quem actum videatur in illum consensisse. Secunda verò pars responsionis, & simul prima probantur clarè ex capite *vt circa, de elect. in 6.* vbi Papa decernit quoad obuiandum malitiis opponentium contra electos, ille qui contra aliquem electum aliquid opponere voluerit, causas in scripto reddat suæ oppositionis, vel appellationis: si vere post sic inscriptam appellationem vltra

voluerit oppone, quod non sit scriptum in causis propositæ iam appellationis, talis de nouo non audiatur: *Nisi aliquid forsitan postea emeserit (ait Papa) vel super antiquis superuenerit: aut aliqua antiqua in opponentium notitiam denuo superuenerint: quæ appellantes appellationis emissæ tempore ignorare potuerint, & etiam ignorauerint. Super huiusmodi autem ignorantia, & superueniente facultate probandi fidem per proprium præstandum corporaliter faciant iuramentum.* Sic ibi Papa Greg. X. quo nihil clarius potuit desiderari ad intentum huius primi responsi, Nam, vt dicitur, hic Prælatus localis intra viginti horas, & acceptauit capitula culparum à Prouinciali, & cœpit respondere, & petiit ab illo prorogationem temporis ad respondendum, vt proinde moraliter loquendo impossibile videatur, quod illi in mentem non venerit causa præterita appellãdi, si quæ erat, neque illius causæ recordatus fuerit toto tempore, quo Prouincialis visitauit: sed post hæc omnia in appellationem eruperit, pressus forsasse pondere capitulorum exhibitorum, quibus diffidit se posse respondere, & confisus, vt dicitur, vel præsumitur, in fauore iudicis ad quem.

2 Ad secundum quæsitum dico rem esse notissimam in iure, quod appellatio quando fit à grauamine (qualis ista prohibetur) vel fit ab interlocutoria, debet fieri in scripto, & in scripto debent exprimi causæ appellationis, aliàs appellatio friuola, & nulla iudicanda est. Hoc imprimis habetur *proximè citato c. vt circa, de electio.* vbi Papa ad appellandum dicit, id fieri debere in instrumento publico, & literis appellationis confectis. Idem expressius habetur *cap. Cordi nobis est.* Vbi Papa Innocentius IV. describens formam seruandam ab appellantibus, dicit: *Sancimus, vt si quis in iudicio, vel extra*

extra super interlocutoria, vel grauamine aliquo ad nos duxerit appellandum, causam appellationis in scriptis assignare deproperet, petat Apostolos, &c. Quo nihil clarius dici potuit. Vbi glossa *verb.* Ad nos, respondet aliquibus, qui dixerunt hanc formam appellandi in scripto cum expressione causarum, solum intelligi, quando appellatur ad Papam, propter illud verbum, *Ad nos appellandum duxerit:* sed tamen ibi glossa maior, cum glossa marginali oppositum innuit, & ibidem glossa *in verb.* in scriptis. Et quoad expressionem causarum appellandi, quod non valeat appellatio si non exprimatur causa appellationis, quando appellatur à grauamine, vel interlocutoria, tenet expresè glossa *in cap. Accedens,* vt lite non contestata, *in verb.* Appellauit. Et citat cap. *vt debitus, de appellat.* & cap. *Dilecto filio, de appellat.* & alia iura. Ita vt si causa appellationis nõ exprimatur, ait appellationem non esse recipiendam. In cap. vero *Vt debitus, de appellat.* citato à glossa, dicit textus hæc verba: *Cum ex rationabili causa putauerit appellandum corã eodẽ iudice causa probabili appellationis exposita.* Et omnino habetur cap. *Quod ad consultationem, de sentent. & reiudic.* Quo nil clarius dici potuit: & præterea clarè innuit Papa ibidem, quod coram quouis iudice causa appellationis sit exponenda, etiamsi non appellatur ad Papam. Et habetur idem in multis aliis textibus, & passim in Doctoribus, & idem colligitur ex *Ordinat. huius Regni Portugallia, lib. 3. tit. 21. citato, §. 4.* in simili, decernente quod quando aliquis iudicem recusare voluerit, statim causam recusationis coram illo declaret; quod si causam non declarauerit, iudex non habeatur pro suspecto, & in causa procedat. In hoc autem nostro casu, Prælatus localis neque appellauit scripto, vt dicitur, neque vllam causam appellationis,

vel grauaminis expreſſit, petente Prouinciali, vt cauſam appellationis aſſignatet; & proinde iuxta citatos textus appellatio fuit nulla,& non recipienda.Et confirmatur, quia aliàs ſi dicere nudum verbum,Appello, ſine expreſſione cauſæ ſufficeret ad validandum appellationem, vtique poſſet quilibet & iudicem, & iudicium deludere, ac declinare, quod eſt contra mentem Iurium citatorum.Addo quod aliàs fruſtra iura in tot locis concederent iudici, à quo, ius, & libertatem repellendi appellationes friuolas, vt concedunt paſſim: nam ſi appellans non obligatur exprimere cauſam appellationis (per te) quomodo poterit iudex iudicare appellationem eſſe friuolam, vel validam, non audita, nec viſa cauſa appellationis? ob hanc ergo cauſam iubent iura exprimi cauſam appellationis ab appellãte, vt videat iudex ſi friuole, ſi maleuole, ſi ſolo animo dilatandi appellet.

3 Ad tertium quæſitum. Ego non damnarem talem Prælatum localem vt apoſtatam diſcedentem à Conuentu ſine licentia Prouincialis. Probo primo, quia Prælatus iſte localis aliàs habebat ex officio licentiam exeundi à Conuentu abſque licentia Prouincialis, vt praxis obſeruat.Ac proinde abſque licentia Prouincialis poterat à Conuentu exire:maxime cum Prouincialis per ſolam exhibitionem capitulorum, culparum illi non prohibuerit exitum. Secundo, quia,cum Prælatus localis videret Prouincialem non acceptaſſe ſuam appellationem, potuit ſecundo appellare facto, id eſt arrepto itinere ad ſuperiorem Prouincialis, maxime cum bona fide crederet in ſibi licere. Quod autem facto ſine verbis,vt per arreptionem itineris ad ſuperiorem poſſit fieri appellatio, conſtat *ex cap. Dilecti 2 de appellation.* & tenet Nauarr.*in lib.2.conſiliorum, tituto de*

de sententia, & re iudicata, consilio vltimo numer.6. vbi citat Decium in casu ferè simili. Cum ergo iste Prælatus localis, esset aliàs Prælatus, non prohibitus exire, & vadens via recta ad superiorem via appellationis, vt credebat, sibi licitæ, non credo illum incurrisse censuram apostasiæ, etiam in foro externo, cum hæc censura non incurratur nisi à contumaci, & faciente mala fide.

4 Ad quartum dico, non potuisse, nec debuisse superiorem Prouincialis, inaudito Prouinciali, destinare reuisitatorem, qui inquireret de excessibus, grauaminibus, & iniustitiis quas Prælatus localis dixerat sibi intulisse Prouincialem. Quod probo ex multis, & vrgentibus causis sequentibus. Primo, quia sic appellans non detulit secum copiam processus facti à Prouinciali, nec testimonium suæ appellationis, quo non delato non potuit superior Prouincialis aliquid decernere, maxime contra honorem Prouincialis. Colligitur clarè ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 20. de reform.* Vbi Concilium loquens de appellatione facta ab Episcopo ad Archiepiscopum, decernit, ac dicit primo quod petet appellans à Notario copiam processus. Et confirmatur *ex cap. Dilectis filiis. de appellat.* Vbi de quodam appellante, eiusque appellatione ait Papa: *De qua (id est appellatione) sibi per officialis literas innotuerat.* Vnde colligit glossa in cap. *Coràm nobis, de appellat. in 6. in Addition.* citans Innoc. & alios, non sufficere ad hoc qualemcumque scripturam, sed debere esse publicam, & quæ fidem faciat, ne appellans possit postea variare. Quod si dicatur non detulisse scripturam suæ appellationis, quia Prouincialis nouit illam acceptare, & proinde per arreptionem itineris ad superiorem coram illo denuo appellasse: tunc insurgunt aliæ obiectiones

iectiones contra iſtam appellationem: nam ſuperior Prouincialis, antequam appellationem reciperet, & nouum viſitatorem mitteret, debebat prius audire Prouincialem. Colligitur clarè ex Tridentino citato c. 20. Vbi agens de appellatione, & de iudice ad quem appellatur, ait debere admonere Epiſcopum à quo appellatur. Et ponit hæc verba: *Eodem Epiſcopo prius admonito, & ſi quid ei pro cauſæ inſtructione videbitur, poſſit iudici appellationis ſignific.* Et in hoc caſu, ſuperior iudex appellationis, neque pro appellationis cauſa, nec pro viſitatore mittendo, Prouincialē admonuit, cū talis viſitatio denuo inſtituta cederet in dedecus Prouincialis, cum de illo dictum eſſet feciſſe grauamina, & iniuſtitias. Secundo id probatur manifeſtè, ex cap. *Venerabilibus, de ſentent. excommu. in 6.* Vbi quidam ſubditus excommunicatus ab vno Epiſcopo, appellauit ad Archiepiſcopum. Reſpondet Papa, circa abſolutionem ſubditi; *Quod conueniendus eſt ipſe Suffraganeus (id eſt Epiſcopus) coram Archiepiſcopo, quia ipſius intereſt defēdere cauſam ſuam.* Quo nihil clarius dici potuit ad intentum. Debuit ergo ſuperior conuenire, ſeu vocare Prouincialem pro iſta appellatione, & pro viſitatore mittendo, quia ipſius intererat defendere cauſam ſuam. Tertio erat hoc conforme Iuri ciuili, Canonico, imo & naturali. Videmus enim quod quando Actor pro ducturus eſt teſtes contra reum, prius citatur reus vt videat iurare teſtes, quò poſſit illis exceptiones opponere, & vti aliis remediis defenſionis: cur ergo in hoc caſu non debuit Prouincialis citari, vel admoneri de viſitatore nouo qui de iniuſtitiis ſibi ab appellante impoſitis debebat excipere teſtimonium omnium fratrum vnius Conuentus, vt poſſet Prouincialis ſuæ defenſionis remedia præuenire?

5 Præce

5 Præcedentia plus confirmantur, & ostenditur alia obligatio hîc omissa: videlicet, quod ad probandam appellationis causam, vtraque pars appellans, & appellata, debent comparere coram iudice ad quem appellatur, vt possit vtraque se defendere, habetur passim in Iure canonico, maxime in titulo *de appellat.* & alibi, vbi passim refertur quod vtraque pars appellans per se, vel per suos procuratores, comparebant coram Summo Pontifice: si vero aliqua pars comparere nolebat in termino assignato ad prosequendam appellationem, tunc illa absente, & pro contumaci reputata, poterat iudex appellationis procedere. Habetur hoc præcipuè in cap. *interposita, de appellat.* toto capite maximè, §. Sane parato. Et expressè habetur in lege Portugalliæ *lib.* 3. *Ordinat. titulo* 68. §. Vbi datur forma appellationis, & decernitur quod vtraque pars appellans, & apellata compareant coram iudice appellationis, & quæuis pars habebit copiam rationum contra se allegatarum: & suas probationes adducent contra appellationem, vel pro illa: ídque ratio naturalis dictat; cum enim appellatio nocumentum semper alicui inferat, videlicet iudici à quo appellatur, vel parti contra quam appellatur, & ratio æquitatis dictat, vt pars appellata audiatur, vel citetur pro sui defensione. In hoc autem casu solus Prouincialis fuit pars appellata, ídque cum nota iniustitiæ ab illo commissæ, ac proinde fuit audiendus secundumtot textus supra citatos, & iuxta Concil. Trident.

6 Ad quintum quæsitum, dico quod Prælatus iste localis in secunda visitatione potuit ponere exceptiones, & recusationes illis Religiosis, qui in prima visitatione generali Prouincialis, testimonium contra ipsum Prælatum localem tulerunt: quamuis enim eos

tunc

tunc visitare, ac testimonium dicere tunc permiserit, non per hoc visus est in eos consensisse absolutè, quia ignorabat an contra se forent dicturi testimonium: ignorans autem non consentit valide. *l.* Nec ignorans, *C. de donat. & l. Mater decedens, ff. de inoffic. testamento.* Vltra illa quæ in sequentibus dicemus de testibus receptis in visitatione generali.

7 Ad sextum quæsitum dico, visitatorem secundum destinatum à superiore, circa recusationem, & exceptionem testium positam à Prælato locali, primo debuisse inquirere de causis exceptionis, inimicittæ videlicet, & similium. Et dato quod exceptio testium illorum probata fuerit, adhuc debebat testimonium illorum recipere, nam quando testimonium testis recusati, vel excepti coindicit cũ alio teste omni exceptione maiori, tale testimonium testis recusati, co adiuuat, & vt minimum facit indicium probationis. Sic praxis obseruat, & tenet Penha *in Directorio Inquisitorum, 3. part. commento* 28. §. Aliorum vero: & citat Panormit. Felinum, Campegium.

8 Quoniam vero ex prædictis videtur colligi appellationem interpositam ab isto Prælato locali fuisse friuolam, imo nullam, quia sine scripto, sine expressione causæ, & proinde Prouincialis poterat procedere ex officio vsque ad sententiam, quam tamen causam superior ferè è manibus eripuit: cum casus iste sæpius possit contingere in Religionibus, vbi aliqui Prælati ferè causas auocant ab inferioribus, eosque in suo officio ordinario interturbant, placuit duo loca iuris adducere pro isto abusu tollendo. Primus locus sit ex Concilio Tridentino *citat. sess. 24. cap. 20.* vbi postquam omnino prohibet ne Prælati superiores auocent ad se causas ex prima instantia; sic ait de Archiepisco

chiepiſcopis, & ſimilibus ſuperioribus. *Epiſcopos in prædictis cauſis impedire, aut aliquo modo eorum iuriſdictionem eis præcipere, aut turbare non præſumant.* Et in hoc caſu videtur ſuperior præripuiſſe iuriſdictionem Prouincialis, quam habebat ad dandam ſententiam, non obſtante appellatione friuola, & reiecta; & poſtea locus manebat Prælato locali appellandi à ſententia Prouincialis ad eundem ſuperiorem. Secundum quod cito ad hoc intentum, eſt pulchum, & elegans dictum D. Gregorij Papæ poſitum in cap. *peruenit.* 11. *quæſt.* 1. vbi Papa loquens de Prælatis ſuperioribus, qui in officio turbant inferiores, ſic ait: *Nam ſi ſua vnicuique Epiſcopo iuriſdictio non ſeruatur, quid aliud agitur, niſi vt per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo, confundatur?* Quod autem, quando iudex non tenetur recipere appellationem friuolam, qualis hæc fuit, poſſit Prælatus procedere, & reum etiam appellãtem friuolè, poſſit excommunicare, tenet expreſsè Zerola *in* 2. *p. praxis, verb.* Appellare. §. 10. vbi citat cap. *Sollicitudinem, de appellat.* & cap. 1. & 2. *vt lite non conteſt.* Et citat etiam Franc. & *eod. verb.* Zerola §. Non quæritur. expreſsè tenet cum Innocent. & aliis quos citat, dicit quod ad ſuperiorem non deuoluitur iuriſdictio, niſi prius probata cauſa vera, & legitima appellationis, iuxta Innocentium in cap. *Per tuas, num.* 4. *de ſentent. excommunic.* vnde dicit ibidem malefacere Metropolitanos abſoluentes appellantem, antequam inhibeant vt non procedatur, & traſmittantur acta, Et citat Hoſtienſem *in Summ. in titul. De officio delegati.* §. & qualiter finiatur.

CASVS

CASVS XIX.

De punitione Religiosi delinquentis extra suam Prouinciam & regnum.

QVidam Religiosus apostata fuit ab ordine. Existens in apostasia deposito habitu Religionis, & habitu clericali assumpto, commisit atrox delictum, in quo deprehensus in habitu clericali, ab Episcopo ciuitatis fuit carceri mancipatus, & de delicto conuictus fuit per sententiam Episcopi ad triremes damnatus. Ille à sententia appellauit, dicens se esse Religiosum professum, nec proinde potuisse ab Episcopo puniri. Episcopus cognita veritate quod esset Religiosus, illum remisit ad superiorem suum, qui erat in alio Regno, simúlque cum illo transmisit ad Prælatum copiam substantialem processus, & sententiæ latæ ab Episcopo de illius damnatione ad triremes.

Quæsitum est primo, an Prouincialis istius Religiosi potuerit illum punire pro crimine cómisso extra Prouinciam, & territorium istius Prouincialis: nam delictum commissum est in alio regno, & in alia Prouincia eiusdem Ordinis.

Quæsitum est secundo, an dato, quod illum punire possit, sufficiat testimonium publicum ipsius Episcopi de culpis à Religioso commissis, & probatis: an vero debeat Prouincialis facere nouum processum, & nouam ferre sententiam condemnationis.

1 Quod attinet ad primum quæsitum, vidi in facti contingentia, aliquos dicentes, Prouincialem non posse punire talem Religiosum ob delictum factum extra suam

ſuam prouinciam, quia crimina commiſſa in alio territorio non pertinent, niſi ad iudicem illius territorij. Ego tunc partem affirmatiuam tenui, & in illa ſententia etiam nunc perſiſto. Pro cuius reſolutione dico, caſum iſtum reſolui poſſe ex traditis, & citatis à Syluestro *verb.* furtum, *quæſt.* 4. licet ibi ponat caſum cum alia circunſtantia. Quærit enim, an committens furtum hoc loco, & tranſiens cum re furtiua ad alterum territorium, poſſit ibi iudex territorij illum punire, cum ſit ibi extraneus, ſed cum furto alibi facto ibi comprehenditur: & citatis duabus opinionibus, affirmante & negante, reſoluit cum Panormitano *cap.* 1. *de pœnis* & Bartolo, quod ſi iſte committens furtum in alio territorio, poſtea fortitus ſit forum huius territorij mutatione domicilij, poterit hoc loco puniri pro delicto commiſſo olim in alio territorio. Quod à fortiori in hoc caſu dicendum eſt: nam iſte Religioſus, de quo agitur, eſt iſtius territorij & Prouinciæ, neque illud territorium mutare potuit per apoſtaſiam inuito Prælato, ſicut ſeruus non poteſt mutare territorium, cum non habeat ius liberum eligendi territorium ſiue domicilium: ergo cum non amiſerit territorium huius Prouinciæ, poterit puniri à iudice iſtius Prouinciæ ob delictum alibi commiſſum, iuxta illud dictum Panormitani citati à Syluestro vbi proximè. Secundo confirmatur hoc praxi criminali tum ciuili, tum canonica, per quam rei delinquentes in alieno territorio, remittuntur à iudice territorij, vbi factum eſt delictum, ad iudicem territorij delinquentis. De quo multa tradit Zerola *in praxi Eccleſ.* 1. *part. verb.* Remiſſio reorum, vbi multa dicit ad intentum. Et maximè §. ad textum, ferè ponens caſum in terminis dicit, poſſe Epiſcopum repetere ſuum Clericum detentum ab alio Epiſcopo (videlicet ob

culpas) idque etiam inuito Clerico. Et citat ad hoc cap. *Dilectus.* & cap. *si iudex laicus, de appellat.* & ibi Innocentium, Baldum, & Felinum. At in hoc casu Prouincialis istius Religiosi, cum posset aliàs istum Religiosum repetere ab Episcopo, in cuius diœcesi deliquit, spontaneè suum subditum recepit ab Episcopo iudice territorij delicti, cum testimonio processus culparum: ergo poterit subditum suum punire, qui non potuit mutare territorium istius Prouincialis, vt patet ex supradictis. Id confirmatur ex Tridentino Concilio *sess. 25. cap. 14. de Regular.* vbi concedit, quod si Religiosus extra Conuentum deliquit scandalosè (sicut contigit in hoc casu) instante Episcopo, Prælatus Regularis illius Religiosi, illum puniat intra tempus ab Episcopo assignatum. Quod idem contigit in isto casu: nam Episcopus territorij, in quo factum est delictum, videns delictum fuisse scandalosum, remisit illum ad suum Prouincialem cum copia processus, & sententiæ, per quæ satis clarè innuit, se iuxta citatum caput Tridentini, supplicare, & obtestari, vt dictus Prouincialis prædictum Religiosum delinquentem puniret. Neque obstat, quod delictum commissum sit extra hoc Regnum, & extra hanc Prouinciam Religionis: hoc enim per accidens est. Nam Concilium Tridentinum *citat. c. 14.* solum dicit: *Si Religiosus extra claustra ita notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit,* &c. Et non distinguit de territoriis, sed solum de Religioso extra Conuentum peccante, & de Episcopo vbi delictum committitur: quando vero lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, *l. Non distinguemus, ff. de recept. qui arbitr.* Cum ergo iste Religiosus delinquens, extra Conuentum remissus sit ab Episcopo ad suum Prælatum cum testimonio processus delicti, iuxta formam

mam supradictam Concilij Tridentini, non solum poterit Prouincialis ipsius, sed potius tenebitur illum punire: nam Episcopus per illum processum culparum missum videtur instare, vt Prouincialis illum puniat, iuxta decretum Tridentini.

2 Maius dubium est quod ponitur in secundo quæsito: an scilicet Prouincialis possit istum Religiosum sibi ab Episcopo remissum, punire inspecto solo processu facto, & misso ab Episcopo: an vero debeat Prouincialis facere per se nouum processum contra istum Religiosum recipiendo testes, &c. Quæstionem apud nullum decisam in terminis reperi. Sub censura tamen doctiorum sentio, posse Prouincialem istum Religiosum punire ex vi solius processus facti, & missi ab Episcopo, absque formatione noui processus à se confecti. Moueor primo, quia Marzilla in suis Declarationibus Cardinalium ad dictum cap. 14. *Tridentini*, citat ad hoc sequentem illorum declarationem. *Vt scilicet Regularis delinquens extra claustra, remittatur ab Episcopo ad superiorem cum processu, & probationibus factis ab Episcopo.* Si autem Concilium iubet vt cum Religioso delinquente mittatur processus, clarè innuit sufficere hunc processum ad puniendum talem Religiosum. Addo quod iste processus factus ab Episcopo est iam factus à iudice competente: licet enim Episcopus de ordinario non sit iudex competens Religiosi absolutè; est tamen iudex competens illius secundum quid, id est, si delinquat scandalosè extra Conuentum: tunc enim ex commissione Concilij, & dicta Declaratione Cardinalium, potest Episcopus Religiosum comprehendere, & processum contra illum formare. Et confirmatur, quia iste processus factus ab Episcopo, est factus authoritate Papæ, vt patet ex citata

Declaratione Cardinalium.: ergo iam est factus à iudice competente, & proinde non claudicabit processus ex eo quod factus fuerit à iudice incompetente, cum Papa sit iudex competens omnium Christianorum. adde quod *Trident. cap.* 14. non ait quod remisso sibi Religioso delinquente ab Episcopo inquirat, sumat informationem, vel quid simile, sed absolutè ait, quod instante Episcopo, Prælatus Regularis puniat, videlicet, ex vi solius processus formati ab Episcopo. Secundo principaliter probatur, quia non est res insolita vt iudex ferat sententiam per processum à se non formatum. Est imprimis exemplum in iudice sæculari, qui hæreticum sibi relaxatum ab Inquisitoribus, damnat ad mortem, solo inspecto processu Inquisitorum absque formatione noui processus, vt tenet praxis, & refert, ac probat Penha *in director. Inquisit part.* 3. *quæst.* 36. *Comment.* 85. & præterea iudices arbitri per solam authoritatem sibi datam à compromittentibus, ferunt sententiam super processu ab aliis confecto. Nam vt iudex valide ferat sententiam, videntur hæc requiri, ac sufficere; primo vt habeat iurisdictionem in reum. Secundo, vt reus sit citatus. Tertio, vt iudex habeat certam, ac iuridicam informationem vnde possit moueri ad ferendam sententiam. Quæ omnia in hoc casu concurrunt: nam Prouincialis iste habet iurisdictionem ordinariam super isto Religioso, vt patet, cum sit verus illius Prælatus. Secundo, Religiosus iste iam fuit citatus à iudice competente, & auditus, videlicet ab Episcopo, qui vt dixi *num.* 1. erat iudx competens ad hoc ex Tridentino. Tertio, Prælatus iste Prouincialis habet informationem iuridicam, per quam animum firmet ad veritatem discernendam, qui est processus iuridicus factus ab Episcopo: ergo poterit illum damnare.

nare. Credo tamen quod Prouincialis tenetur illum denuo citare,& audire, vt pro se possit nouam defensionem adducere,antequam denuò condemnetur.

CASVS XX.

De visitatione generali. Et an testes in ipsa denũciantes, sint postea ratificandi pro puniendo aliquo particulari.

IN quodam Conuentu Religiosorum cõmissum est delictum graue per duos sæculares nocte ingressos. Fuit etiã præsumptio,quod duo Religiosi fuerint complices,vel coadiutores delicti.Prælatus fecit inquisitionem generalem de delinquentibus, nihil inquirendo de dictis Religiosis, imo nec nominando sæculares. Ex hac inquisitione sic facta per multos testes denunciantes constitit duos sæculares commisisse illud delictum; & quod duo Religiosi fuerint fautores,vel consultores in eodem delicto. Et de sæcularibus existebat fama,non de Religiosis.

Quæritur, an possit Prælatus stante hoc solo processu, propter illos testes in illa generali inquisitione receptos, absque nouo processu citare illos Religiosos diffamatos, illisque exhibere capitula, siue articulos culparum, illósque sic auditos punire, absque eo quod testes priores ratificentur, vel alij denuò testes assumantur. Quæ quæstio quotidiana est, & valde necessaria, & quæ multos iam torsit. An videlicet testes in visitatione generali denunciantes contra aliquem, sint iterum vocandi,& ratificandi, antequam per illo-

rum dicta condemnetur ille, de quo denunciarunt.

1 Et quoniam res quotidiana est, & tam necessaria Prælatis, antequam ad dubium primo positum respondeam, refero hac de re dictum sapientissimi Nauarri, qui *in tomo 3. suorum operum in Rubr. de iudic. n. 79.* ait imprimis multos peccare in praxi Inquisitionis generalis: & inde vsque ad *n. 91.* ponit aliqua aduertenda pro benè instituenda visitatione generali; quæ quia valdè conducunt ad intentum, & sunt dicta à tanto viro, libuit hic summarie referre.

2 Secundo ergo dicit. Inquisitionem generalem non fieri ad damnandum, nec ad decidendum, sed solum ad inueniendum, & præparandum, adeo quod per testes acceptos in illa nemo potest damnari, etiam postea in Inquisitione, nisi repetantur, & citat pro hoc dicto Baldum, & Aretinum, per quod dictum ex mente Nauarri satis constat, testes in generali visitatione receptos contra aliquem Religiosum, si damnandus sit, esse postea ratificandos. Hoc asserit Nauarrus *n. 85.*

3 Secundum dictum Nauarri, est quod Prælatus in Inquisitione generali non potest interrogare de aliquo Religioso in particulari, nisi de illo sit infamia, vel indicia per quæ sit infamatus, quæ est communis opinio, & citat sanctum Thomam, & vnam gloss. iuris, & locum ex *Act. Apostolorum, c. 25.* citatum à D. Thom. & ideo ait, *num. 88.* quod deberet Prælatus in visitatione generali Monasterij prius protestari nolle se ab illis scire occulta, sed notoria, & famosa, vel diffamata; & sic ait se fuisse protestatum in visitatione duorum Monasteriorum, quæ ipse visitauit ex commissione sibi facta.

4 Tertium dictum Nauarri *n. 91.* est, quod Inquisitorus specialiter virtute infamiæ, vel alicuius ei æquipollentis,

pollentis, debet imprimis super infamia testes suscipere, inquirendo scilicet an vere sit infamatus, & probata infamia, tunc poterit inquirere specialiter de illo, pro quo citat multos; quod adeo verum esse ait, vt ibidem dicat, non esse credendum iudici asserenti, præcessisse infamiam, sibique de illa constitisse, nisi ex processu id appareat. Et citat Fulgos. & Decium, & ait colligi ex cap. *quoniam contra. de probat.*

5 Quartum dictum Nauarri eodem *num* §. Quinto. est, non esse credendum Alciato ibi citato, ac dicenti, quod contra Regulares potest inquiri non præcedente infamia. Id enim falsum esse, multis ibi probat.

6 Quinto ait Nauarrus *num.* 87. §. Non obstat. Quod si testis bene, vel male peccans, occultum crimen denunciauerit, & crimen iam publicum factum sit, quia ex dicto illius alij iam sciunt communiter, tunc iudex tenetur punire crimen faciendo inquisitionem particularem: iam enim crimen non est secretum. Hæc sunt substantialia, à Nauarro ibi dicta circa inquisitionem generalem faciendam. Et ex mente illius, eiusque dicto primo supra relato in *num.* 2. constat quod testes recepti in inquisitione generali contra aliquem, sunt postea repetendi, & ratificandi: idemque tenet Nauarrus in citata Rubr. *de iudiciis num.* 91. in fine, sic dicens: *Testes recepti super fama ante propositam Inquisitionem non citata parte, citata ea repeti debent*, &c. Ex quo videtur responsum ad casum in principio positum: & dicendum quod non possit Prælatus hos Religiosos punire ex vi duorum illorum testium in generali inquisitione receptorum, sed quod debet illos iterum repetere, & ratificare. Et quidem quoad sæculares, & Ecclesiasticos, cum quibus seruatur solemnitas iuris sic omnino faciendum est, in quorum causis iuris solem-

nitas ſeruãda eſt. Sic enim diſponit ius in cap. *Quoniam frequenter, de litis conteſt.* Vbi dicitur quod *Lite non conteſtata teſtes non recipiãtur.* At per ſolam generalem inquiſitionem lis non eſt conteſtata, quia nondum reus citatus eſt, & teſtes iam ſunt recepti in inquſitione generali contra illum.

7 Tota dubitatio eſt, vtrum in Religioſis, quorum cauſæ per priuilegium reſoluuntur de plano, & ſummariè, non ſeruatis apicibus iuris, ſeruanda ſit eadem ratificatio teſtium receptorum in inquiſitione generali? Huiúſque reſponſio pendet clarius ex puncto alio, videlicet an iſta ratificatio teſtium receptorum in generali inquiſitione pertineat ad apices iuris tantum, an ad illius ſubſtantiam. Ego caſum reſoluendo dico, quod iſta ratificatio teſtium pertinet tantum ad apices iuris: ac proinde non obligare in Religionibus, quæ eximuntur ab apicibus iuris per ſua priuilegia: ac proinde ſi Prælati Regulares puniant conuictum per teſtes antea receptos in generali inquiſitione, abſque illorum poſtea ratificatione, non erunt accuſandi: & hinc reſpondetur ad quæſitum poſitum in principio huius caſus vigeſimi. Quod ergo iſta ratificatio teſtium non ſit de ſubſtantia iuris, ſed pertineat ad apices, tenet expreſsè Pater Ioſephus à S. Maria in ſuo tribunali Religioſorum *tract. 4. cap. 10. à fol. 307.* licet conſulat *cap. 11.* quod in negotio grauiſſimo Prælatus Regularis etiam ratificet huiuſmodi teſtes: citat ibi pro ſe Rodrig. *tom. 2. qq quæſt. 19. art. 3.* qui Rodrig. citat Innoc. & Baldum. Inclinat ad hoc Paulinus Bertus in ſua praxi criminali, *tit. 8. cap. 5.* de forma Inquiſitionis, *fol. 210. col. 2. in fine.* Vbi ait, quod ex iudiciis repertis in inquiſitione generali poteſt Prælatus procedere contra culpatum, nullo alio proceſſu formato, iuxta ſtylum

ſeruatum

seruatum hac nostra tempestate. Hoc idem satis clarè innuit Author *Repertorij Inquisitorũ*, vir doctissimus, *ver. Testis*, §. Item nota *fol. 745. col. 2. in fine.* Idem collegit hic Author ex Panorm. qui super cap. *Ad petitionem, de accusat.* sic ait: *Nota ex textu quod si in inquisitione generali aliquis reperitur culpabilis, potest cõtra eũ procedi ad impositionẽ pœnæ ex illis probationibus in inquisitione generali receptis, nec est opus vt de nouo illæ probationes specialiter recipiantur. sed satis est illũ nominatũ citare, vt veniat ad opponẽdum*, &c. Quo nihil clariùs dici potuit ad intentum. Et subdit statim se hoc intelligere, quando inquisitio erat formata contra certum genus personarum, nam tunc inquisitio videtur formata contra quemlibet. Secundo videtur hoc probari ex glossa ad citatum c. *Ad petitionem, de accusat. vbi glossa in ver.* Non seruatum. Ait citatũ ordinem iuris, circa inquisitiones faciẽdas traditum in illo capite, esse verum circa sæculares, secus circa Regulares in quibus non vsquequaque seruatur. Et citat cap. *qualiter, & quando, de accusat.* In quo traditur forma seruanda in inquisitione generali, & de audiendo reo, de exceptionibus opponendis, &c. Et in fine capitis addit Papa sic: *Hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus vsquequaque seruandum*, &c. Tertio probatur ratione, quia non videtur de substantia iuris, vt idem testis, qui prius deposuit in generali inquisitione, nunc secundo denuo interrogetur, & ratificetur. Iam enim in inquisitione generali deposuit vt verus testis. Nam fuit vocatus à Iudice potente vocare: fuit exhibitum iuramentum coram Notario, & Iudice, quæ sola videntur requiri ad substantiam testis: testificari enim ante, vel post contestationem litis, videtur solum ad apices pertinere. Quod confirmo clare exemplo ex

iure : nam ius canonicum, & ciuile passim permittunt recipi testes ad futuram rei memoriam, quando videlicet timetur quod testes possint mori, & lis nondum est cœpta, nec contestata; & tamen testes sic recepti viginti annos ante litem contestatam valent postea, si iudicis authoritate recipiantur: habetur expresse in cap. *Quoniam frequenter, vt lite non contestata.* Quod satis probat non esse contra substantiam iuris testes recipere contra reum antequam citetur. Vltimo probatur ex eo quod tenet Rodrig. *2. tom. quæst. q. 12. art. 6.* & *tom. 4. Sum. c. 148. concl. 4.* & *in ordine iudiciario, cap. 7.* Vbi ait primum denunciatorem esse testem, & cum altero teste facere plenam probationem. Et in casu proposito de quo agimus, fuerunt multi denunciatores, non in forma Euangelica secreta, quæ requirit prius correctionem fraternam secretam; sed fuerunt denunciatores in forma iuridica, vocati, iurati, &c. & ab habente iurisdictionem ad vocãdum, & iuramentum exhibitum circa crimen particulare, quod erat publicum fuisse commissum.

8 Hæc dicta sufficiant pro liberando Prælato Regulari, qui testes receptos in visitatione generali non ratificauerit. Quibus non obstantibus, ego consulerem Prælatos Regulares, vt si quidem hodie, vel temporum malitia, vel culpatorum subterfugia, vel Prælatorum nimietas iam ferè apices iuris in Religione inuexit, curent Prælati in visitatione generali obseruare illa quinque monita Nauarri, posita in principio huius casus. Quod clarius & securius facient seruando Regulam traditam ab eodem Nauarro, *lib. 5. Consiliorum, tit. de Accusat. Inquisit. & denunc. consil. 3. n. 4.* loquente de visitatione vnius Conuentus. Vbi innuit faciendam esse duplicem visitationem, primam generalem,

de

de nullo specialiter inquirendo. Secundam specialem, quando videlicet resultante infamia, vel probatione contra aliquem in particulari, fit nouus processus contra illum, citato eodem, & repetitis testibus antiquis, & aliis testibus, quia denunciatoribus visitationis generalis, sunt iudicati.

CASVS XXI.

De vno Conuentu recusante, ne Prouincialis visitaret, quando facienda erat quædam electio.

IN vno Conuentu Monialium, tempore quo Prouincialis ex officio tenebatur visitare Conuentum, & facere electionem Abbatissæ, vel Officialium, quædam Moniales voluerunt recusare Prouincialem, vt suspectum, ne visitaret, neque electioni assisteret. Quæritur an potuerit illum impedire ne visitaret ex officio, & electioni præsideret? & ideo potest quæri de Conuentu Fratrum, an possit recusare Prouincialem ne illum visitet?

1 Antequam respondeam, suppono primo, teneri Prouincialem singulis annis visitare Conuentus Monialium sibi subditarum; vt habetur expresse in Clementina *Attendentes*, *de statu Monach.* vbi Papa clarè exprimit, *Singulis annis, & Moniales.* Concordat Trident. *sess. 7. de reform. c. 8.*

2 Suppono secundum, esse consuetudinem Prouincialium in electione Abbatissarum, vel similium Prælatorum eisdem, vel partibus opponentibus optionem dare,

dare, vt designent, quos Religiosos sibi velint adduci in testes scrutatores electionis, & ab illis designatos adducunt, quod est consonum iuri canonico in cap. *Quia propter, de elect.* Et sic obseruat praxis in capitulis Fratrum: vbi assistentes scrutinij per vota particularium eliguntur. Quo supposito sit prima conclusio.

Prima conclusio.

3 NOn possunt Moniales, nec Fratres vnius Conuentus recusare Prouincialem, eúmque impedire (quantumcumque suspectus sit) ne visitet ex officio suum Conuẽtum visitatione generali, & ordinaria. Vltra probationes huius conclusionis mox adducendas, illam probo imprimis decreto Apostolico S.D.N. Pauli V. posito à Barbosa *in suis remissionibus ad Tridentinum super sess. 24. cap. 10. de refom. num. 4.* Quod decretum prædictus Summus Pontifex anno 1610. transmisit ad Episcopum Portugalensem nostri Regni Portugalliæ: Tenor sic habet.

Venerabilis frater, salutẽ, & Apostolicam benedictionem. Fraternitatis tuæ nomine nobis nuper expositũ fuit, quod visitationes quæ in tua diœcesi in vim decretorũ Cõcilij Tridẽtini, & alias legitimè fiunt, impediũtur, eo quia visitati Prælatum, seu altũ legitimè visitãtem suspectum allegãt, in magnũ diuini cultus, præsertim, & fabricæ Ecclesiarũ præiudicium. Quamobrẽ nos huiusmodi abusum tollere volẽtes, supplicationibus super hac tuo nomine humiliter porrectis inclinati, de cõsilio venerabiliũ Fratrum nostrorum sacræ Rom. Eccles. Cardinalium, sacri Concilij Tridẽtini interpretũ, Apostolica authoritate declaramus, Episcopum vel alium cui id legimè competit, visitantem non posse vti suspectum recusari. Non obstãtibus constitutionibus,

nibus, & ordinationibus Apostol. cæteríque contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ, &c.

4 Circa hoc decretum primo aduerto, quod licet sit commissum ad vnum tantum Episcopum particularem, habet tamen vim in tota Ecclesia, vt per illud causæ resoluantur vbique in Ecclesia: est enim epistola decretalis Papæ, sic enim totus liber Decretalium, & sextus compilati sunt ex epistolis missis ad Episcopos, & personas particulares, & hodie vim habent in tota Ecclesia, eo quod sint responsa, rescripta, & resolutiones Summorum Pontificum pro Ecclesiæ instructione. Et hoc ipsum, quod hæc rescripta particularia Pontificum habeant vim legis in tota Ecclesia, tenet expressè Sylvester *verb.* Rescriptum, *qu. 4.* Secundo noto in hoc decreto Papam, non solum id concessisse pro Episcopis visitantibus suas diœceses, sed etiam pro Prælatis Regularibus visitãtibus suas Provincias. Constat clarè ex illis verbis Decreti: *Episcopum vel alium cui id illegitimè cõpetit.* Quibus verbis clarè id cõcedit, & Episcopo, & cuiuis alteri legitimè visitanti; qualis est Prælatus Regularis, qui ex *Clementina supra citata*, attẽdentes, legitimè visitat singulis annis, & tenetur visitare suos subditos ex mandato Concil. Trident. *sess. 25. cap 1. de Regular.* prope finem. Et quamuis ex citatis verbis prædicti Decreti id non colligeretur tam clarè sicut diximus: adhuc stando solum in doctrina, & regulis iuris, dicendum est illud Decretum Pauli V. prohibens recusari Episcopum in visitatione ordinaria, sine vlla extortione, extendendum esse etiam ad Prælatos Regulares, ne possint recusari in sua visitatione ordinaria. Probo clarè, quia de æquipollentibus idem est iudicium, *l. fin. ff. mandat.* & cap. *si quando, de rescript.* & præterea vbi est eadem ratio, est etiam eadem iuris dispositio

positio,cap.*dudum, de elect.il.*2. At Episcopus,& Prouincialis æquipollent in iurisdictione, vt mox dicam; præterea eadem est omnino ratio in visitatione Episcopi, & Prouincialis, vt patet: ergo in vtroque erit eadem iuris dispositio,ita vt quod Papa decreuerit circa visitationem Episcopi non recusandam, idem quoque iudicandum sit de Prouincialis in visitando recusatione. Quod autem eadem sit ratio in Prouinciali, atque in Episcopo, constat ex communi Doctorum sententia, dicentium, quod Prouincialis habet in suos subditos iurisdictionem quasi Episcopalem, vt inter alios tenet, ac probat Rodrig. *Addit ad Summ.tom.*4. *verb.* Prælados,*cap.*104.*concl.*7.citans vnam glossam,& & Cardinalem,& Abbatem.

5 Vt autem appareat quanta cum ratione D. Paulus V.illud decreuerit,vt in visitatione generali non possit Episcopus recusari (nec proinde Prouincialis) offero has duas rationes pro illo decreto Pōtificio.Prima est. Nam Episcopus, vel Prælatus in visitatione generali concernente bonum commune, non inquirunt, nec possunt inquirere de culpis alicuius in particulari:cumque illa visitatio in genere tendat ad bonum commune Conuentus,non potest subditus particularis impedire bonum commune Conuentus.Si vero dicas,ex illa visitatione generali posse resultare culpas contra Prælatum Conuentus, vel alios graues Patres,quorum interest Prouincialem suspectum non visitare. Respondeo hoc non sufficere ad illum recusandum: nam vt ait Nauar.*lib.*5.*consil.tit.de accusat.Inquisit consil.*3.visitatio generalis neminem infamat, & per testes in illa receptos nemo potest cōdęmnari:sed debet fieri particularis processus à visitatore ex repertis in visitatione generali contra in illa culpatum; & in hoc secundo

processu

processu speciali, citato illo culpato in generali inquisitione poterit recusationes ponere contra Prouincialem. Secunda ratio illius decreti Papalis est: nam cum Prælati de ordinario ratione officij incurrant odium subditorum, eo quod reprehendunt, puniunt, appetitibus resistunt, &c. Nascuntur multi æmuli, & non benè affecti ad illum in Episcopatu, vel Prouincia: & proinde multi ex iis tædio affecti ad Prælatum, possent in quouis oppido, vel Conuentu recusare Episcopum, vel Prælatum visitare volentem, etiam ad libitum: & ita impediretur bonum commune visitationis, & Ecclesiæ, vt ait Papa in citato decreto. Colligitur hæc secunda ratio ex cap. *qualiter, & quando, de accusat.* vbi ait Papa, quod non facilè admittatur accusatio Prælatorum. Et causam assignans Pontifex ait: *Nam Prælati sunt quasi signum positi ad sagittam, & multorum odia incurrunt.* Sed hoc sicut dixi, non impedit quominus in visitatione, seu inquisitione particulari facta à Prælatis, possit illos subditus recusare cum causa, & seruata forma iuris.

Secunda conclusio.

6 NEc possunt particulares prætendentes validè recusare Prouincialem quin assistat electioni Prælatæ, vel aliarum Officialium, si ipse Prouincialis adducat duos testes oblatos à prætendentibus, vel ad beneplacitum prætendentium adductos, vt assistant electioni tanquam scrutatores, & defensores iustitiæ recusare volentium. Primam partem huius conclusionis probo primo, & etiam probatur tota conclusio sequentibus multis rationibus. Nam cessante causa cessat effectus, vt dicitur in cap *cum cessante, de appellat.* &

est

est idem quod alibi tradunt Doctores, videlicet quod cessante fine legis cessat lex. At finis,& causa,ob quam iura concedunt posse iudicem recusari, est, quia ipse solus postea daturus sententiam, ex passione, & odio poterit nocere recusanti; & hæc ratio, & causa cessat omnino in Prouinciali, etiam aliàs suspecto, quando agitur de illius assistentia in electione Prælatæ: nam ille ibi nullam laturus est sententiam,vt patet: sed solum debet suffragia per Arithmeticam recensere, & promulgare; & ad hoc habet duos associatos pro parte contraria, in quorum præsentia est impossibile moraliter suffragia defraudare: ergo in totum cessat causa suspicionis, quæ sibi possit opponi. Et magis declaratur, quia quando recusatur iudex laturus sententiam in causa,est quia ille debet recipere testes, debet solus considerare dicta testium, & merita causæ: quæ omnia cessant in sola, ac nuda assistentia electionis, vbi nihil horum concurrit, & habet occultatos testes contra se.

Secunda ratio deducitur ex c. *cum speciali,de appell'* vbi Papa iubet, quod si pars aliqua recusauerit iudicem ordinarium assignatis causis recusationis, tunc pars recusans,& recusata eligant arbitros,qui iudicent causas recusationis,cum cæteris ibidem. Ex quo loco colligo, permittere ius vt iudex recusatus eligat arbitrum vnum, qui iudicet cum alio arbitro recusantis causam ipsius iudicis recusati. Si ergo ius permittit vt Prælatus eligat vnum arbitrum, qui iudicet causam suæ recusationis: à fortiori permittet, quod Prælatus recusatus offerat duos arbitros scrutatores parti recusanti,qui assistant pro illa in electione,& faciant ratiocinium suffragiorum. Et cum ego essem Prouincialis oblato mihi hoc eodem casu, in quodam Conuentu

Monia

Monialium me recusare tentante in electione Abbatissæ, consului virum satis doctum in iure canonico, qui hodie viuit in grauissimo tribunali Ecclesiastico huius Regni, qui mihi dixit hoc ipsum; videlicet non potuisse Conuentum me validè recusare, si ego illi offerrem, vt eligerent arbitros sibi propitios, qui me in electione associarent: & ita factum est.

Tertio, id confirmo ex dicto Panorm. c. *super quæst. de offic. & potest. iudic. deleg.* vbi postquam dixit cum communi, quod iudex merus executor non potest recusari, iuxta cap. *Nouit. de appellat.* Ait quod si tali executori committatur vt testes examinet, vel iudicet expensas litis, poterit recusari; nam in scribendo, & callidè testes examinando poterit grauare partem, vel etiam in arbitrandis expensis. Si vero sit merus executor, ab eo non potest appellari, nec recusari, quia non potest notoriè lædere partem, quin notoriè consteret. Quæ omnia pulchrè aptantur nostro casui, argumento à contrario sensu. Nam Prælatus assistens electioni tanquam præses, non examinat testes, vt patet, cum suffragantes, & votantes non sint testes Item, ibidem non iudicat aliquid ex suo arbitrio. Item, habens ibi duos testes contra se (vt ita dicam) & procuratores partis læsæ, vel recusantis, non potest lædere quin notoriè consteret: ergo non potest recusari neque ab eo appellari. Quod adhuc potest confirmari ex illa historia Daniel. 13. vbi illi duo senes, etiam mali iudices, ausi sunt tantum facinus intentare contra Susannam castam, quia nemo illos videbat, dicentes, *Nemo nos videt.* Quasi à contrario, si scirent eos ab aliquo videri, tale non intentassent; quantumcumque mali. Si ergo præses electionis habeat duos testes assidentes pro parte recusante procuratores, quomodo poterit læ-

dere,& aliquid contra electionis iustitiam intentare?

7 Quod spectat ad secundam partem conclusionis, quod scilicet non possit recusari Prouincialis, quando in visitatione Conuentus Monialium non fit electio Abbatissæ, sed solum fit electio cæterarum officialium vt ianitricis, & similium, quod inquam neque in hoc possit recusari Prouincialis, patet clariùs ex supradictis,& mox dicendis. Nam imprimis non potest recusari ne visitet, propter clarè, & efficaciter dicta in prima conclusio : nec potest recusari quin eligat officiales prædictas, maximè si adhibeat duos illos testes ad petitionem partis recusantis : si enim id potest in electione Abbatissæ, quod est maius,& in qua concurrit forma electionis canonicæ per schedulas obsignatas;multo melius poterit id facere in electione harum officialium, quæ non est canonica,nec fit per schedulas secretas, sed oretenus coram vno Notario, & duobus testibus, vt solet fieri in Monialium Monasteriis subditarum Ordini Minorum. Adductis enim duobus testibus ad petitionem partis querelantis, cessabit omnis suspicio damni inferendi, & tota ratio recusandi, sicut probatum est circa electionem Abbatissæ. Quod adhuc potest confirmari ex cap. *indemnitatibus, de elect. in 6.* vci præscribitur forma eligendi Prælatum Monialium, & datur licentia recusandi, & appellandi ab illa. Et tamen ibi vt constat, solum sermo est de electione Prælatæ. At officiales Monialium, quas diximus, nec sunt Prælatæ, nec fiunt à tota communitate, vtplurimum, sed per solas discretas, ac seniores Conuentus:& proinde, difficilius seu multo minus poterit Prælatus recusari in visitando Conuentu ex officio singulis annis pro faciendis istis officialibus. Et quod citatũ c. *indemnitatibus*, solum loquatur de electione Abbatissæ,

batissæ, patet ex §. *sunè*, *ibidem*, vbi Papa dicit, quod si electio fuerit inuenta canonica, confirmetur: hæc vero electio officialium, vt diximus, non est canonica.

8 Probata sic conclusione quoad vtramque partem sigillatim. In communi probo, quod ista recusatio Prouincialis quoad visitationem, & præsidentiam in electione, facienda sit cum magna causa, & vt verius dicam, nunquam est facienda, maximè si Prouincialis offerat parti oppositæ, vt eligat testes ad libitum. Probo primo, quia (vt suppono certissimum) Prouincialis, tanquam Prælatus habet votum in electione Abbatissæ, & officialium pro Conuentu Monialium, vt alibi probaui, & praxis obseruat: cum ergo, si ille recusetur ab electione facienda, consecutiuè priuetur suffragio quod ferre poterat in dicta electione; sequitur quod debet interuenire magna causa, & iuridicè probata, vt ille debeat pro recusato haberi, & pro priuato ad suffragandum in tali electione. Et hæc causa ad illum priuandum ne assistat in electione Monialium, non debet esse qualis qualis, vt tenet Nauar. *tom. 3. suorum operum.* in expositione capitis *cum contingat, in decimo casu nullitatis, num. 2.* sed debet esse causa grauissima, & probatissima: maximè in causis Monialium, quæ cum fœminæ sint auidius appetunt, & vehementius instant, & hoc sæpè sine fundamento, vt experientia testatur. Vltimo id videtur probari, quoad vtramque partem, quod videlicet, si Prouincialis in electione associetur testibus non suspectis, & à parte querelante acceptatis, non possit tunc recusari, quia abstulit grauamen, & suspicionem. Probatur hoc inquam ex cap. supra citato *cum cessante, de appellatione*, cuius casus talis fuit. Quidam iudex, in processu sententiæ dixit certum quid, vel comminatus est se rem certam mandatu-

rum, de quo pars appellauit sentiens se grauatam à futura comminatione. Iudex audita appellatione, dictum retractauit, & grauamen suspectum sustulit: consultus Papa respondit, quod iudex in causa procederet, non obstante appellatione, quoniam iam iudex abstulerat impedimentum, propter quod fuerat ab illo appellatum. Idem omnino potest applicari in nostro casu recusationis ne Prælatus assistat in ista electione. Fuit recusatus eo quod timeretur, ne ille in electione lædere posset partem recusantem. Si Prælatus adducat duos testes beneuolos, & electus ab ipsa parte querelante, iam sustulit grauamen, & suspicionem, iuxta supradicta, & proinde poterit procedere, & præsidere in electione

9 Adhuc instas. Prouincialis in ista electione de more, ante electionem prius visitat Conuentum: & in ista visitatione poterit subornare singulas Moniales ne dent, vel dent suffragium pro tali: & hæc læsio est iam notabilis, & irreparabilis; & proinde est causa recusationis? Respondeo primo, quidquid de hoc sit, Prouincialem non posse recusari quin visitet in communi, vt satis manet probatum in prima conclusione: per accidens vero est quod affert hæc instantia. Secundo dico quod quando hæc instantia valeret, tunc Prouincialis faciat electionem non præmissa visitatione, cum testibus non suspectis, & sic non poterit recusari ob hanc instantiam.

10 Quæris: an si non obstantibus tot, ac tam claris probationibus, obtineri non possit, vt Prouincialis recusatus assistat electioni Abbatissæ cum duobus testibus à parte recusante acceptatis: possit Prælatus recusatus delegare causam alteri cui voluerit, vt visitet, & assistat electioni? Panorm. super cap. *cum speciali, de appellat.*

pellat. remittens se ad id quod iam dixerat in cap. *si quis contra clericum, de foro compet.* tenet quod iudex ordinarius si recusetur poterit committere causam cui voluerit, etiam sine consensu recusatoris: cui fauet ius ciuile in Authentica, *sinon contingit, C. de iud.* & Bartol. *in l. 1. ff. apud eum à quo appelletur:* vbi dicitur quod iudex recusatus non ex toto remouetur, sed illi datur adiunctus. Hæc Panorm. & quidem quod attinet ad citatas leges, & Bartolum, libenter concedo pro nostro casu facere, quod scilicet Prouincialis recusatus non ex toto remouetur ab assistentia in electione, sed iuxta citatas leges illi dabitur adiunctus; quod coincidit cum iam dicto à nobis in præcedentibus, non posse scilicet Prouincialem recusari ab electione, si dicat parti recusanti, vt eligat pro se duos testes propitios: hoc enim est dari Prouinciali recusato adiunctum, iuxta citatas leges. Quod verò attinet ad dictum Panormitani dicentis iudicem recusatum posse committere causam cui voluerit: de hoc multum dubito, & credo quod non possit. Nam si hoc posset, sequeretur posse illum causam committere alicui suo amicissimo, & sibi per omnia obsequuturo, quem proinde pars recusans maiori iure poterit recusare. Ac proinde dico quod si electionem alteri velit committere, id debet facere de consensu partis recusantis, ne postea noua recusatio fiat circa delegatum, si ipse etiam displiceat recusanti. Huius opinionis est expressè glossa in dicto cap. *cum speciali, in fine casus.* Vbi sic dicit: *Iudex recusatus negotium committat personæ idoneæ de assensu recusatoris, ne illum valeat postea recusare.* Et est hæc doctrina conformis textui illius capituli: vbi vides quod iudex recusatus de assensu recusatoris potest causam alteri committere, qui laturus est sententiam per se, & solus: vt

videas quam merito supra dixerim non posse recusari Prouincialem in electione, in qua nec debet sententiam ferre, nec testes examinare, & debet habere duos testes contra se à parte recusante præsentatos.

CASVS XXII.

De quodam Prælato audiente reum solum verbo tenus: & de subdito appellante eadem de causa.

QVidam Prælatus certæ Religionis cœpit visitare Conuentum suæ Prouinciæ (fuit hic casus alius à præcedente) prius ad id conuocatis fratribus capitulariter, illis mandans sub censuris, vt visitarent. Prior dicti Conuentus tacuit, visitationi consensit: imo & ipse visitauit coram superiore, proponens quæ habebat. Post aliquot dies visitator vocato Priori Conuentus, illi verbaliter sine scripto proposuit certas culpas, iubens vt ad illas responderet. Prior respondit, ac petiit culpas sibi dari in scriptis, vt posset commodè se defendere. Visitator recusauit dare in scripto. Prior hoc denegato, noluit respondere, & posuit recusationem ipsi visitatori. Quam recusationem visitator friuolam iudicans, ac reiiciens, Priorem suspendit ab officio, nolens committere recusationem arbitris, qui illam iudicarent, sicut Prior petebat: & ab his omnibus dictus Prior appellauit. Et declaratur, quod in ista Religione obseruatur sequens statutum, seu mandatum sui Generalis. *Reus, atque delinquens adducens in suspicionem superiorem suum, coram duobus, vel tribus Patribus grauio*

grauioribus rationes adducet, cur reuereatur iudicium sui superioris, & de prauo eius affectu suspicetur His positis,

Quæsitum est primo. Si potuit iste visitator recusari in materia visitationis ab ipso Priore?

Secundo, an dato quod recusari potuerit, fuerit recusatus in tempore debito postquam iam visitauerat?

1 Ad primum quæsitum dico, quod non potuit visitator recusari vt suspectus ab ipso Priore in principio visitationis generalis, quando visitator proposuit in capitulo se velle visitare ex officio in communi. Hæc probatur clarè ex dictis in casu 21. præcedente, vbi probauimus ex decreto Apostolico, & aliis multis rationibus, non posse Prælatum recusari in visitatione generali, quam facit ex officio. Et quia Prælatus, de quo quæritur, siue Prior in hoc non excessit, sed paruit Prælato in communi visitanti, de hoc quæsito nil amplius dico.

2 Ad secundum quæsitum dico, hunc Priorem recusantem visitatorem post generalem inquisitionem, sibi exhibentem capitula culparum cum animo puniendi, potuisse licitè, ac iustè tunc recusare visitatorem, vel ab illo appellare, non obstante quod tacuerit, & consenserit illum visitare. Probatur hoc responsum clarè ex dictis in casu præcedente 21. *à num.* 5. vbi diximus visitatorem in visitatione generali non posse inquirere de aliquo in particulari, nec per testes ibi receptos posse aliquem puniri, vt diximus in alio casu cum Nauar. *in Rubr. de iudicijs.* Cum ergo in visitatione generali, visitator nihil ageret in particulari contra Priorem, eius tunc taciturnitas, & consensus in visitatione generali, non potuit illi nocere, quin postea recusaret, vel appellaret validè in secunda visitatione speciali, quando visitator in particulari illum vocauit, &

culparum capitula dedit vt responderet. Neque hæc nostra hîc responsio pugnat cum dicto à nobis supra *casu* 18. *num.* 1. *& seqq.* vbi diximus Prælatum localem, de quo ibi, non potuisse appellare à Prouinciali postquam consensit illum visitare suum Conuentum. Casus enim ille valdè fuit dissimilis, nam ibi Prælatus localis non solum consensit in visitatione generali, sed etiam illa transacta, cum Prælatus iam procederet in particulari contra illum Prælatum localem, dans illi capitula culparum, ille acceptauit: & deinde post capitula acceptata, idem Prælatus localis recurrit ad Prouincialem, petens tempus longius ad respondendum capitulis; per quæ duo posteriora clarè consensit in Prouincialem specialiter inquirentem, vel agentem contra Prælatum localem, & per hæc duo Prælatus localis renunciauit clarè causis recusationis modo à nobis ibi dicto. At in hoc nostro casu Prior iste, de quo agitur, post visitationem generalem, vbi primum sensit visitatorem contra se agere in particulari per exhibitionem articulorum culparum, reclamauit, & recusauit in tempore debito, si causam habebat iustam recusandi, de quo statim dico.

3 Et antequam vlterius procedam, volo hoc semel supponere, & explicare, videlicet, potius hunc Priorem debuisse appellare iuxta informationem, quam recusare. Differt enim veldè appellatio, & recusatio in rigore loquendo. Nam aprellatio non fit, nisi à grauamine iam illato à iudice in processu causæ, vel à grauamine comminato à iudice, vt communiter tradunt Iuristæ, & sic fundatur appellatio in læsione clara facta iam, vel comminata. Recusatio vero iudicis fundatur in præsumptione clara, quod iudex in processu poterit lædere, vel ob inimicitiam antiquam, vel ob consanguinita

guinitatem, vel amicitiam quam habet cum meo aduersatio, & similibus causis recusationis. Itaque valdè differunt inter se appellatio, & recusatio iudicis, ad quam accedit exceptio posita contra testem. Quod applicando ad intentum, dico hunc Priorem, contra suum visitatorem nolentem dare capitula culparum in scriptis, & nolentem iudicare causas recusationis, iuxta Ordinis statutum, rectius facturum fuisse si appellaret à dicto visitatore ob grauamen sibi de facto illatum, in non exhibendis culpis per scriptum, & in non seruando statutum Ordinis, quam dicendo, recuso visitatorem: hæc enim recusatio supponit interuentionem inimicitiæ antiquæ, vel similes causas antè existentes ad recusandum: illa vero duo quæ diximus, nolle dare notitiam culparum per scriptum, & omittere formam sui statuti, erant grauamina actu illata, & proinde materia appellationis (si fuerunt sufficientia, de quo statim) & non erant propriè materia recusationis, si iuridicè loquendum sit. Et per hæc satis responsum videbatur ob duo tantum quæsita proposita in informatione. Quia tamen ex informatione multa alia dubia nascuntur, & quotidiana, quorum resolutio fortè iuuabit aliquando: ex tenuitate mei ingenij, ex proposita informatione colligo, & dico sequentia.

4 Ex primo quod attinet ad capitula culparum exhibita Priori sine scripto, credo id validè potuisse facere visitatorem, si aliàs Prior oretenus se posset validè, & commodè defendere. Probo primam partem, (supponendo quod isti Religiosi non tenẽtur ad apices iuris.) Nam exhibere reo, maximè Regulari, capitula culparum in scripto, non est de substantia iuris. Probo ex cap. *Qualiter & quando, de accusat. il. 2.* vbi Papa tradit formam citandi, & audiendi reum: non dicit quod illi

dentur culpæ, & nomina teſtium per ſcriptum, ſolum ait: *Quod hæc ſint reo exponenda, & explicanda.* At exponere, & explicare, ſufficienter fit oretenus, ſine ſcripto. Facit quod Papa addit in fine proximè citati capituli, videlicet quod forma ibi data pro audiendo reo, non ſit vſquequaque ſeruanda in proceſſu Religioſorum: vnde licet in prædicto capite implicitè contineretur, quod culparum capitula danda eſſent reo per ſcriptum, adhuc Prælati Regulares videntur ab hac obligatione liberi, per id quod proximè diximus ex fine citati cap. Probo 2. ex his quæ tradit gloſſa ſuper cap. *Cordi nobis eſt, de appell. in 6. in fine caſus*, vbi ait regulariter, ſcripturam non eſſe de ſubſtantia rei geſtæ, niſi quando lex ſpecificat vt res fiat per ſcriptum: nam ſcriptura non eſt inuenta, niſi vt res de memoria non pereat. Citat gloſſa ad hoc *l. pactum, C. de pact.* & *l. contrahitur, ff. de pignor.* Cum ergo citato capite *qualiter, & quando*, vbi traditur forma audiendi reum, non dicatur vt audiatur per ſcripturam, & aliàs poſſit commodè audiri verbaliter: ſequitur poſſe Prælatum verbaliter tantum reum Religioſum audire. Dixi, ſi abſque culpis datis in ſcripto poſſit ſe commodè defendere. Nam ſi capitula culparum eſſent multa, quæ facilè memoriter retineri non poſſent, vel eſſent dubiè propoſita, vt poſſet Prælatus poſtea arguere, reſponſionem non dari in forma: tunc teneretur Prælatus per ſcriptum culparum capitula exhibere, quia hoc pertinet ex ſubſtantia ad commodam defenſionem rei, cui (etiam Religioſo) danda ſunt omnia quæ pertinent ad ſubſtantiam propriæ defenſionis, ſicut dictat lumen naturale: & denegata tunc culparum exhibitione per ſcriptum, poſſet à viſitatore appellari, quia grauamen fecit in re notabili pertinente ad commodam defenſionem

nem. Quod adhuc confirmo ex iis quæ tradit gloſſa ad citatum c. *Cordi nobis eſt*, vbi citat cap. *Saluberrimum*, 1. *quæſt.* 7. vbi dicitur ſcripturam in appellatione ideo fuiſſe inuentam, vt obuietur appellanti ſi poſtea variare velit. Idem ego applico in hoc caſu: ſi Prælatus ore tenus tantum reo exhiberet multa capitula culparum, & aliqua confuſa, neceſſaria omnino eſſet ſcriptura, ne Prælatus, vel reus poſtea variarent. Secus, ſi vna tantum culpa, eaque clara exhiberetur: tunc enim credo oretenus id poſſe fieri, iuxta prædicta in principio huius *num.* 4.

5 Quod attinet ad aliud in informatione propoſitum, videlicet quod viſitator reiecit appellationem, ſeu potius recuſationem Prioris tanquam friuolam, eáque non obſtante, proceſſerit, & ab officio ſuſpenderit: dico id facere potuiſſe, ſi recuſatio erat friuola. Eſt communis Iuriſtarum, & recepta in praxi, & clarè colligitur ex cap. *cum ſpeciali*, *de appellat.* vbi Papa ſolum iubet dari arbitros pro examinanda cauſa recuſationis iudicis, quando cauſa eſt iuſta; ibi in textu, *Cauſam iuſtæ ſuſpicionis aſſignet.* Si ergo recuſatio non fuerit iuſta, ſed iniuſta, & friuola, ſeu nulla, non tenetur iudex illi deferre, nec arbitros eligere, iuxta formam ibi traditam. Circa quod noto primo, ex magine paruo ibi poſito ad latus gloſſæ communis *ver.* iuſtæ, quod ſi clarè conſtat recuſationem eſſe iniuſtam contra ius, vel friuolam, & inutilem, tunc iudicem poſſe illam per ſe reiicere non vocatis arbitris: probat ibi gloſſa ex cap. *cum olim*, *de cauſa poſſeſſ.* & citat Innocentium, Hoſtienſem, & Ioan. Andr. Secundo noto, quod cum cauſa recuſationis eſt dubia, an ſit iuſta, vel friuola; tunc iudex tenetur abſtinere, & vocare arbitros, qui illam iudicent, iuxta formam traditam in citato cap. *cum ſpeciali*. Statutum

tum vero istius Religionis citatum in informatione, circa modum iudicandæ recusationis Prælato porrectæ coram duobus senibus, cum nihil nouum contineat præter ius commune citatum. Eodem modo debet, ac debuit tunc exponi, sicut dixi proximè in hoc *num.* 5. de recusatione clarè iusta, vel clarè iniusta, vel friuola. Et pro maiori adhuc notitia istius rei quotidie contingentis, noto ex Rodrig. *tom.* 1. *quæst.* 8. *art.* 13. in principio, illam appellationem dici friuolam, quæ ponitur sine iusta causa, videlicet quando recusans non est grauatus iniustè: vel quando est vana & inutilis, ita vt non possit sortiri effectum; quod licet ibi dicat de appellatione, potest tamen applicari ad recusationem, quod scilicet erit friuola, quando recusans sine vllo fundamento timet processum iudicis, vel timet friuolè, vel inaniter, vel iniustè; & proinde tunc iudex per se solum potest reiicere.

6 Potest etiam quæri, an de essentia recusationis sit, quod ponatur in scripto, vel quod exprimatur causa recusationis? Dico primo, non esse de essentia illius, vt recusans id faciat per scriptum: nam in citato capite *Cum speciali*, vbi traditur forma recusationis, nō dicitur quod fiat per scriptum, solum dicitur, quod coram superiore assignet causas suspicionis, quod verbo tenus fieri potest: cumque ibi textus non requirat scripturam, neque nos debemus requirere. Addo tamen de substantia recusationis omnino esse, vt recusans coram iudice recusato assignet causas recusationis. Probo efficaciter, nam cum lex tradit formam substantialem seruandam in aliquo actu, si illa forma non seruetur, corruit actus, vt tradunt communiter Doctores, maximè Suarez *lib.* 5. *de legibus, toto cap.* 31. citans multos: at in citato cap. cum traditur forma recusationis, & requiritur

quiritur expreſſio cauſæ, illa forma eſt eſſentialis ſiue ſubſtantialis. Probo ex Suarez *eod.cap.num.*3. vbi tradens Regulas ad cognoſcendum,an forma tradita à lege pro aliquo actu,ſit ſubſtantialis,an accidentalis:ait, quod quando forma præſcripta per legem continet naturalem æquitatem, ſine qua actus non poteſt fieri validè; ſeu quando eſt de re neceſſaria vt actus fiat, tunc talis forma eſt ſubſtantialis, & eius omiſſio vitiat actum.Iam vero in recuſatione Prælati, expreſſio cauſæ continet naturalem æquitatem, vt recuſatio obliget: imo talis expreſſio cauſæ eſt omnino neceſſaria ad acceptandam recuſationem, nam cum Prælatus iuxta citatum c. *cum ſpeciali.*& ſupradicta, non teneatur acceptare recuſationem friuolam, & iniuſtam, ſed ſolam recuſationem iuſtam; vt hoc debitè fiat, omnino neceſſarium eſt, vt recuſans exprimat cauſam propter quam recuſat, vt ſciat iudex an teneatur recuſationi referre. Et hoc clarè tenet gloſſ.in cap. *Cordi nobis eſt*, ſupra citato, *in verb.*Interlocutoria, *in fin.*vbi ait etiam Papam iubere, vt appellans exprimat cauſam appellationis,vt ſciat iudex an cauſa iuſta ſit,quæ illum obliget ad acceptandam appellationem:an vero friuola ſit, quam poſſit ac debeat reiicere. Hinc vides quam friuolè,& nulliter aliqui coram Prælato aliquando dicunt: Recuſo te, vel: es mihi ſuſpectus, vt probabo. Nihil enim faciunt, & nihil valet talis proteſtatio, & recuſatio ſine expreſſione cauſæ. Et per hæc reſpondebatur ad recuſationem intentatam ab iſto Priore,cuius forma hîc non declaratur.

7 Poteſt vltimo dubitari de forma appellationis, qua Prior appellauit,an ſcilicet appellauerit in ſcripto, & expreſſerit propriè cauſas ob quas appellabat: vt enim iam diximus ſupra *in caſu* 18. per multos textus conſtat,

comitat, quod appellatio debet duo continere : primo, vt fiat in scripto,& secundo,vt contineat causam appellationis : & hoc,vt ibi diximus,intelligitur, si appellatur à grauamine,vel ab interlocutoria : nam si appellatur à sententia diffinitiua,nullum ex illis duobus requiritur. Quia tamen casus quotidianus est,& mores mutant leges:ego claritatis gratia , de vtroque sic iudico. Attento rigore iuris appellatio facienda est in scripto: iura enim citata *dicto casu* 18.maximè capitulum,*Cordi nobis est,de appellat.in* 6.ita clarè loquitur,vt appelletur in scripto,vt nullæ dubitationi locum relinquat.Et probari potest secundo ex traditis à Sanchez *tom. 2. Decal.lib.6.*in simili materia,vbi *n.* 31.citans*l.cõtractus, 16.de fide instrum.*& glossam in cap.*in scriptu.*communiter receptam, dicit, quod vbi lege, vel partium conuentione contractus scriptura indiget,est irritus ea deficiente, quod affert ad probandum , quod si Prælatus alicui concedat licentiam vt intret clausuram Monialium , idque concedat sine scriptis , quantuncumque causa ingrediendi iusta sit , ait peccaturum ingredientem, & licentiam esse nullam , quia data fuit sine scripto , cum aliàs Concilium dicens , vt detur in scriptis, & forma Tridentini non seruetur. Cum ergo tot leges loquentes de appellatione, requirant vt fiat in scripto, videtur pertinere ad substantiam appellationis,& substantiam iuris , vt fiat in scripto, ita vt si fiat voce tantum non sit valida. Sed video contra hoc duas exceptiones. Prima est , quando appellatio non fit verbo, sed facto per arreptionem itineris ad superiorem , de qua supra citato casu 22. tunc enim neque appellatur scripto,neque causa exprimitur. Secunda exceptio traditur à Sylvest.*verb.* Appellatio *quæst.*4. vbi citans Panormitanum , ait, quod si appellans ab interlocutoria,

appellet

appellet viua voce, & incontinenti, & causam exprimat, valebit appellatio. Huius rei causam contra tot textus nullam affert, nisi fortè vsus contrarius ita iam obtinuerit, vt valeat appellatio à grauamine, vel interlocutoria absque scripto. Ego id non consulerem, maximè in re graui, etiam in Regularibus. Quod vero attinet ad secundam conditionem appellationis, vt scilicet semper exprimatur causa cur appelletur, omnino dicendum est, semper esse exprimendam, & esse de substantia illius; & probatur eisdem omnino rationibus, quibus *num. 6.* proximè præcedente ostendimus esse de substantia recusationis, vt in illa exprimatur causa recusandi. Nam cum iudex habeat ius in vtroque iure, vt possit repellere appellationem friuolam, non poterit vti hoc suo iure, nisi appellans exprimat causam ob quam appellat, vt videre possit iudex an appellatio sit friuola, vel iusta.

CASVS XXIII.

De quodam teste fatente veritatem in suo testimonio: & postea nolente subscribere ob scrupulum.

IN quodam oppido vbi erat Conuentus Monialium, fama fuit publica noctu duos viros fuisse ingressos clausuram per murum; de hoc infamatus fuit in particulari, Petrus, v.g. Quidam sæcularis Ioannes, v.g. admonuit confessorem Monialium de hoc ingressu, dicens Petrum fuisse ingressum: & postea rumor fuit, quod secunda vice prædictus Petrus fuisset ingressus clausuram. Sparsa fama, Prælatus Regularis illius Conuentus

uentus ad punitionem ſæcularis delinquentis per ſuum iudicem, vel ad Monialis culpatæ ſupplicium, fecit inquiſitionem generalem de perſona delicti, nam corpus delicti erat notorium. Vocauit Prælatus teſtes etiam ſæculares, qui ſe libenter dixerunt velle teſtificari. In inquiſitione generali de nullo in paticulari inquiſiuit; licet ob paruitatem populi, & alia iudicia prædictus Petrus eſſet diffamatus de ingreſſu, ac de eiuſdem Petri ingreſſu iam confeſſorem Monialium præmonuerat Ioannes. Inter alios teſtes ad hanc generalem inquiſitionem vocatos, fuit etiam ille Ioannes, qui confeſſorem monuerat. Iſte recepto iuramento coram Prælato, & ſecretario, dixit ſe tali nocte vidiſſe prædictum Petrum per murum Monialium aſcendentem, vel deſcendentem dictiſque aliis ſufficientibus ad hoc ſuum dictum probandum, rogatus à iudice vt ſubſcriberet ſuo dicto ac teſtimonio, ſubſtitit parumper, & quaſi pœnitens facti, dixit ſe non poſſe, nec velle teſtimonio ſubſcribere, quia nolebat ſecretum naturale violare: & ita abiens non ſubcripſit; ſed manſit ſcriptum, quod ille dixerat ſe vidiſſe propriis oculis.

1 Quæſitum fuit: an dictum iſtius teſtis Ioannis aliquid valuerit ad faciendam fidem talis ingreſſus contra Petrum? Et videtur quod nullius fuerit momenti: nam ipſe retractauit ſuum dictum per illud, quod fecit: teſtis autem poteſt retractare ſuum dictum, maximè ſi id faciat incontinenti, vt dicitur clarè in cap. 1. *de teſtibus cogendis, & gloſſ. in Authentic. de teſtibus, §. Quia vero.* Cum ergo iſte Ioannes videatur incontinenti ſe retractaſſe, imo & ante ſubſcriptionem teſtimonij, videtur illius dictum nullum robur habere. Secundo, quia de obligatione teſtis eſt quod ſuum teſtimonium firmet ſubſcriptione, vel per ſe, vel per alium,

petendo

petendo alicui, vt pro se subscribat, vt praxis obseruat. At Ioannes iste suo testimonio noluit subscribere; ergo erit nullum, eo quod nolens subscribere videtur noluisse testificari.

2 His non obstantibus, ego credo ac ita dixi, dictum testimonium Ioannis, fuisse verum testimonium, non obstante, quod subscribere recusauerit: ac proinde potuisse iudicem ex vi illius testimonij concurrentibus aliis quæ cum illo facerent sufficientem probationem, procedere ad imponendam pœnam prædicto Petro antea diffamato.

3 Probo præcedens proximè dictum ex iis quæ tradit Rodrig. *in ordine iudiciario, c. 7. concl.* 11. vbi citans Nauar. & Medinam tenet, quòd testis legitimè interrogatus à iudice tenetur veritatem dicere, etiamsi antea parti iurauerit se seruaturum secretum: & causam assignat, quia veritatem tacens lædit partem accusantem cuius iustitia pendet ex hoc testimonio. Et licet ibi videatur hoc solum dicere, quando proceditur via accusationis: nihilominus habet etiam locum in nostro casu, in quo processum est via inquisitionis generalis, & casus erat notorius in oppido paruo & nimis scandalosus: & præterea ille Petrus erat iam infamatus, ac denique iste testis non iurauerat Petro seruare secretum, & licet iurasset, iam interrogatus iuridice de reo diffamato, tenebatur veritatem dicere, & aliàs eius taciturnitas præiudicaret bono communi, cui interest vt delicta puniantur, maximè quando sunt notoria, & nimis scandalosa, quale fuit istud. Secundo probatur ex Nauar. *in rubr. de iudicijs, num.* 87. §. Non obstat etiam, vbi tenet quod si testis benè, vel malè per peccatum, detexit secretum coram iudice, poterit iudex punire: quia postquam delictum benè, vel malè

deductum est in publicam iudicis notitiam, ille tenetur ad castigandum per inquisitionem particularem. Ergo cum iste testis iam benè, vel malè hoc delictum iudici manifestauerit, poterit iudex ex hac notitia ductus procedere contra delinquentem. Addo quod videtur hunc testem non peccasse dicendo quod vidit de Ioanne, licet viderit in secreto: nam vt dicitur. iam iste Petrus erat de hoc delicto infamatus, & contra illum erant aliqua indicia, & proinde videtur quod poterat reuelare iudice iuridicè interrogante pro bono tam publico. Tenet hoc ipsum Less. *lib. 2. de iust. c. 29. dubitat. 15. num. 125.* citans, & sequens Nauarrum proximè citato loco: & confirmat Less. hoc exemplo. Nam si priuatus quispiam extorsisset crimen alterius per iniuriam, & deduceret illud in publicum, vel in iudicium, iudex deberet contra illum procedere: ergo pari modo procedere poterit iudex si aliquis priuatus per iniuriam deregat in iudicio. Idem tenet Valer. Carthusianus *in lib. de differēt. vtriusque fori, ver.* Inquisitio, *differentia 1. concl. 3.* vbi loquens de inquisitione generali, si agatur de bono communi, & crimine notorio sic ait: Testes tenebuntur dicere, quæ scirent, & manifestare Authorem etiam occultum, & non diffamatum: & citat Innocent. & Iulium Clarum dicentes ita seruare totum mundum. Per hæc ergo patet quod testis, de quo agitur, potuit sine peccato denunciare de isto Petro iam diffamato, & indiciato, ac proinde, quod debuit sine scrupulo suo testimonio subscribere. Et in particulari, quod dictum istius testis, etiam recusantis subscribere, valeat pro teste: probo, quia vt dicunt Iuristæ, confessio delicti facta à reo extra iudicium est semiplena probatio, si probetur per duos testes, vt tenet inter alios Iulius Clarus *in praxi crimin. quæst. 21.*

num. 31.

num. 31. & Rodrig. *Addit. ad Sum. tom. 4. cap.* 155. sed in hoc casu, iste testis dixit veritatem coram duobus, videlicet coram iudice, & coram Notario, quam ille non negat esse veritatem, vt mox dicam, & iudex, & Notarius de hoc testificantur: ergo dictum testis validum est, & facit probationem. Vltimo facit pro hoc optimè cap. *Ecce*, vigesimo quarto, quæstione tertia, vbi dicitur quod crimina vndecumque clarueriut, debent curari.

4 Ad primum argumentum in principio dicendum est hunc testem non retractasse testimonium quoad substantiam veritatis, nec dixisse; dixi falsum; & hoc solum est retractare. At significauit à se tunc dictum, licet esset verum, nolle se illud subscribere, qua putabat (licet falso) se non potuisse dicere. Nolle autem subscribere ob hunc scrupulum, non est testimonium retractare vt patet. Textus autem citatus loquitur solum quando testis prius testificatus falsum, incontinenti retractat se, & dicit, se in primo testimonio non fuisse loquutum considerate. Ad secundum argumentum dicendum est primo subscriptionem testis non esse de essentia testimonij, quamuis enim de consuetudine, & de solemnitate iuris semper testis subscribat, si scit scribere: tamen non inueni apud vllum Doctorem, quod sit de essentia testis, vt testimonium subscribatur à teste: solum iura requirunt quod testis sit iuratus, & iste iurauit: non lego in criminalistis, quod sit de essentia testis vt subscribat, maximè quando proceditur de plano, & constat per iudicis, ac Notarij testimonium, quod iste testis post dictam veritatem, vel ob suum scrupulum, vel ob suam ignorantiam noluit subscribere. Facit quod dictum est *casu* 22. *precedente*, ex Glossa. & ibi citata, quod scilicet scriptura non est inuen-

ta ad valorem rei geſtæ, ſed ad rem conſeruandam in memoria. Et ſubſcriptio, quam iſte teſtis noluit facere, manſit clarè in memoria iudicis, & Notarij, qui viderunt illum verè teſtificantem, licèt viderent recuſantem ſubſcribere.

CASVS XXIV.

Si Prælatus Regularis teneatur iudicare ſubditum reum ſecundum rigorem, vel decretum legis ſæcularis ſui regni.

CONtigit in quadam Religione, Religioſos vnius Conuentus commiſiſſe aliqua delicta, & inobedientiam erga quendam Prælatum viſitatorem illius Conuentus miſſum authoritate Collectoris Apoſtolici illius regni. Ille Prælatus fuit iniuriatus à Religioſis aliquibus illius Conuentus, & ſtatim aſſumpto Notario fecit inquiſitionem generalē de delinquentibus; ex qua contra aliquos Religioſos reſultauit probatio aliquorum delictorum. Et quia iſta generalis inquiſitio facta fuit ab ipſomet iudice læſo, qui aliàs poterat videri ſuſpectus: Collector Apoſtolicus commiſit ſecundo viſitationem illius Conuentus, & ratificationem primæ viſitationis duobus Religioſis grauibus non ſuſpectis, qui authoritate Apoſtolica viſitarunt denuo eundem Conuentum. In hac ſecunda viſitatione, pauci Religioſi aliquid de nouo addiderunt ad dictum in prima viſitatione. Sed ferè omnes ſe remiſerunt ad id quod dixerant in prima viſitatione: & fuit illis ſingulis lectum proprium teſtimonium quod dederant

derant in prima visitatione generali, post hæc omnia, Collector Apostol. commisit hanc causam iudicandam aliquibus Religiosis cum Auditore eiusdem Collectoris, contra Religiosos illos, qui culpati inuenti fuerant. Religiosi culpati hanc posuerunt exceptionem, & obiectionem, dicentes, illam secundam visitationem ratificatiuam primæ nullam fuisse, nam lex istius regni Portugalli *lib.* 5 *tit.* 50. §. 10. dans licentiam iudici iniuriato ratione officij, vt faciat processum contra se iniuriantem in præsentia, ait quod iudex iniuriatus faciat processum in eodem die factæ iniuriæ: at Prælatus iniuriatus de quo agitur, fecit processum multos post dies à commissa iniuria. Secundò, quia citato loco iubet lex, & Rex, vt iudex iniuriatus non per se, sed per alium inquisitorem testes iniuriæ sibi factæ excipiat. At in prima visitatione Prælatus iniuriatus per se ipsum omnes testes excepit, & quasi fuit iudex in causa propria: & proinde ex his duobus capitibus, seu defectibus prima inquisitio generalis fuit nulla. Tertio, eadem lex Portugalliæ *lib.* 3. *Ordin. tit.* 62. §. 2. dicit quod quando facienda fuerit secunda inquisitio, vel processus in defectum prioris processus facti à iudice suspecto, tunc secundus iudex combusto primo processu, neque per illum interrogando, vadat ad locum, & testes interroget, non patiendo quod se remittant ad dicta priora, sed dicant denuo quæcumque sciuerint, ne fortè videntes testem priorem processum, timeant ne suum dictum in secundo contrarietur à se dicto in priori. At in isto processu, seu secunda inquisitione generali, duo reuisitatores non combusserunt priorem inquisitionem: sed illa in mensa ante oculos posita, interrogabant quoscumque testes, qui vtplurimum remittebant se ad dictum in priori inquisitione,

quod illis denuo legebatur: quorum aliqui aliqua de nouo dicebant, aliqui dictum suum prioris visitationis declarabant: & proinde etiam hæc secunda visitatio generalis ratificatiua, fuit nulla, eo quod facta sit clarè contra formam citatæ Ordinationis. Et confirmatur, quia testis debet ferre testimonium ex ore proprio, non scripto, non signis, & similibus. At hi testes in secunda visitatione remittentes se ad dictum in priori visitatione, iam non testificabantur ore proprio. Et vltimo potest confirmari ex eo quod tradit Rodrig. *tom. 2. qq. quæst. 21 art. 3.* vbi dicit quod Prælatus Regularis in iudicando deficiente lege canonica, recurrat ad suam Regulam, & statuta: & his deficientibus, debent recurrere ad ius ciuile, præcipuéque ad leges ciuiles regni in quo viuunt. At leges ciuiles regni istius annullant primum, ac secundum processum factum, vt supra vidimus: ergo Religiosi culpati in illis processibus non potuerunt iudicari, vel puniri iuxta illos.

1 Pro responsione quæstionis præmitto primo, rem esse certissimam quod Religiosi non tenentur seruare leges sæculares, maximè in pœnalibus: ad hoc enim habent priuilegium exemptionis, per quod omnino eximuntur ab omni iurisdictione sæculari: & vt illorum delicta puniantur habent ius canonicum, deinde suam Regulam, tertio statuta Religionis: nulla enim Religio est, quæ non habeat suas leges, ac statuta pro delinquentibus puniendis. Quod cõfirmo claro exemplo: nam, magis exempti sunt Religiosi à legibus ciuilibus, & pœnalibus sui Regis, & regni, quam sunt Reges particulares à legibus iuris ciuilis communis Imperatorum, quia Imperator est caput Regum: & Rex istius regni nullam habet superioritatem ad condendam legem pœnalem, quæ obliget hanc Religionem.

nem. Et tamen videmus, quod Reges particulares in suis regnis non obligantur iudicare secundum leges Imperatoris: sed vnusquisque Rex propriam legem condit in aliquibus negotiis, per quam iubet casus sui regni iudicari omissa lege iuris ciuilis communis: ergo à fortiori id poterunt facere Religiones pro iudicandis causis Religiosorum, cum Religiosi Prælati magis exempti sunt à iurisdictione Regis, quam Rex exemptus sit à iurisdictione Imperatoris.

2 Præmitto secundo, omnes Religiosos hodie, saltem per communicationem priuilegiorum, habere priuilegium, vt in causis Religiosorum non seruenter apices iuris, sed sola iuris substantia, sicut in particulari Bonifac. VIII. concessit Fratribus Minoribus, prout habetur in *Moniment. Ordinis, fol.* 125. & in particulari eodem fruuntur Religiosi Ordinis istius, de quo agitur, & Collectores Apostolici in hoc Regno concessionem habent à sua Sanctitate, vt in causis decidendis possint etiam procedere de plano, non seruatis apicibus iuris.

3 Præmitto tertio, quod leges ciuiles non obligant Clericos, nec proinde Religiosos, vt inter alios probat fusè, & efficaciter Azor *tom.* 2. *Summ. lib.* 10 *c.* 7. *quæst.* 9. vbi ait, quod tunc solum lex ciuilis obligabit Clericum, quando fuerit approbata per Ecclesiam, vel quando lex illa agit de re obligante ex iure naturali, vel diuino: & quod etiam in hoc casu lex ciuilis non obligat Clericum sicut lex sæcularis, sed obligabitur Clericus à lege Ecclesiæ approbantis legem sæcularem, vel à lege diuina, vel naturali, obligantibus ad illud quod præcipit lex sæcularis: quæ omnia fundantur in omnimoda exemptione, qua Clerici eximuntur à potestate sæculari. Quod si lex sæcularis non obligat Clericos

iuxta prædicta, multo minus obligabit Religiosos, qui habent plura priuilegia eximentia illos, non solum à potestate sæculari, sed etiam à iurisdictione Episcoporum, & cæterorum similium Prælatorum. Et confirmatur in particulari quod Religiosi in causis criminalibus non obligentur ad leges pœnales sæculares: nam lex pœnalis sæcularis sæpè imponit pœnas incompatibiles Religiosis, vtpote exilium, pœnam pecuniariam, & mortem, quæ pœnæ non possunt Religiosis irrogari, ergo sicut Religiosi in impositione pœnæ non obligantur ad legem sæcularem, sic etiam non obligabuntur ad alias dispositiones legum sæcularium circa causas decidendas, & processus faciendos, maximè si sint causæ criminales.

4 Hoc posito sit prima conclusio. Prima inquisitio generalis, de qua est quæstio, facta à parte iniuriato non fuit inualida, ex eo quod illam non fecerit, eodem statim die, quo fuit facta iniuria; neque item ex eo quod ipse per se testes excepterit, contra duo in oppositum à lege Portugalliæ præcepta. Probo 1. ex proximè dictis, nam Religiosi non tenentur seruare legem sæcularem, eiusve dispositionem in suis causis formandis, vt satis probatur ex dictis in tribus numeris præcedentibus. Et in particulari confirmatur ex citata confessione Bonifacij VIII. in qua ponit hæc verba: *Ad correctiones, & punitiones infligẽdas procedere valeant secundum consuetudines approbatas, & secundum generalia statuta facta, vel faciẽda riuulis iuris, & apicibus postpositis.* Vbi clarè iubet causas Religiosorum iudicari secundum sua statuta, non secundum leges sæculares. Secundo, quia etiamsi illa lex esset canonica, vt processus fieret in eodem die, in quo facta est iniuria, adhuc ad id non obligaretur Prælatus Regularis exemptus à iuris apicibus:

apicibus : nam fieri proceſſum hodie, vel cras, non poteſt pertinere ad ſubſtantiam iuris, vt patet: quid enim facit ad ſubſtantiam iuris ſi proceſſus hodie fiat, vel cras, ſi aliàs ſeruentur ſubſtantialia illius? Et quod attinet ad ſecundum punctum, de aſſiſtentia Prælati excipiente prædictos teſtes in ſua cauſa propria : dico non eſſe in hoc caſu aliquid contra ſubſtantiam iuris. Probo euidenter ex ipſa lege Portugalliæ citata : nam ibi Rex in pœnam iniuriantis iudicem, concedit vt iudex iniuriatus ferat ſententiam in ſua cauſa propria, neque credit lex eſſe contra ſubſtantiam iuris ferre iudicem ſententiam in cauſa ſuæ iniuriæ; at multo minus eſt, & minus periculoſum excipere teſtes cum Notario, in cuius præſentia non poteſt iudex teſtes corrumpere, quam iudicem læſum ferre ſententiam in ſuo caſu : ac proinde ſi non eſt contra ſubſtantiam iuris, ferre ſententiam in ſua cauſa, etiam non erit contra ſubſtantiam iuris excipere teſtes cum Notario in ſua cauſa: & proinde ſi illi conceditur illud primum quod eſt maius, potuit etiam concedi hoc ſecundum quod eſt minus, maximè per cap. *præterea ſuper, de offic. & poteſt. iudicis delegati* : vbi Papa dicit, quod eo ipſo quod cauſa aliqua alicui committitur, ſuper omnibus, quę ad ipſam cauſam ſpectare noſcuntur, plenariam recipit poteſtatem Sic ibi. Tertio probatur euidenter non fuiſſe obligatum iſtum Prælatum regularem ad faciendum proceſſum in eadem die, nec ad excipiendos teſtes per alium inquiſitorem : nam ſi ad hoc præcisè obligaretur per illam legem ſæcularem, obligaretur pariter in ſententia imponere pœnam taxatam ab eadem lege, exilij Africani, v.g. pecuniæ, & ſimilium, quod nemo concedit. Ergo ſicut ad impoſitionem pœnæ non tenetur, neque obligabitur ad diſpoſitionem legis illius.

Vltimo probatur, quia hoc quod est Prælatum iniuriatum posse punire subditum iniuriantem lata sententia, non est solum lex sæcularis Portugalliæ, sed etiam est lex Imperialis communis, *l. Senatusconsult. ff. de offic. præsid.* per quam conceditur iudici iniuriato punire propriam iniuriam sibi factam; at in dicta lege, Doctores illam citantes, & explicantes, non dicunt quod iudex iniuriatus habet eodem die facere processum, & per alium inquisitorem testes excipere. Vide Riccium 5. *part. Decisionum, decis.* 197. & Iulium Clarum *in praxi crim. q. 35. n. 26.* & eius commentatorem Bajardum ad citatam quæstionem, quorum nullus exprimit pro obligatione eiusdem legis debere iudicem læsum eodem die iniurię facere processum, & testes per alium excipere. Et in particulari Riccius citato loco ait posse iudicem offensum cognoscere causam, & esse iudicem in propria causa, & citat Cancer. Licet ergo lex Portugalliæ obliget ad illas duas clausulas, lex ciuilis ad illas non obligans poterat validè, ac licitè obseruari ab illo primo visitatore prædictas illas duas clausulas omittente: cúmque lex Imperialis illas omiserit, signum est quod non sunt de substantia iuris.

5 Confirmantur hæc amplius per id quod tradit Aldrete *lib. 2. de Relig. discip. cap. 17. num. 15.* videlicet quod Prælatus potest punire iniuriam sibi factam, si iniuria est notoria, & præterea si est pœna certa posita in lege: & ad hoc citat multos Doctores, nec requirit duas citatas conditiones vt testes per alium excipiat, & eadem die; & addit Aldrete, quod si iniuria non fuerit notoria, nec habet pœnam certam taxatam, tunc inferior Prælatus causam remittat Prælato superiori, facta informatione, vt illam puniat: & ita asserunt multi textus ibi ab eodem citati. At in isto nostro casu iniuria

iuria fuit notoria, & est pœna taxata in multis textibus, & præterea Præfatus offensus fecit solum informationem, quam remisit ad superiorem, videlicet Apostolicum Collectorem.

6 Secunda conclusio. Secunda inquisitio generalis facta modo supra dicto à duobus visitatoribus delegatis, non combusta priori visitatione, sed excipiendo testes, qui se remittebant ad dicta in priori visitatione, non fuit nulla ex defectu, quod testes non dicebant testimonium per extensum, & oretenus, sed se remittebant ad dictum in priori visitatione. Principale fundamentum istius conclusionis est, quod iam diximus, videlicet, Religiosos non obligari ad illam legem ciuilem, & præterea, quia testem dicere testimonium per extensum, non obligat de iure, quando idem testis iam idem testimonium dederat in alia inquisitione priori, etiam nulla, & ad illam se remittit in secundo examine testium. Habet hoc expresè Ric. *5 part suarum Decisionum, decis.* 1791. vbi ait, quod quando primum examen testium fuit nullum (vt pars opposita accusat fuisse hanc nostram primam visitationem) tunc, ait Riccius, licet primum examen testium non fuerit ritè factum, poterit testis examinari super eisdem attestationibus, & poterit se remittere ad depositionem in primo examine factam. Et citat ad hoc Decisionem quandam Rotæ Rom. *numer.* 287. & Guidonis Papæ. Idem tenet in terminis Miranda *in Ordine iudiciario, quæst. 24. art. 6. concl. 2.* citans Paz *in sua praxi tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 9.* & praxis obseruat, quod sæpius testes se remittunt ad suam antiquam depositionem in alio examine factam. Iam ergo apparet quod non sit contra substantiam iuris, quod testis se remittat ad suum dictum in alio processu datum, & proinde non esse de

substantia

ſubſtantia iuris, vt in ſecundo proceſſu dicat omnia per extenſum ore proprio: cumque hoc non ſit de ſubſtantia, ſed de apicibus iuris, ad id Religioſi non tenebuntur, ab eiſdem apicibus exempti. Idque maiorem vim habebit, ſi tali teſte in ſecunda viſitatione lectum fuit primum dictum in priori viſitatione, & ille ratificet, ſicut dicitur in hoc noſtro caſu contigiſſe. Quod vero noua ratificatio actus antea inualidi, ratificet, & reualidet actum præteritum inualidum, res eſt notiſſima, & multis firmata exemplis. Nam profeſſus nulliter, poſtea ſublato impedimento, per ſe ſolum, & interne poteſt ratificare priorem profeſſionem nullam, vt eſt communis opinio, & inter alios probat Sanchez *lib. 5. Decal. c. 4. à num. 80. & ſeqq.* Item matrimonium antea nullum, ſublato impedimento poteſt reualidari poſtea per actum ratificatiuum, idque ſine noua ſolemnitate Parochi, &c. Confirmatur ex regula iuris *in 6.* in quo dicitur *reg. 10.* quod ratihabitio retrotrahitur, &c. & ibi ponuntur exempla quibus probatur ratihabitionem ſubſequentem confirmare, & reualidare actus nullos præteritos: & idem tenet Sarmiento *1. part. de Reddit. Eccleſiaſt. cap. 3.* dicens id maximè locum habere, quando iſta ratificatio fit ſolemniter, ſicut facta eſt iſta coram duobus viſitatoribus delegatis, & Notario: & citat Sarmien. aliquos textus. Idem tenet Riccius *1. part. Collect. 344.* dicens, quod ratificatio operatur validitatem actus, ſeu proceſſus aliàs inualidi, & citat Doctorem vnum.

7 Confirmo hæc omnia clariſſimo exemplo Theologo, quod ponunt Theologi in ſacramento confeſſionis ſacramentalis. Hæc enim ex doctrina Theolog. & præcepto Chriſti D. facienda eſt à pœnitente ore proprio, ac de ſingulis peccatis: quo non obſtante dicunt Theol.

Theol. quod si ego heri feci tria, vel quatuor peccata coram meo Confessore, & hodie illi confiteor; sufficienter confitebor, dicendo, accuso me Pater de illis quæ heri vidisti me facere contra legem Dei: idque nihil exprimendo, sed remittendo se ad factum hesternum. Secundò dicunt Theologi, quod si ego feci confessionem nullam alicui Confessori propter aliquem defectum annullantem confessionem, & post octo dies ablato obice, iterum eidem Confessori confiteor, tempore quo Confessor adhuc habet memoriam meorum peccatorum, licet non exactissimam, dicunt Theologi, quod erit confessio valida, si pœnitens in genere solum dicat: Accuso me de omnibus quæ tibi confessus sum octauo ab hinc die in præterita confessione, absque eo quod de præteritis peccatis aliquid exprimat, sed solum se remittat ad dicta in confessione præterita. Hæc duo exempla ponit Suarez *tom. de pœnitentia, disput. 22. sect. 6. n. 5. & 6.* citans alios. Quæ omnia satis comprobant, vt debeant valere testimonia data per Religiosos (de quibus agitur) in secunda visitatione ista, licet in illa nihil dixerint denuo oretenus, sed solum se remiserint ad prius testimonium datum in prima visitatione, illísque in secunda ista visitatione iterum lectum. Neque hoc secundum testimonium, lecto sibi priori, dicendum est testimonium datum per papyrum tantum (quod reprobatur in cap. *Relatum 5. q. 2. & l. de Minoribus, ff. de Minor.* §. 2. de quo Rodrig. *tom. 4. Sum c. 153. num. 6.*) Non inquam hoc testimonium est datum per papyrum tantum, sed ore proprio, cum testis sibi lecto priori testimonio, dicat ore proprio se ratificare illud omne sibi nunc lectum, & in priori dictum. Imo etiamsi non legeretur sibi nunc prius testimonium, sed solum diceret remitto me ad

prius

prius teſtimonium, non diceretur ſecundum dari per papyrum tantum; nam ſic dicendo, ratificat illud quod iam dixerat ex ore proprio.

8 Aliam exceptionem, ſiue excuſationem oppoſuerunt Religioſi culpati dicti Conuentus: & fuit, quòd cum dictus primus viſitans primo publicauit litteras ſuæ commiſſionis ad viſitandum, aliqui Religioſi oppoſuerunt prædictam commiſſionem Apoſtolicam non intelligi pro illo Conuentu, & ſic dubium fuit de valore ſuæ commiſſionis: quo dubio ſtante, Religioſi inobedientes, ac delinquentes non videntur puniendi tanquam reſiſtentes Prælato, vel viſitatori Apoſtolico: cum dubium eſſet an reuera talis eſſet. Ad hoc primo reſpondeo Collectorem Apoſtolicum, qui eidem viſitatori commiſſionem dedit ad viſitandum prædictum Conuentum, poſt illam ſeditionem, & inobedientiam conſultum, reſpondiſſe, priores à ſe datas literas commiſſionis pro illo Conuentu viſitando veras, ac validas fuiſſe, & ſine cauſa ab aliquibus malè fuiſſe interpretatas. Quo poſito dico ſecundo, quod ſi iſte prior viſitator oſtendit literas ſuæ commiſſionis, quæ erant claræ, & per ſolam proteruiam poterant impediri, nec ipſi inobedientes fecerunt debitam diligentiam ad probandam illarum nullitatem, ſed ex paſſione præcipuè, id impediuerunt, non euadent pœnas inobedientibus conſtitutas. Declaratur exemplo occidentis clericum, qui reuera erat clericus, ſed occidens neſciuit eſſe clericum, quia non fecit debitam diligentiam ad hoc ſciendum: iſte talis non liberatur ab excommunicatione, quia culpa ſua ignorauit: quod poſſet applicari ad hoc intentum. Adde quod licet certo conſtaret literas commiſſionis illius viſitatoris primi eſſe nullas, non habebant licentiam Religioſi illi

inobedien

inobedientes ad illum repellendum iniuriis, verbo, vel facto exhibitis, de quarum punitione agitur : sed poterant illum à visitando repellere aliis iuris remediis, vt appellando, vel coram illo non comparendo in visitatione, & similibus.

9 Ad primum argumentum in contrarium fundatum in violatione, seu non obseruatione legis secularis Portugalliæ, patet satis solutio ex dictis *num.* 3. & 4. vbi euidenter probauimus, Religiosos non teneri in suis causis obseruare leges seculares. Ad confirmationem, patet solutio ex dictis in *num.* 7. *in fine*, vbi diximus testes secundæ visitationis remittentes se ad dictum in priori visitatione, dicendos esse ferre testimonium ex ore proprio, & non per papyrum, ob causam claram ibi datam, & propter exemplum confessionis sacramentalis eodem *num.* 7. adductum. Ad dictum Rodrig. qui dicit Religiosos in iudicando debere recurrere ad leges sui regni, dico primo, illum ad id non obligare: solum dicit, oportere ita fieri: & licet Rodrig. diceret ita omnino esse faciendum : illius solum dictum non sufficit vt obliget Religiosos seruare leges seculares ob multa quibus in præcedentibus ostendimus Religiosos ad id non teneri. Et licet Rodrig. ibidem citet Baldum, Cumanum, & Decium, dicentes Religiosos in genere debere iudicare secundum leges iuris communis ciuilis, hi tres Authores seculares non habent authoritatem vt Religiosos ad illum obligent, cum post illos multa priuilegia exemptionis sint concessa à Summis Pontificibus, per quæ Religiosi eximuntur à legibus secularibus. Adde quod post illos tres Doctores, alij Doctores graues, & recentiores, vt Ricius, Guido Papæ, Paz, & Miranda citati *num.* 6. dixerunt posse testem se remittere ad suum prius anti-

quum

quum testimonium datum etiam in processu nullo: & per hanc suam remissionem ad illud, mansurum prius testimonium revalidatum, de quo est principalis quæstio istius casus. Et addo quod aliqui viri satis docti in hac Olyssipone consulti, dixerunt, quod saltem secunda visitatio facta à duobus revisitatoribus modo supradicto fuit valida, & firma.

CASVS XXV.

De quodam Religioso machinante mortem contra suum Prælatum, sed non secuto effectu.

IN quadam Religione, quidam Religiosus machinatus est mortem suo Prælato, non locali, sed superiori, maiori, qui Episcopo correspondet. Ad hoc consuluit quandam mulierem, quam putabat veneficam, quæ illi dedit duo remedia per ipsum applicanda; dicens vnum continere venenum, alterum esse veneficium: quæ duo si applicasset, esset assecuturus intentum. At mulier atrocitatem criminis horrens, postea dixit in suo testimonio, quod illa remedia non fuerant venenosa, neque illa veneficium intenderit, sed id dixisse ac fecisse vt se ab illo liberaret. Ille tamen illa duo media, vel remedia adhibuit animo consequendi effectum, vt creditur, ex indiciis. Diffamato sic Religioso, factáque contra illum inquisitione, probata est illi talis machinatio per testimonium quinque fœminarum, quarum vna fuit illa à se credita venefica, tres aliæ vxoratæ, sed honestæ vitæ, & alia vidua, quæ testificatæ sunt illum remedia

media illa petentem, & machinationem intentantem. Vltra illarum testimonium, probata sunt alia indicia non leuia pro eadem machinatione. Ex quo casu multæ sunt quæstiones exortæ, quarum resolutio potest iuuare ad alios casus quotidianos.

Prima quæstio est. An mulieres possint admitti ad testimonium iuridicum, maximè contra Clericum, vel Religiosum? & quando sunt complices, vt hîc fuit vna.

Secunda. An ista machinatio fuerit conatus ad crimen, quem leges dicunt esse etiam puniendum; maximè cum media applicata non fuerint in se venenosa, neque venefica, sed solum putatiuè.

Tertio. Quæ pœna danda sit machinanti mortem contra Prælatum.

Quarto. Quæ pœna imponatur à iure consulenti veneficos.

Quinta. An Religioso in crimine grauissimo, quale hoc fuit, danda sint nomina testium, & dandus sit Aduocatus sæcularis, si illum petierit.

1 Antequam ad quæstiones respondeam, pro claritate criminis, præmitto istam machinationem, has omnes circunstantias inuoluere. Primo, homicidij, vt patet. Secundo, sacrilegij. Tertio, læsæ Maiestatis. Nam machinari mortem contra Episcopum, vel æquiualentem Prælatum, reputatur læsæ Majestatis, teste Bajardo, *comment. ad Iulium Clarum, ver.* Læsa Majestas, *n.* 12. & innuit Iulius Clarus *eod. verb.* Læsa Majestas. & Bernard. Diaz *in sua praxi, crim. cap.* 119. Quarto, fuit crimen ex illis quæ iura vocant crimen exceptum. Quinto, fuit crimen proditionis per venenum factum in occulto, quod proinde requirit minorem probationem. Consonat quod dicit Vmbertus *in pract. Inquisitorum.*

ver. Crimina; vbi recenſens crimina excepta, numerat etiam crimen perduellionis: perduellis vero eſt, qui eſt inimicus Reipublicæ, vel Principis, teſte Calepino; *verb.* Perduellis.

Ad primam quæſtionem

2 QVod attinet ad primam quæſtionem, videtur primo quod fœmina non poſſit eſſe teſtis in iudicio, etiam neque contra ſæcularem, maximè in criminalibus. Habetur expreſsè in cap. *Mulierem*, 33. *q.* 5. vbi de illa dicitur, quod nec docere poteſt, nec teſtis eſſe. Et gloſſa ibi *verb.* Nec teſtis, exprimit in terminis, quod in criminalibus non poteſt eſſe teſtis contra Clericum. Et in particulari, quod non potuerit eſſe teſtis illa quæ dedit illa duo remedia putata venefica, conſtat ob duo impedimenta: tum quia ſi venefica erant, non poterat eſſe teſtis, quia erat infamis: tum quia erat iam ſocia criminis per data remedia, & complices criminis non ſunt teſtes in iure: tum denique quia illa mulier allegauit turpitudinem ſuam, id eſt, ſuum maleficium putatum dando illa duo remedia: conſtat verò ex cap. *inter dilectos, de donat.* quod allegans turpitudinem ſuam (id eſt peccatum) non auditur. Secundo principaliter probatur in genere, nam ſæcularis non poteſt accuſare Clericum, vt habetur expreſsè in c. *Ipſi Apoſtoli* 2. *q.* 7. & ibidem dicitur, quod neque contra Clericum ferre poteſt teſtimonium, qui non eſt Clericus: vbi gloſſa *ver.* Ordinis, explicat quod præcipuè in criminalibus non poſſunt ſæculares eſſe teſtes contra Clericum. Multo ergo minus potuerunt eſſe teſtes fœminæ ſæculares contra Clericum & Religioſum. Et idem habetur citata cauſa, & quæſt. cap. *teſtes.* mox ſequenti,

quenti,vbi dicitur quod sæculares non possunt esse testes contra Clericum.

3 His non obstantibus dico,quod fœmina potest esse testis in causa criminali, maximè si crimen sit atrocissimum, & desint alij testes. Hæc deducitur clarè ex multis textibus vtriusque iuris. Et imprimis probatur clarè ex cap. *quoniam aliqua, de test.& atteſt* vbi Papa iubet recipi testimonium quarumdam mulierum contra quendam Clericum, de quo dicebatur, quod cum illis peccauerit. Vbi glossa multa dicit, maximè *verb.* Mulieres; vbi citat alios textus. Idem habetur in cap. *tam literis,eodem tit.* vbi fœmina admittitur testis contra personam Ecclesiasticam. Et quod in crimine graui, & excepto,quale fuit istud,admittatur testis etiam fœmina malæ famæ,habetur in cap.*tanta,de simonia*:licet enim ibi solum dicatur de admissione in accusationem, idem iudicium est de testificatione, sicut Doctores dicunt cum textu supra citato *ipsi Apostoli* 2.*q.*7. Idem habetur in decreto cap.*ex eo.* vbi etiam admittuntur in testes mulieres malæ famæ in crimine excepto, quale fuit istud. Idem habetur ex cap.*si testes* 4.*q.*3.§. Lege Iulia.vbi dicitur quod mulieres malæ vitæ,& meretrices non possunt esse testes: ergo à contrario sensu, & cum exceptio firmet Regulam,& ibi excipiantur à testimonio solum meretrices,& quæ sunt malæ vitæ: illæ quæ tales non fuerint poterunt esse testes. Vltra prædictos textus extat praxis recepta, qua passim fœminæ recipiuntur testes in causis criminalibus.Et ideo hanc sententiam tenet Antonius Gomez *tom.*3.*variar. Resolut.cap.*12.& Iulius Clarus *in pract. crimin.quæst.* 27.Et Salzedo *in pract.crimin. cap.* 128.*per totum.* Et clarius tenet Rodrig.*tom* 4. *Sum. cap.*150. *num.*3. *ver.* testigos: quamuis ibi dicat testimonium duarum fœ-

minarum conteſtium non ſufficere ad plenam probationem, ſicut ſufficiunt duo viri, præter hos, quod fœminæ etiam in criminalibus poſſint eſſe teſtes, tenet Farinac. *tom. de conſiliis, conſil. 36 fol. 144. col. 2* & licet conſilium ſit alterius Doctoris, approbatur tamen à Farinacio: & citat ibi vnam legem, & Gomez, & Michaëlem Craſſ. & Iulium Clar. Vltimo accedit Martinus Delrio in ſuis diſquiſit. Magiæ, *lib. 5. quæſt. 13.* vbi expreſsè ait fœminas in criminalibus poſſe admitti in teſtes; & idem tenet Delrius eodem *lib. quæſt. 40.* magis fauens, licet ibi §. Ad condemnationem, dicat teſtimonium duarum fœminarum non ſufficere ad condemnationem, niſi alia concurrant adminicula, & indicia. Et in hoc caſu concurrerunt quatuor fœminæ, & alia non leuia indicia. Probatur etiam ratione, quod mulier poſſit eſſe teſtis in criminalibus: nam alias multa crimina manerent impunita, contra mentem legum, & contra bonum commune declaratur, vt ſi, verbi gratia, inter ſolas Moniales delictum atrox fieret: vel etiam inter ſolas mulieres ſæculares crimen committeretur, tale crimen impunitum maneret, ſi mulieres non poſſent eſſe teſtes in criminalibus; quod non eſt admittendum. Et iterum aduerto ex Delrio proximè citato, nam licet ille dicat citata *quæſt. 15.* teſtimonium duarum mulierum non facere plenam probationem, niſi concurrant alia admicula, tamen *quæſt. 40.* eiuſdem *lib. 5.* impugnat dictum Binsfeldij dicentis, trium, vel quatuor mulierum teſtimonium exigi pro teſtimonio vnius viri: & remittit ſe ad dictum in citata *quæſt. 13.*

4 Quoad id vero quod tangit eadem quæſtio prima, an illa mulier quæ fuit conſulta de veneno, vel veneficio, & proinde ſocia criminis, poſſit eſſe teſtis? Reſpondeo,

ſpondeo, quod teſtimonium ſocij criminis recipiendum eſt, maximè quando crimen eſt atrox, ſiue exceptum, quale hoc fuit. Ita expreſsè tenet Iulius Clarus in praxi criminali *quæſt.* 21. *n.*8. *& ſeqq.* licet ibi dicat non eſſe vnum ſocium plenum teſtem, imo neque duos ſocios facere vnum teſtem: iuuant tamen quaſi iudicium. Et in cap. *venerabilis frater, de teſt. cogendis.* Iubet Papa vt cogantur teſtimonium ferre quidam complices cuiuſdam coniurationis, quia iurauerant ſe non publicaturos coniurationem contra Epiſcopum, & iubet Papa, vt abſoluantur à iuramento, & poſtea recipiantur in teſtes licet complices fuerint. Facit præterea in hoc caſu mortis per venenum, ac veneficium intentatæ, quod in illo potuerit eſſe teſtis mulier ſocia criminis, & aliàs infamis, nam iſtud crimen fuit atrox, vt patet, & fuit crimen proditionis, factum in occulto inſcio innocente, & ſubditi contra Prælatum vt patet: At lex Luſitana *lib.*5. *Ordin. tit.*37.§.3 concedit quod in ſimili delicto proditionis poſſint recipi teſtes aliàs inhabiles. Denique quod ſocij criminis ſint recipiendi in teſtes, quamuis illorum teſtimonium non ſit plenum, ſed aliquid coadiuuet, tenet Penha *Inquiſitorum* 3.*part. comment.*61. *aliàs* 90. *in fine*, in Appendice ad Eimericum, & alij multi. Vide etiam illum *fol.*603.*in fine, & fol.* 604.

5 His poſitis ad primum argumentum in oppoſitum dicendum eſt, textum illius capitis, *mulierem*, citatum, non facere legem Eccleſiæ, quia non eſt dictum, vel decretum alicuius Papæ, ſed eſt dictum D. Auguſtini ibi inſertum à Gratiano compilatore decreti: dicta vero D. Auguſtini non faciunt legem obligantem in Eccleſia: idque præcipuè, quia poſt D. Auguſtinum extant multi textus canonici, praxis, & Doctores citati in

*num.*3. per quæ constat fœminas posse esse testes. Ad confirmationem patet etiam ex dictis fœminam illam potuisse recipi in testem, quamuis esset socia criminis, vt patet præcipuè ex capitulo citato *quoniam aliquo, de test.* & ex citatis in *num.*4. proximè præcedente: & licet fuerit infamis, etiam illius dictum coadiuuat, cum hoc crimen sit atrox, & exceptum, in quo proinde possent recipi testes infames, vt patet ex lege Lusitana proximè citata *lib.*5. *tit.*37. & tenet *Repert. Inquisitorum. ver.* testis, §. Infamis non potest esse testis: vbi excipit, ac dicit posse infamem esse testem in criminibus exceptis, quale hoc fuit, videlicet sacrilegij intentati, & perduellionis, & citat Speculatorem, & Bartolum: & idem habetur expressè in cap. *Non debet, de test. & attestat* Ad secundum argumentum, dicendum est omnes illos textus citatos, dicentes non posse sæcularem testificari contra Clericum, esse antiquatos per contrarium vsum, imo per multos alios textus tum supra citatos, tum contentos in decretalibus, per quos praxis obseruat in causis criminalibus recipi testes sæculares contra Clericos. Nam Episcopi in suis visitationibus ordinariis, ex testimonio sæcularium puniunt Clericos culpatos in variis delictis. Et in particulari, quod Prælati Regulares in causis Religiosorum, etiam criminalibus possint recipere testes sæculares, tenet, ac probat expressè Rodrig. *tom*2. *quæst.q.* 28. *art.*3. *in fine*: aliàs crimina facta à Religiosis extra Conuentum coram solis sæcularibus, manerent impunita, cum solos sæculares testes habeant: quod non est dicendum, cum talia crimina Religiosorum extra Conuentum commissa magis scandalosa sint, & proinde magis punienda.

Ad

Ad secundam quæstionem.

6 QVod attinet ad secundum quæsitum, an scilicet ista machinatio facta modo expositio in informatione, fuerit culpabilis, & punienda? & quod non fuerit culpabilis, nec punienda videtur probari, quia quando iura dicunt puniendum esse conatum ad crimen, etiam non secuto effectu, id intelligunt, quando vsi sunt aliquo medio instrumento verè apto ad causandum effectum, & tale instrumentum adhibuerunt effectu per accidens non secuto. At in hoc casu, media adhibita ad mortis machinationem non erant venenata, nec venefica voluit occidere, vt dicitur in informatione: ergo non fuit conatus culpabilis de quo Doctores loquuntur esse puniendum. Exemplum sumi potest ex Ordinationibus huius Regni Portugalliæ, *lib. 5. tit. 35. §. 2. 3. & 4.* vbi loquens de hoc conatu, ponit exemplum, si quis venenum exhibuit, & ex sumpto veneno mors secuta non fuit. Item si quis emisit sagittam, vel scopletum ad occidendum, etiamsi non occidat, damnetur vt ibi, vbi requirit verum venenum, & veram sagittam, quorum neutrum in hoc casu interuenit.

7 Pro solutione, claritatis gratia suppono primo, quod ex duobus mediis à venefica adhibitis, vnum clarè, sicut illa dixit, non erat venenosum; sed illa dixit esse, & fore venenosum, & reus illud adhibuit in loco, in quo illa dixit forte apponendum. Aliud remedium à venefica inculcatum, & per reum istum operandum, fuit clarè veneficum, id est superstitiosum, quale veneficæ solent adhibere ad similes veneficos effectus, & ille fecit ex se quod venefica dixit: sed illa postea pœnitens facti, dixit noluisse tale instrumentum applicare

ad effectum: ſed per illum non ſtetit, quin ſequeretur effectus. Præmitto ſecundo opinionem eſſe inter Doctores, an conatus ad crimen, ſiue affectus ad crimen, effectu non ſecuto, ſit puniendus pœna ordinaria, ac ſi effectus ſequeretur, quando delinquens ex ſe fecit omnia ordinaria ad talem finem, per accidens non ſecutum. Et breuitatis gratia, dico rem eſſe ſub opinione: alij enim dicunt plectendum eſſe pœna ordinaria: alij vero mitius loquentes, id negant: ſed dicunt plectendum eſſe pœna arbitraria. Caſum reſoluit Iulius Clarus *in praxi crim. quæſt.* 92. dicens quod in delictis atrociſſimis (quale eſt hoc) conatus ad crimen, non ſecuto effectu, quando per delinquentem non ſtetit, puniri pœna ordinaria: & ponit exempla quæ contigerunt in facti contingentia in Italia, circa porrectionem veneni effectu non ſecuto. Sed illis caſibus non obſtantibus ipſe ait non eſſe puniendum talem conatum pœna ordinaria, quidquid aliquid Doctores oppoſitum dicant: ſed pœna arbitraria, idque dummodo delinquens deuenerit ad actum proximum maleficio: & de hoc eſt quæſtio in noſtro caſu an iſte reus per hæc media adhibita de ſe inutilia ad mortem, ſed talia putata ex ſua æſtimatione, deuenerit ad actum proximum maleficij, illiúſque conatus puniendus ſit tanquam culpabilis, & legibus contrarius. Quarto præmitto cum Theologis maximè D. Thom. *quodlib.* 8. *artic.* 15. & ex Gerſone quem citat, & ſequitur Nauar. ad cap. *ſi quis autem*, *n.* 56. Reginald, *tom.* 1. *lib.* 13. *n.* 70. *&* 85. & aliis, quod peccatum externum, ſeu actus externus malus ſumit totam ſuam malitiam ab actu interno, & malitia interna. Et præterea, quod id quod aliquis facit cum conſcientia erronea eſt eiuſdemmet ſpeciei cum illo peccato quod ipſe intendebat facere. Exempli gratia; putauit

tauit quis hanc mulierem, ad quam accedit esse coniugatam, cum reuera non esset: iste talis fecit peccatum adulterij, quod intentabat. Secundo, percussi hunc hominem quem putabam Clericum, cum reuera non esset; feci peccatum sacrilegij mentalis, licet excommunicationem non incurrerim. Nam licet à parte rei opus quod facio non sit talis speciei in se: animus quo illud facio ponit illud in tali specie à me intentata, & cogitata, & sic est peccatum illius speciei à me intentatæ, & cogitatæ.

8 Hoc posito, censeo prædictum conatum, etiam cum talibus mediis de se nullis, esse culpabilem, & proinde punibilem. Pendet probatio istius conclusionis ex illo puncto, an pœna imposita à lege alicui actui incurratur per actum nullum ex se factum contra illam legem: exempla statim hoc declarabunt. Tractant hoc punctum Suarez *tom. de legib lib. 5. c. 34 & lib. 6. c. 4.* & Sanchez *lib. 3 de Matrim. disp. 2 à n 2.* & in particulari Suarez citato loco priori, & *cap. 34. n. 2.* ponit hæc verba: *Et ratio est, quia lex de se prohibet illum actum externum vt procedentem à tali animo agendi contra legem: & hoc totum ibi inuenitur: ergo pœna legis comprehendit etiam sic operantem.* Et infra *num. 6.* agens de illo qui putabat se vendere rem prohibitam, vel facere venditionem nullam, cum tamen à parte rei non faceret: tractans si pœnam incurrit contra malè vendentes ponit hæc verba: *Si dicas ex nihilo nihil fit: Non obstat, quia actus nullus non est omninò nihil: Nam licet in ratione venditionis, v. g. sit nullus, est tamen venditio intentata ex prauo animo profecta, ideóque merito puniri potest, & de facto punitur per talem legem.* Sic ibi Suarez, & consonant dicta à Sanchez citata *disp. 2.* pro prima opinione cum multis pro illa citatis, licet ipse aliam ibi se-

quatur,quæ in rigore non euacuat hanc noſtram fundatam in tam claris exemplis,& iurlbus.

9 Quod ergo Religioſus de quo agitur , per iſtum actum externum machinationis , de ſe aliàs nullum, incurrerit pœnam legis arbitrariam contra machinatores,eiúſque conatus per talem actum nullum , fuerit punibilis , patet imprimis ex proximè dictis à Suarez in exemplo venditionis.Deinde probo clarè exemplis, & textibus ſequentibus. Sit ergo primum exmplum, ſeu probatio, id quod tradit *gloſſ.in cap. plerumque,de donat.inter virum,& vxorem,verb.*repetere,vbi quærit: ſi mulier nupta viro in facie Eccleſiæ commiſit adulterium , & maritus illam accuſans per ſententiam , dotem ipſius obtinuit.Poſtea clarè conſtitit,quod matrimonium inter vtrumque contractum fuerat nullum propter impedimentum affinitatis dirimens : an in tali caſu poſſet mulier dotem repetere , eo quod matrimonium inter illos præcedens fuerit nullum ? Reſpondet gloſſa quod eo non obſtante dotem amiſit , quia illius intentio fuit adulterium committere : & ait gloſſa ibidem,quod *crimina ſecundum intentionem iudicantur, & ex corde procedunt*,& ad hoc citat *15.quæſt.6.§.1.& 35. q.2.cap.lectum,& ff.de furt.l.qui iniuria*,&c.Quæ omnia faciunt ad noſtrum caſum cum aliis ibi dictis à gloſſa : nam in hoc caſu reus iſte intendit mortem Prælati, & de ſe fecit quod potuit , & proinde ſecundum ſuam intentionem iudicandus eſt.Secundum exemplum habetur in cap.*à nobis,de bigamis*,vbi Papa mandat,& declarat, quod quidam Subdiaconus , qui matrimonium contraxit cum quadam vidua , incurrit in pœnam bigamiæ,ne poſſet vlteriores ordines recipere,vel in ſuſcepto miniſtrare: idque non obſtante quod illius matrimonium fuerit nullum propter impedimentum dirimens

rimens ordinis sacri : itaque incurrit pœnam bigamiæ etiam per actum nullum, siue annullatum. Et ait Papa quod cum illo non dispensetur ad ordines : *Non propter Sacramenti defectum* (id est matrimonij) *sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto.* Sic Papa clarè ad nostrum casum. Tertium exemplum sit ex nostra lege Lusitana, quæ sūpta videtur ex duobus textibus præcedentibus. Hęc *lib. 5. Ordinat. tit. 26. §. 1.* decernit, quod vir qui dormierit cum fœmina habita pro coniugata in facie Ecclesiæ, & pro tali reputata, licet post talem concubitū, constiterit clarè quod talis mulier non erat verè coniux alicuius ; nihilominus talis vir qui cum illa rem habuit, dum putabatur vxor alterius, morte plectatur vt verus adulter: *Nam* (ait lex) *in hoc casu attendunt iura ad intentionem, quam ille habuit committēdi adulteriū cum fœmina vxorata.* Sic ibi. Vbi vides tres leges punientes pœna ordinaria delinquentem per actum nullum, & ex se inefficacem ad inducendam pœnam illam; idque solum ob prauam affectionem peccātis cum intentione faciendi actum illum lege prohibitum.

10 Adde quod in hoc casu, vt minimum constat, quod iste Religiosus parauit insidias suo Prælato per illa duo media applicata, quorum alterum, vt diximus, ex se erat superstitiosum, & vanum, cóque vti solent veneficæ ad similes effectus ; quamuis ista applicare efficaciter noluerit. Iam ergo per ipsum Religiosum non stetit quin sequeretur effectus, & vt diximus, iam per hæc clarè parauit insidias suo Prælato maiori: at constat clarè, quod sola paratio insidiarū est punibilis valdè in iure. Habetur in cap. *si quis Sacerdotum* 11. *quæst.* 1. vbi sic dicit Papa: *Si quis Sacerdotum suo Episcopo inobediens fuerit, aut insidias ei parauerit,* &c. *mox depositus curiæ tradatur, & recipiat quod inique egit.* Vide rigorosam

pœnam

pœnam pro ſola paratione inſidiarum contra Prælatum. Quæ omnia aptari poſſunt, imo debent, cum Prælatus Regularis, maximè Prouincialis æquipolleat Epiſcopo, & habeat poteſtatem, quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos, vt tenet communis ſententia. Et idem ferè decernitur *ead. 11. q. 1. cap. ſi qui clerici.* & duobus ſequentibus capitibus, maximè cap. ſequenti *ſi clerici.* vbi præcipitur quod clericus, qui Epiſcopis calumniam machinatus fuerit, à proprio gradu deiiciatur.

11 Adhuc vero pro confirmatione, ac deteſtatione huius machinationis, conſideranda eſt alia circumſtantia in ea reperta: nam Religioſus de quo agitur, conſuluit veneficam, quæ conſultatio per ſe tantum eſt punienda in iure, cap. *ſi quis Epiſcopus 26. quæſt. 5.* vbi dicitur, quod conſulens veneficos, ſi ſit clericus, ſuſpenſus priuetur honore dignitatis ſuæ, & recludatur in monaſterio ad agendum pœnitentiam. Addo, quod vltra prædicta in præcedentibus, dictũ fuit quod iſte Religioſus dedit veneficæ petenti, fruſtulum petræ aræ ſacræ ad idem intentum, in quo cooperatus eſt veneficio, quantum ex ſe fuit, quod prohibitum eſt citato cap *ſi quis Epiſcopus.* & in hoc Regno *lib. 5. Ordinationum, tit.* Tertio punitur pœna mortis; quæ pœna licet non ſit in vſu, arguit tamen grandem malitiam delicti, videlicet ſacrilegij, in profanatione rei ſacræ, & ad occidendam perſonam ſacram. Videndus eſt pro hac re Rodrig. *tom. 2. quæſt. q... art. 4.* vbi agit qua pœna puniendus ſit Clericus. Vbi dicit primo cum Couarr. quod ſi quis emit venenum, vt cum illo occideret, ſed non propinauit, quia fortè pœnituit, aut fuit impeditus, tunc pœna extraordinaria plectendus eſt iudicis arbitrio. Secundum quod dicit, eſt: Regulam illam, quod conatus ad effectum non perductus non punitur,

tur, intelligentum esse de conatu remoto, vt is non puniatur pœna ordinaria, sed extraordinaria: quale videtur exemplum proximè positum, de illo qui emit venenum ad propinandum, sed paratum non propinauit, vel fuit impeditus. Et ex consequenti videtur dicturus Rodriguez, quod conatus proximus non secuto effectu, sit puniendus pœna ordinaria. At in hoc casu, ob tot circunstantias supra memoratas, conatus de quo agitur non videtur remotus, sed vadè proximus, non solum ex intentione delinquentis, sed etiam à parte rei, consideratis aliquibus mediis ex illis quæ dicuntur adhibita. Adhuc videri potest pro isto conatu Salzedo *in pract. crimin. cap. 95.* vbi agit de Clerico venefico, cum commentario ibi in casu 1. & 1.

12 Ad argumentum in contrarium, positum pro hac secunda quæstione, & ad exempla adducta ex lege Portugalliæ, dicendum primo, iuxta tria exempla à nobis adducta *num.* 9. non requiri quod media adhibita ad assequendum effectum malum finem, sint efficacia ex se ad illum finem: sed sufficere vt sint efficacia ex intentione delinquentis illa adhibētis, vt patet in tribus exemplis à nobis adductis, quia iura ibi citata non attendunt ad efficaciam mediorum applicatorum, sed ad prauam intentionem deliquentis. Secundo respondetur, quod duo saltem media adhibita fruſtuli aræ sacræ, & altetius quod tetigimus, erant media efficacia non naturaliter, sed moraliter, in opinione, & praxi veneficarum, quæ sola illa media requirunt, & applicant: ac proinde per talia media ab illo exhibita dici potuit, quod conatus deuenit ad actum proximum.

Ad

Ad tertiam, & quartam quæstionem.

13 HÆc tertia quæstio, de pœna quæ danda sit machinanti mortem contra Prælatum, facilè expeditur: nam ius antiquum citato cap. *si quis Sacerdotum.* & cap citato *si qui Clerici.* imponunt pœnam relaxationis curiæ sæculari, vel deiectionis ab honore clericali: quæ tamen pœnæ non sunt in vsu, arguunt tamen mentem esse Ecclesiæ, vt talis machinatio seuerè puniatur. Secundo dico, in hoc casu standum esse statuto cuiusuis Religionis: & hoc deficiente, standum erit legibus sæcularibus punientibus similes conatus: idque considerando prius an iste conatus peruenerit ad actum proximum, an ad remotum. Videndi sunt præterea Doctores à nobis supra citati de ista materia agentes, videlicet Iulius Clarus, Rodriguez, Salzedo, & alij. Considerandæ sunt etiam circumstantiæ à nobis supra relatæ. Item considerandum, quod hoc crimen est exceptum, & factum in occulto, quod requirit de sua natura minorem probationem, cum aliis considerationibus quæ supra tactæ sunt: ego enim non intendo decernere pœnam imponendam, sed solum casus difficultatem, & circunstantias indicare. Et per hæc etiam patet responsio ad quartam quæstionem, quæ pœna danda sit consulenti veneficos, iam enim respondi *num.* 10. ex cap. *si quis Episcopum.* ibi citato, & ex libro *Ordinat. Portugalliæ.* Et talis delicti grauitas, ac pœna coniici etiam potest ex 4. *Reg.* 1. vbi Deus per Heliam morte puniuit Ochosiam Regem, & quinquaginta milites, eo quod consuluerunt Beelzebub: & alia quæ congerit Delrio *de Magic. disquis. in Anacephaleosi, monitione* 3.

Ad

Ad quintam quæstionem

14 AD primam partem quintæ quæstionis, an reo Religioso sint publicanda nomina testium, punctus est quotidianus in causa Regularium exortus, pro quo primo dico, seruanda esse statuta cuiusuis Religionis, quæ semper suppono fundata esse in lumine naturali,& canonico.Secundo dico,quod dare reo nomina testium non est de substantia iuris. Tenet imprimis Hostiensis citatus à Rodrig.*tom.2.qq.quæst.3.art.1. propè finem.* Et fauet idem Rodrig.*tom.4. Addit.Sum. c.179.concl.4.* Probatur primo,ex praxi rectissimi Tribunalis sancti Officij, in quo substantia iuris obseruatur, vt patet: & tamen in illo non reuelantur nomina testium,idque ex dispensatione Sedis Apostolicæ. At Prælati Religionum ferè omnes, gaudent priuilegio Apostolico,vt in causis Regularium seruata substantia iuris,non seruent apices,& solemnitatem illius. Habetur expresse *in cap.vlt.de statu Monach.*cum glossa ibidem,& ab illa citatis *ver.* Absque iudiciorum strepitu. De quo Miranda *in Ordine iudiciario, fol.352.in fine.* Secundo probatur ex c.*qualiter,& quando, de accusat. il* 2. vbi traditur forma procedendi cum reo, & dicit, quod illi reuelanda sint dicta, & nomina testium vt se defendat:& nihilominus in fine eiusdem capitis,ait Papa, prædictam formam procedendi cum reo in causis Regularium non esse vsquequaque seruandam, & loquitur ibi de reo etiam Clerico. Fauet etiam capitulum, *Ea quæ, de stat. Monach.* vbi Papa ait, Abbatem culpatum esse amouendum ab officio absque iudiciorum strepitu: at dare reo nomina testium, est strepitus iudiciorum, & clarum periculum perturbandæ pacis inter Religiosos, qui sciuerint testes contra se testificatos:

catos: cum maximè interſit quies, & concordia Religioſorum, iuxta illud *Pſal.* 132. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Vide gloſſam proximi capitis *ea quæ, in ver.* Abſque iudiciorum ſtrepitu. Hoc vero maximè locum habebit, ſi in iſta Religione ſit ſtatutum ne dentur reo nomina teſtium pro pace Religionis conſeruanda. Nam in tali euentu, cum tota Religio in tali ſtatuto conſentiat, vt ſuppono, etiamſi aliquis particularis Religioſus reus læſionem aliquam paruam pateretur, non reuelatis ſibi teſtium nominibus, id non obſtaret, quia paruæ huic læſioni videtur renunciaſſe per tale ſtatutum: & in hoc caſu magis præponderat bonum commune pacis totius ordinis, quam parua læſio ipſius in non agnoſcendo teſte ſibi contrario, cui paruæ læſioni renunciauit per tale ſtatutum. Maius enim eſt quod faciunt Patres Carthuſiani, qui per ſtatutum generale abſtinent à carnibus etiam in hora, & periculo mortis, quia pro bono communi totius Religionis renunciarunt bono proprio vitæ conſeruandæ per eſum carnis in bonũ commune Religionis. Eſt etiam clariſſimum exemplum quod tradit Sanchez *tom.* 2. *Decal. lib.* 6 *cap.* 18. *num.* 43. *& ſeqq* vbi probat licitum eſſe in aliqua Religione ſtatutum, vt crimen ſecretum in certa materia reueletur Prælato (maximè quando Prælatus eſt grauis, pius, & prudens) idque non præmiſſa correctione fraterna: quia inquit tota Religio, & quilibet Religioſus renunciauit iuri ſuo, vt prius de crimine occulto corrigeretur per fraternam correctionem. Et probat exemplo proximè citato Carthuſianorum, & citat Banhez, Valentiam, Petrum Ledeſm. & Ribadaneiram. Si ergo hoc licet Carthuſianis, & aliis in denũciatione delicti ſecreti modo prædicto ex vi ſtatuti facti in ſua Religione;

gione : à fortiore licitum erit si talis Religio statutum habeat ne testium nomina pro pace reuelentur: in hoc enim minus periculum imminere videtur, quam in duobus proximè datis exemplis. Facit pro hoc quod dicit Rodrig. *citata quæst. 3. art. 1.* citans Hostiensem. Et Paulinus Bertus in sua praxi criminali impressionis folij magni addita super opera Rodrig. *fol. 185. col. 1. in fine, & col. 2.* & hoc propter pacem, & bonum commune, de quo ibi vide.

15 Quod attinet ad secundam partem eiusdem quæstionis quintæ, constat primo, de iure naturali teneri Prælatum Regularem dare reo Aduocatum sufficientem, qui illum defendat: Aduocati enim patrocinium pertinet ad defensionem naturalem. Ita Aldrete *lib. 1. disciplinæ Relig. cap. 2. num. 3.* & patet ex cap. *ex literis, de officio iudicis,* & glossa ibidem, *ver.* implorando: vnde si in Religione nullus esset omnino sufficiens Religiosus qui in re grauissima reum defenderet, credo teneri Prælatum Regularem illi dare Aduocatum sæcularem, maximè hodie, cum iam ferè apices iuris in Religione sunt introducti. Dixi in re grauissima, quia in causis leuibus, & ordinariis id non concederem. Habeo imprimis, Authorem Paulinum Bertum Ordinis sancti Augustini *in citata praxi crimin fol. 272.* vbi dicit in sua Religione nunquam fuisse datum Aduocatum sæcularem alicui Religioso, nisi semel tantum in vna causa, in qua agebatur de condemnatione cum periculo vitæ: & in tali causa Aduocatum sæcularem recluſum fuisse cum reo in vna domo secreta, ne Ordinis fama, & secretum periclitarentur. Idem dicit Rodrig. *tom. 2. qq. q. 19. art. 4.* dicens non esse consuetudinem in Religionibus dari Aduocatum sæcularem: maximè quando hodie tam multi sunt Religiosi docti, imo, & in

praxi criminali sufficienter versati. Facit quod tradit idem Rodriguez eodem *tom.2.quæst.3.§.* Pro cuius,& §.sequenti, vbi dicit, ideo in Religionibus non seruati apices iuris,ne teneatur consulere legis peritos sæculares. Cum Rodriguez concordat Miranda in ordine iudiciali *quæst.14.art.7.conclus.3.in fine.* Non enim decet secreta Religionis sciri ab Aduocatis sæcularibus. Et potest adhuc probari, quia in causis in quibus proceditur de plano sine iuris apicibus, non est obligatio dari Aduocatum : vt habetur in Clementina *sæpe contingit.de verb.signific.* vbi dicitur, quod quando committitur causa cum clausula, vt procedatur de plano: ait Papa,& absint : *Partium, Aduocatorum,& Procuratorum contentiones.* At Prælati Religionum habent priuilegium vt in causis Religiosorum procedant de plano, non seruatis iuris apicibus.

16 Vltimo pro contentis in isto casu,quæ sunt difficilis probationis, maximè propinatio veneni, & similes, quænam probatio requiratur ad illum,cum de ordinario tales delinquentes fugiant lucem,& faciant in occulto, vide Farinacium in tomo *praxis Theoricæ criminalis*, vbi agit de reo confesso, & conuicto *fol.*100. *& seqq.num.29.& 35.* vbi tradit quæ sint crimina difficilis probationis, & inter illa numerat venenationem, & conspirationem. Vide etiam eundem Farinacium *tom. de Inquisitione, & delictis.q.2.n.12.fol.*10.*pag.*2. vbi ait in delictis occultis sufficere præsumptiuam, & coniecturatam probationem. Et citat multos Doctores.

CASVS

CASVS XXVI.

De quodam reo Religioso, quem confessum delictum modo non iuridico, Prælatus voluit punire.

QVidam Religiosus, cum prius inter ipsum, & suum Prælatum verba molesta præcessissent, formauit propositum apud se percutiendi Prælatum suum cultro paruo ordinario. Post hoc propositum, cum interesset cuidam sermoni cuiusdam concionatoris, aliqua audiens in sermone contra illos qui odium habent in pectore contra proximum suum, contritus resipuit, odium statim deposuit, mox Prælatum adiit, portans scuticas in manu (vulgo *disciplinas dos frades*) illíque dixit. Pater peccaui in te, formans propositum percutiendi te cultro, iam doleo: peto veniam, si vero veniæ petitio non sufficit, his scuticis me verbera, & castiga. Respondit Prælatus: Vis hanc veniam petere, & confessionem facere coram duobus Religiosis? Recusauit subditus dicens, se illam confessionem coram solo Deo, & ipso Prælato facere velle, & ab ipso solo Prælato veniam postulare. Respondit Prælatus se illi veniam dare: & ambo flentes dextras dederunt, & se inuicem amplexi sunt. Post tres dies idem Prælatus adhibens prope se in loco abscondito duos Religiosos, qui possent rem gestam audire, vocauit prædictum Religiosum non videntem testes absconditos, illíque dixit: narra mihi iterum illud propositum, quod contra me formasti. Religiosus iterum animo simplici narrauit quæ fecerat: & dixit se illud

intentasse propter iniurias, & molestias sibi, & amicis suis à Prælato adhibitas. Audierunt hanc confessionem occultati testes.

Quæsitum fuit an dictus Prælatus per hanc confessionem probatam postea à duobus testibus absconditis potuerit contra istum Religiosum procedere, illúmque punire?

1 Ante responsionem dico, non posse depingi maiorem Prælati malitiam, quam ista fuerit, quæ subditum veniam petêtem de peccato occulto, & soli Deo reseruato, sic voluerit publicare, illúmque punire: in quo degenerauit satis ab illo patre filij prodigi, qui filium prodigum, & publicum peccatorem, veniam petentem brachiis extensis excepit, & super delicta publica silentium imposuit. Lucæ 15.

2 Dico, istum Religiosum veniam petentem ferè imprudenter egisse, vel saltem non indiguisse petitione talis veniæ. Dico quod imprudenter ferè egit, attenta natura mali Prælati, & abutentis bona subditi submissione: nam opus subditi bonum fuit ex se, & natum ex nimio dolore, cordis, & submissione animi: at quod non esset obligatus talem satisfactionem dare Prælato, nec ab illo talem veniam postulare probatur, quia veniæ petitio, vel satisfactio non fit, neque iniungitur, nisi quando parti læsæ damnum de facto illatum est in rebus fortunæ, honoris, vel vitæ, vt omnes Doctores dicunt in materia restitutionis: hic vero subditus per solum propositum percutiendi Prælatum apud se in occulto conceptum, nullo modo læsit Prælatum de facto in aliquo ex tribus illis bonis: ergo non obligatur ad veniam petendam, nec satisfactionem exhibendam. Et confirmatur exemplo clarissimo, quia nemo hucusque dixit, pœnitenti confitenti se habuisse

buisse propositum furandi rem alienam, iniungendam esse aliqam restitutionem, vel satisfactionem faciendam Domino rei illius quam voluit furari.

3 Dico tertio, hunc Prælatum peccasse mortaliter abscondendo illos duos testes modo supra expositio. Probatur clarè: nam in hoc publicauit secretum subditi in re grauissima, idque subdito nolente vt aliquis sciret nisi Prælatus: prius enim protestatus est subditus se nolle illud coram aliis confiteri, neque ad talem confessionem tenebatur iure diuino, vel humano. Constat autem apud omnes Doctores maximè Summistas *in verb.* Secretum, quod reuelare secretum proximi in re graui, & inuito proximo est peccatum mortale. Vide inter alios Nauarrum *in Summ. cap.* 18. *à num.* 52. *& seqq.*

4 Dico quarto, non obstantibus duobus testibus, qui confessionem audierunt, istum Prælatum non potuisse procedere, neque inquirere, neque punire istum Religiosum: quod probo claris, & multis rationibus. Primo, quia Prælatus non potest inquirere de crimine occulto, neque illud punire, quamdiu reus non est diffamatus: est communis, & tenet Nauar. *Commentar. in Rubr. de iudic. num.* 79. citans multa vsque ad *num.* 81. At crimen istius Religiosi etiam auditum ab illis duobus occultis testibus, adhuc erat occultum, vt patet: ergo Prælatus non potuit de illo inquirere, nec punire, cum talis Religiosus non esset diffamatus. Quod autem crimen à duobus, vel tribus tantum scitum, & non diffamatum, dicendum sit occultum, tenet ac probat Nauarrus *in Sum. cap.* 27. *num.* 250. §. 10. quod in hac materia, *& seqq.* vnde statuta generalia Ordinis Minorum *in tit. de correct.* §. Et tamen si quis præcipit, vt licet crimen sit probatum per tres, vel quatuor testes, si

tamen crimen est occultum, & reus non est diffamatus, non puniatur pœna publica: quod statutum fundatum in iure communi, supponit posse dici crimen occultum quod sciunt quatuor testes. Secundo, quia licet ista confessio facta à Religioso coram iudice fuerit facta, & coram duobus testibus, non tamen fuit iuridica, nec sufficiens ad condemnandum. Primo, quia fuit dolo, ac fraude extorta, vt constat: sicut autem confessio rei facta per metum ante, vel in tortura, non valet propter metum, vt communis Iuristarum praxis obseruat, nisi postea in libertate ratificetur: à fortiori ista confessio facta coram illis duobus testibus, & extorta per fraudem, & dolum, non valebit. Facit quod dicit glossa super cap. *Ex parte Abbatis, de confessis, in explicat. casus.* vbi dicit, quod vt confessio noceat reo debet esse spontanea, non coacta; hæc vero secunda confessio non fuit spontanea, quia vbi fraus, & dolus interuenit, non datur spontaneus consensus. Et citat ibi glossa duos textus iuris canonici, & vnum legis ciuilis. In quorum primo, videlicet 15. *quæst.* 6. *c.* 10. sic dicitur. *Pessimum est de extorta confessione quemquam iudicare.* Facit etiam omnino glossa in cap. *Petitio vestra, de iureiurand. in ver.* Extorsit, vbi dicit, quod iuramentum dolo, vel metu extortum, non est seruandum: & citat ibi duos textus. Tertio, quia, vt ait Iulius Clarus *quæst.* 31. *in praxi crim. num.* 35. confessio facta à reo coram iudice non sedente pro tribunali, sed illi facta tanquam priuato, non nocet reo ad condemnationem, pro quo ibi citat multos. Hæc autem secunda confessio non fuit facta iudici sedenti pro tribunali, sed tanquam priuato, & amico. Quarto, quia, vt ait idem Iulius Clarus *quæst.* 55. *num* 10. etiamsi reus coram iudice confiteatur delictum, si tamen non constat clarè aliàs de delicto,

licto, talis confessio non suffici ad condemnationem, quia aliquando contigit reum fateri delictum quod non fecit: in hoc vero casu licet Religiosus iste sit confessus delictum, de eius tamen delicto nullo modo constitit, neque de illo fuerat diffamatus. Idem tenet Bajardus commentator Iulij Clari ad eandem *quæst. 5. num. 15.* citans Mascardum, Crauet. Grammaticum, & Boërium. Tertio principaliter probo, quia licet in ista confessione non concurrerent tot nullitates proximè relatæ, & iudex aliunde sciret hunc animum, & propositum malum istius Religiosi, non posset illum punire. Nam tale propositum percutiendi non fuit conatus proximus, nec etiam remotus ad crimen, nec peruenit ad actum proximum, imo nec ad remotum, vt patet ex dictis in casu præcedente 25. sed solum fuit peccatum mentale: ergo non poterit puniri à Prælato, nisi fortè dicas Prælatum posse punire peccata solum mentalia, quæ non prodierunt ad actum externum. Quarto probo, quia licet D. Thom. 2. 2. *q.* 108. *art.* 1. & Iulius Clarus *in praxi crim. quæst.* 35. *num.* 26. & Ordinationes istius regni concedant posse iudicem punire offensam sibi factam: hoc locum habet iuxta citatos Doctores, quando iudici fit offensa in propria præsentia, & ratione officij: at in hoc casu nulla iniuria facta est isti Prælato in præsentia, imo neque absentia, quæ prodiret in actum externum: neque fuit facta ratione officij, sed alia ex causa. Et sic voluit esse iudex in causa propria extra casum sibi commissum. Vide glossam in cap *Ad audientiam nostram, de appellat. verb.* Cognitione.

5 Vltimo adhuc dico, quod Prælatus iste malefecit, & alia via peccauit intentando punitionem, postquam prima vice dixit se veniam dare, & cum isto Religioso

reconciliatus est. Probo primo, quia illa concessio veniæ fuit quasi promissio simplex, & acceptata, quæ in graui obligat, iuxta omnes Doctores agentes de promissione simplici. Et confirmatur ex Regula iuris, quæ dicit: quod semel placuit amplius displicere non potest. Facit etiam quod tenet glossa c. *cum venisset, de test. & attest. in ver.* Renunciatum. vbi ait duos textus dicentes, quod is qui semel remisit suas actiones, non potest amplius ad illas redire, nec illas prosequi: at iste Prælatus per concessionem veniæ remisit actionem, quam posset habere ad hunc subditum puniendum: ergo non potuit postea illius punitioni intendere.

CASVS XXVII.

De quadam Abbatissa admittente virum intra clausuram, absque necessitate, sed bona fide.

IN quodam Conuentu Monialium fuit consuetudo antiqua, vt in Sabbato sancto OEconomus, seu procurator Cõuentus clausurã intraret pro facienda certa distributione inter Moniales, quæ attento rigore Bullarum Pontificalium, & consuetudine aliarum Monialium, non erat necessaria causa, neque sufficiens ad ingressum clausuræ. Abbatissa id fecit bona fide, & propter consuetudinem. Accusata fuit, quod incurrerit excommunicationem, & priuationem officij. Quæritum est an fuerit priuanda officio.

1 Si hæc Abbatissa fecit bona fide, non credens se peccasse, nec vllam pœnam incurrere, non fuit priuanda

da officio, quia pœnas Bullarum Papalium non incurrit. Probatur quia, quando lex imponit pœnam illis qui secus facere præsumunt, qui in tali casu violat legem cum ignorantia, non putans quod peccat, non incurrit pœnam legis illius. Est opinio communis, maximè Nauarri *lib. 5. consil. tit. de sent. excom. consil. 54. n. 4.* pro quo citat Cardin. *in Clementina 1. de priuil.* & citat se ipsum *in commento de restit. spoliat.* Idem tenet Sanchez. *lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 38.* vbi citat Antonin. Rosellam, Gaët. Angelum, Tabienam, Nauarrum. At constat Bullas Pij V. & Gregor. XIII. quæ puniunt Abbatissas excommunicatione, & priuatione officiorum, ponere hęc verba: *Si secus facere præsumpserint.* Vide has Bullas, & prædicta verba *in Addit.* Rodrig. *ad Cruciat.* vbi explicat citatas Bullas clausuræ Monialium *fol.* mihi 392. & 394. in fine dictarum Bullarum. Cum ergo hæc Abbatissa fecerit ignoranter, seu bona fide, vt dicitur, nec proinde præsumpserit, sequitur prædictas pœnas euasisse. Nam præsumptio supponit scientiam, & malitiam, vt citati Doctores docent. Confirmo exemplo mihi fideliter narrato, quod contigit Conimbricæ in quodam Conuentu virorum: in quo quidam Prælatus non idiota, sed benè doctus instituit quandam processionem insolitam per claustrum, vt possent certum fœminæ ornatum claustri videre: accusatus de transgressione dictarum Bullarum, dixit se non incurrisse, quia prædictam processionem instituerat bona fide, credens sibi licere, neque putans se per dictam processionem Bullas violasse. Consulti sunt meliores tunc Doctores iuris canonici professores, qui dixerunt non incurrisse, si bona fide illum fecisse constaret, sicut constitit per iuramentum eidem Prælato exhibitum.

2 Hoc à fortiori seruandum est cum Abbatissa, quæ

eo quod mulier est, magis ignorans est, illiúsque ignorantiæ magis deferre oportet : sicut in alio casu tenet Ricius 4.*p.suarum Decisionum*, *collect.* 1082. vbi dicit, quod licet iuxta leges communes, is qui semel aliquem acceptauit in iudicem, non possit illum ampliùs recusare : ait tamen ab hac lege excipi fœminam, & rusticum, qui possunt illum postea recusare: habent enim quasi priuilegium ignorantiæ.

3 Pro maiori vero istius casus notitia, & aliorum similium quotidie contingentium, in quibus violantur Bullæ Pontificæ, punientes illos, qui contra facere præsumpserint ; quomodo credendum sit transgressori dicenti se fecisse bona fide, & quomodo probanda sit in illis bona fides. Respondeo imprimis, quod si agatur solum de foro conscientiæ, credendum est omnino asserenti se fecisse bona fide, nec cogitasse ibi interueniisse culpam, vel pœnam : si enim id crederet, non feciſſet. Et huic tali persuadendum est, vt omnino quietus sit, nec se credat incurrisse. Imo addo, quod licet lex violata non poneret hoc verbum, *præsumpserit*: si tamen contrafaciens excusatus fuit à peccato, vel ob inaduertentiam, vel ob iustam ignorantiam, non incurrit pœnam aliquam alicuius legis, iuxta communem Doctorum ; & patet certissimè, quia vbi non est peccatum, seu culpa, non datur pœna. Vide quæ dixi in secundo tomo *Dubiorum regul. ver.* Ignorantia; maximè *num.* 11. 12. *& seqq.* Si vero agatur de foro externo, quomodo probanda sit bona fides, siue ignorantia. Dico primo, id posse colligi ex præsumptione, si enim persona delinquens sit bonæ famæ, & idiota, & in materia non nimi clara, & vulgata, magna præsumptio est quod peccauerit, seu potius legem violauerit bona fide, & ignoranter : sic iudex poterit acquiescere huic

bonæ

bonæ fidei ad non imponendam pœnam. Ad maiorem vero ſecuritatem, probari poteſt bona fides, & ignorantia per iuramentum parti exhibitum, ſtante enim dubio, ſtabitur iuramento illius: ſic tenet Nauar. citato conſilio, & num. & probat ex illa Regula iuris in 6. quæ dicit: *Ignorantia præſumitur, vbi ſcientia non probatur.* Si vero obiiciatur in hoc caſu, quod contra iſtam Abbatiſſam datur præſumptio iuris, quia ius contra illam præſumit, quod ſciuerit, quæ tenebatur ſcire pertinentia ad ſuum officium. Reſpondeo, quod etiam præſumptio iuris eliditur per iuramentum in contrarium, vt habetur in c. *Cum in tua, de eo qui matr. accuſ. poteſt.* & gloſſa *ibid. in fine caſus.* Hunc eundem modum probandi bonam fidem per iuramentum tradit Nauar. *lib. 1. conſiliorum, tit. de conſtitutionibus, conſil. 1. quæſt. 2. num. 6. & 7.* præter alios duos modos, quos ibi aſſignat ad probãdam ignorantiam. Vide adhuc eundem Nauarrum *eod. lib. 1. conſiliorum, tit de Summ. Trinit. & fide Catholica, conſil. 3.*

4 Vltimo probatur hic caſus ex *Regula iuris in 6.* quæ dicit: ignorantia facti, non iuris excuſat: omiſſa enim ſecunda parte illius Regulæ de ignorantia iuris, vel legis non excuſante, ſicut ibi. Prima pars Regulæ dicit, quòd ignorantia facti excuſat etiam in foro externo, tunc vero datur ignorantia facti, quando ego neſcio hoc meum factum, ſiue hoc opus quod facio, contradicere legi, imo credo non contradicere, tunc enim ignoro factum, id eſt, ignoro hoc factum eſſe prohibitum. Exemplum clarum eſt de percutiente Clericum, quem non credit eſſe Clericum, cum reuera ſit: iſte enim non ignorat legem Eccleſiæ excommunicantem percuſſorem Clerici, ſed ignorat hoc factum eſſe percuſſionem Clerici: iſte talis excuſatur à pœna

per

percuſſoris Clerici,quia habuit ignorantiam facti.Eodem modo iſta Abbatiſſa benè ſciebat legem Eccleſiæ prohibentem ingreſſum virorum in clauſuram ſine iuſta licentia,& neceſſitate:ignorauit tamen hoc factum, ſeu ingreſſum eſſe contrarium prædictæ legi;cum eſſet conſuetudo antiqua, vt talis Procurator eo die intraret,& aliqualis neceſſitas intrandi interueniebat.Maius eſt quod ego dico citato *tom. 2. Dubior. Regular. cit. ver.* Ignorantia, *numer. 25.* ex Sanchez ibi citato, quod videlicet, ignorantia vincibilis, ſiue facti, ſiue iuris imponentis cenſuras, & alias pœnas ſpirituales, ſiue factum illud fuerit peccatum mortale,ſi tamen non fuerit ignorantia craſſa, & ſupina, excuſat ab omnibus illis pœnis,quod ibi probo ex Sanchez euidenter:vide etiam eundem Sanchez *lib.1. Decalog. cap.10.num.56.* vbi ait ſtante dubio iuris, aut dubio facti neminem cenſendum eſſe excommunicatum:quod ibi probat efficaciter, contra aliquos Doctores,quos citauerat *n.54. & 55.* præcedentibus.

Adhuc pro iſto,ac ſimilibus caſibus aduerto, quod ſi in aliqua Bulla, vel lege ponuntur hæc verba:*Si quis auſus fuerit*:aut,*Ne quis audeat.* Hæc verba æquiualent illi verbo in principio explicato,*præſumpſerint*.Et ſic omnia notata circa verbum,*præſumpſerint*, applicabuntur ad verbum,*auſus fuerit*.Ita dicunt communiter Doctores: vide quæ dixi ex Sanch. hac de re citato 2.*tomo*, & *verb.* Ignorantia *n.6*.

***

CASVS

CASVS XXVIII.

De quodam Religioso dubitante de suo Baptismo.

QVidam Religiosus cuiusdam Religionis hodie Sacerdos, quando natus est, fuit baptizatus à quodam Clerico de Iudæis descendente, vulgo, *da Naçaon, christaon novo.* Huius Clerici, fratres, & nepotes ex fratribus (id est sobrinhos) declarati sunt hæretici confessi in actu publico fidei sanctæ Inquisitionis: & quædam soror ipsius Clerici, pro negatiua combusta fuit in eodem actu publico. Clericus baptizans, videns in principio carceratos fratres, & filios illorum, fugit: & fiscus Regius Clerici fugientis res mobiles, & immobiles confiscauit. Stante hac graui præsumptione contra Clericum, quod esset hæreticus, & proinde sacramenta Ecclesiæ cum debita intentione non ministrauerit: iste Religiosus ab illo quondam baptizatus, scrupulo cœpit agitari circa valorem sui Baptismi. Consuluit viros doctos, quorum alij dixerunt non teneri ad rebaptizationem sub cautela: alij dixerunt posse rebaptizari: & ille ad securitatem elegit rebaptismum sub cautela. Et declaratur quod Clericus primo baptizans erant Theologus, & protulit veram formam Baptismi, qua vtitur Ecclesia.

Quæsitum fuit an de necessitate, talis Religiosus fuit rebaptizandus? an vero potuerit acquiescere consulentibus ne rebaptizaretur.

Et ex istius primæ quæstionis resolutione pendent sequentia dubia: primum, an dato quod rebaptizaretur,

tur, esset iterum recepturus omnes ordines sacros, quos constat non conferri homini non baptizato, cum baptismus sit tanua Sacramentorum? Secundum dubium est an illius professio in Religione valida fuerit, an vero ratificanda? Tertium, an Religio teneatur ad supplendas Missas dictas a illo non vero Sacerdote, Quartum, quid dicendum sit de confessionibus sacramentalibus, quas audiuit iam factus confessor.

1 Ante responsionē tanti dubij suppono primo cum Suarez *tom.* 3. de Sacramento Baptismi *disp.* 22. *sect.* 2. §. Est autem, quod in collatione istius Sacramenti Baptismi, potest concurrere duplex dubium, alterum iuris, alterum facti. Dubium iuris erit, quando in collatione sacramenti applicata est forma dubia, vel non conformis formæ à Christo D. institutæ: vel non applicata vera materia à Christo D. instituta: sed applicata est forma, vel materia dubia. Dubium facti tunc erit, quando est incertum, aut dubium, an reuera Baptismus fuerit collatus, quia non constat de certo vtrum à parte rei Baptismus fuerit collatus, vel aliquis baptizauerit. Et hoc dubium facti potest esse duplex; aliud omnino negatiuum, quando scilicet nulla sunt indicia ad credendum quod homo sit baptizatus. Aliud est, dubium facti quasi positiuum, quando videlicet sunt aliqua indicia dati Baptismi, sed non ita sufficientia, quia dantur etiam alia indicia probabilia ad credendum non fuisse collatum, vt si infans exponatur in platea, cum chartula dicente quod est baptizatus. Illa enim chartula non obstante, potest credi, quod facta fuerit ab hæretico, vel pagano in odium istius Sacramenti, vel quod baptizauerit fœmina ignorans formam Baptismi,

2 Constat ergo, & supponitur vt verum, quod Baptismus,

ptiſmus,de quo agimus datus ab hoc Clerico,datus eſt cum vera forma,& vera materia à Chriſto D.inſtitutis? & quod verè,& ritè formam protulit,erat enim Theologus,& eo quod eſſet Chriſtianus nouus,& illam proferens in Eccleſia coram multis aſtantibus debuit expeditius pronunciare,propter ſuſpicionem de ſe vitandam:ac proinde non interuenit hîc dubium iuris: neque item eſt dubium facti, quia conſtat à parte rei Sacramentum Baptiſmi in re fuiſſe collatum.

3 Totum dubium eſt, an Baptiſmus fuerit nullus ex defectu intentionis baptizandi in baptizante Clerico ob tot indicia probabilia, ex quibus poteſt colligi illum fuiſſe hæreticum, & inimicum nominis Chriſti, & Sacramentorum Eccleſiæ, vt ſæpè iam conſtitit ex confeſſione publica Clericorum illius ſanguinis, & nationis.Secundo,id poteſt colligi, non dediſſe ſcilicet Baptiſmum cum intentione,ex fuga, qua fugit videns conſanguineos carceratos in carcere S. Officij: fortè enim timuit, ſuas culpas fore iam delatas ad prædictum tribunal. Tertio colligi poteſt ex confiſcatione bonorum ipſius Clerici: talis enim confiſcatio cum ſit pœna grauiſſima, & externa, non ſolet fieri niſi probatis culpis. Hoc poſito ſit

Prima concluſio.

4 NOn peccaret Relgioſus,qui ſtante tali dubio, & vrgente magno ſcrupulo ſe faceret rebaptizari ad cautelam. Et hoc probant vt minimum rationes tactæ proximè in numero tertio. Quamuis enim in re Baptiſmus collatus ſit cum vera forma, & materia, præſumptio tamen vehemens eſt ad credendum Clericum ſic ſuſpectum non habuiſſe intentionem baptizan

baptizandi propter dicta in *n.*3 quæ præsumptio parit dubium sufficiens ad rebaptizandum ad cautelam. Si tamen ille fuerit sic rebaptizatus sub conditione, manebit obligatus ad supplenda illa, de quibus dicetur in tertia conclusione.

Secunda conclusio.

5 TAlis Religiosus de quo est quæstio, non tenetur rebaptizari sub conditione, sed poterit esse securus de salute animæ, & abstinendo à secundo Baptismo cum securitate animæ, euadet multas, & graues difficultates, de quibus in tertia conclusione. Hæc conclusio probatur multis, claris, ac validis rationibus. Primo, ex cap. *à quodam Iudæo, de consecrat. dist.* 4. vbi Papa Nicolaus ad consulta Bulgarorum, sic respondet quæstioni à Bulgaris sibi propositæ. *A quodam Iudæo, nescitis vtrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto si nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum Christi nomine baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos.* Hæc omnia sunt verba textus: in quibus clarè dicit baptizatum à Iudæo, de quo ignotum erat an esset Christianus, vel paganus, non debere rebaptizari, eo quod seruauerit, & protulerit formam Baptismi, & satis poterat vehementer præsumi de illo Iudeo de quo ibi, quod non haberet intentionem baptizandi, cum Iudæus esset ex sanguine, & nedum constaret an esset Christianus baptizatus. Et in nostro casu, constat quod iste Clericus formam protulit Sacramenti, & erat Christianus baptizatus: ergo illius Baptismus non est iterandus, neque ego video quomodo prædicta verba Papæ possint pro alia opinione exponi. Secundo probo

ex

ex cap *si nulla, eadem dist. 4. de consecrat.* vbi Papa Leo I. dicit, quod si nullum fuerit signum, vel indicium in vicinia, vel inter parentes, vel Clericos, quod aliquis homo fuerit baptizatus, in tali casu detur illi Baptismus absque conditione: verba textus sunt hæc: *Si nulla extant indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter Clericos, aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, vt renascantur,* &c. Et assignans Papa causam, cur in tali casu non sit timenda rebaptizatio, ait: *Quod non ostenditur gestum, ratio non finit vi videatur iteratum.* Hoc posito arguo à contrario sensu. Papa dicit citato loco, vt repetatur Baptismus quando nullum est signum, vel indicium quod fuerit collatus: ergo si constiterit illum datum esse, quemadmodum in isto casu constat, non poterit licitè conferri. Quantum verò valeat argumentum à contrario sensu, & quantum sit in vsu, vide cap. *ex eo* 15. *q.* 3. cum glossa ibidem, & 25 *distinct. cap. qualis.* & 23. *quæst.* 4. *cap. quæsitum:* quæ glossa cap. *ex eo*, citat alios textus, & ait esse argumentum fortissimum factum à contrario sensu.

6 Tertio facit ad hoc intentum cap. *si qui apud illos, ead. dist. 4. de consecrat.* Vbi dicitur quod Baptismus datus per hæreticos, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, validum esse reputandum: at Clericus de quo agitur, baptizauit in nomine sanctissimæ Trinitatis, neque in foro saltem externo, contra illum probatum erat esse hæreticum. Facit etiam cap. *hi de quibus, ead. dist.* vbi consultus fuit Papa, quod, licet constaret aliquos homines fuisse baptizatos, non tamen constabat cuius fidei fuerint baptizatores? Respondet Papa non esse rebaptizandos, quolibet modo Baptismi formam acceperint. Facit *& Can.* 8. in VI. Synodo ge-

nerali, vbi dicitur rebaptizandos esse iterum sub conditione. *Quoties non inueniũtur firmi testes, qui eos absque vlla dubitatione baptizatos esse dicant.* Ergo cum in hoc casu sint firmi testes qui dicunt fuisse baptizatum: nec possint dari firmi testes, qui absque dubitatione asserant Baptismum fuisse nullum ob defectum intentionis occultæ, sequitur quod non debuit, imò non potuit baptizari iste Religiosus secundo Baptismo. Hactenus probaui conclusionem positam ab Ecclesiæ authoritate in iure canonico contenta: nunc ipsam probo ratione.

7 Prima ergo ratio sit, contra præsumptionem insurgentem contra hunc Clericum, quod baptizauerit sine intentione, eo quod consanguinei carcerati, & combusti erant ob crimen fidei: non inquam ista præsumptio probat Clericum baptizasse sine intentione: nam imprimis, sicut extra informationem accepi, intercurrerunt anni triginta à die dati Baptismi, vsque ad carcerationem consanguineorum: & potuit fieri vt tempore Baptismi Clericus neque esset hæreticus, neque esset conscius de crimine consanguineorum. Secundo, quia iam sæpius visum est, inter multos fratres idololatras, & Gentiles alium ex illis eo vitio non esse maculatum. Facit quod tradit *lib. 5. consiliorum*, Nauarrus *titulo de sentent. excomm. consilio 3. num. 2.* Vbi ait quod crimen commissum ab vno fratre, non sequitur quod alius approbauerit, vel simul commiserit. Et facit etiam quod dicitur in cap. *quamuis regulariter, de sentent. & re iudic.* vbi dicitur quod res iudicata inter duos, non nocet alteri de quo est iudicata. Quod autem fuga istius Clerici non arguat ipsum fuisse culpatum de hæresi, probari potest ex iis quæ Doctores tradunt circa fugam rei, in particulari Iulius Clarus *q. 21.*

in

in praxi crimin. & illius commentator eadem quæstione, qui dicunt aliquando fugam rei nullum facere indicium de culpa illius; poterat enim fugere, vel timore dedecoris, vel timore falsi testimonij, vel coniurationis, & similium: & quod vtplurimum, fuga facit solum indicium: non autem decet vt in hoc casu propter solam fugam, quæ potuit esse in culpa, vt proximè diximus, suspicemur tantum malum, & credamus illum non habuisse intentionem baptizandi in Baptismo collato ante annos triginta, in quo potuit non esse hæreticus. Quod verò iam alij Clerici istius sanguinis, & nationis in actu publico sancti Officij conuicti fuerint de ministratione Sacramentorum absque intentione: hoc non est argumentum efficax ad probandam rem tam magnam, qualis est rebaptizationem esse faciendam circa omnes baptizatos à Clericis istius nationis, & sanguinis. Neque item confiscatio bonorum facta huic Clerico viget ad faciendam rebaptizationem: potest enim fiscus illam facere confiscationem, vel consuetudinem, vel per cautelam, & securitatem bonorum, sicut facere solet in carceratione cuiusuis Iudæi; statim namque omnia illius bona fiscus in albo, vel indice conscribit ad cautelam: multotiésque contingit sic carceratum publicari innocentem, illísque bona sua restituuntur. Et constat præterea apud omnes quod hæreticus ante sententiam publicam non priuatur bonis quæ possidet,

8 Secunda ratio principalis sit, circa præsumptionem, quod iste Clericus non baptizauerit cum intentione: nam benè præsumendum est de proximo quamdiu non probatur esse malus, cap. *Dudum, de præsumpt.* vbi glossa *in verb.* præsumatur, citat multos textus vtriusque iuris. Sed contra istum baptizantem non

dum est probatum quod fuerit malus; ergo non potest de illo malè præsumi. Secundò intentio baptizantis est actus purè internus: at Ecclesia non iudicat de actu interno, nec proinde quisquam potest de illo iudicare, cap. *consuluisti* 2. *quæst.* 5. vbi ait Papa Stephanus, quod occulta, & incognita illi sunt relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum: & quod præsumendum sit benè de proximo, vide inter alios Abbatem citato cap. *Dudum, de præsumpt.*

9 Tertia ratio principalis sit: nam admissa opinione quod iste sit rebaptizandus poterit oriri scrupulus, & similis quæstio inter Catholicos illos qui fuerant baptizati ab aliquo Clerico istius nationis, & sanguinis, quorum ab illis baptizatorum non paruus est numerus: quod tamen dicere, erit multorum conturbatio, & inquietatio. Quartò principaliter probo ex cap. *veniens, de Presbytero non baptizato*, in cuius fine ait Papa, esse violentam præsumptionem ad probandum quod aliquis sit baptizatus, si constet natum esse de parentibus Catholicis, & quod fuerit semper conuersatus cum Catholicis, licet de hoc nullus alius sit testis. Et in hoc casu, iste Religiosus est de parentibus Catholicis, & vixit inter Catholicos, imò inter Religiosos & constat de illius Baptismo externo, qui fuit inscriptus in libro publico Baptismi in Parochia seruato. Ex quibus verbis Papæ dicentis esse violentam præsumptionem quod quis sit baptizatus, natum esse de parentibus Catholicis, & inter illos Catholicos conuersatum esse: formo tale argumentum. Carceratio, & combustio consanguineorum istius Clerici, & fuga illius, licèt faciant vehementem præsumptionem, quod baptizauerit sine intentione, non tamen faciunt violentam præsumptionem ob multa obstantia, & reuelantia

quæ

quæ diximus *in num.* 7. est enim vehemens præsumptio multò minor quàm violenta: at iuxta citatum proximè cap. *veniens*, de isto Religioso, est violenta præsumptio quod fuerit baptizatus, cum natus sit de parentibus Catholicis, & inter Catholicos conuersatus, imò datur euidentia quod fuerit baptizatus ex libro Baptismi: ergo ista violenta præsumptio quod sit baptizatus, præualebit contra illam vehementem præsumptionem, quod caruerit intentione Clericus ille in collatione Baptismi. Valet consequentia ex dictis in cap. *literas vestras, cum gloss. ibid. in ver.* vehementem, vbi dicitur quod quando concurrunt duæ præsumptiones illæ, quæ est præsumptio maior elidit, & excludit illam suspicionem, quæ est minor, & confirmatur ex eodem cap. *literas vestras*, & ex praxi tribunalis sancti Officij, in quo ille qui solum est suspectus de hæresi suspicione vehementi, non absoluitur ab hæresi, seu ab excommunicatione ad cautelam, sed solum ille qui est suspectus de violenta præsumptione, vt inter alios tenet Penha *in suo Directorio Inquisit. fol. mihi* 486. *& sequentibus.* & Vmbert. *in pract. Inquisit. verb.* suspicio. Ergo à simili in hoc casu, in quo est vehemens præsumptio de isto Religioso quod non sit baptizatus ex defectu intentionis in baptizando, præualebit præsumptio vehemens, & maior quod ille sit baptizatus, nata ex eo quod constat ex libro Baptismi, applicatam esse formam, & materiam Sacramenti, & illum natum esse ex parentibus Catholicis, & inter Catholicos conuersatum.

10 Quinto principaliter, non obstat cap. *veniens, de Presbyter. non baptizato*, supra citatum, in quo Papa iussit baptizari Clericum, qui à Papa remedium postulauerat, vt obliget ibi præceptum in hoc casu: nam

casus illius capitis nimis diuersus est ab isto. Nam in illo casu constitit Pontifici illum Clericum nunquam fuisse baptizatum vllo modo; & ideo iussit illum baptizari absolute, absque conditione, vt patet ex verbis textus: & in hoc casu constat ex libro Baptismi hunc Religiosum fuisse baptizatum verè Baptismo externo in forma Ecclesiæ. Si autem Papa sciret in illo casu collatum fuisse aliquo modo Baptismum, non fortè iuberet, quod iussit.

11 Sexto facit multo ad sequendam hanc opinionem, quod illam tenendo euaduntur multæ, & magnæ difficultates emergentes ex rebaptizatione: de quibus mox dicemus. Et quod euasio maximarum difficultatum in quibus remedium est valdè difficile, sit causa sufficiens, vt teneatur opinio etiam minùs probabilis, tenet Soto, Nauarrus, & Sanchez illos citans, & sequens *lib. 1. de Matrim. disput. 36. concl. 4. n* 8. vbi citat Sotum dicentem hæc verba nimis laudata à Nauarro. *Licet quis habeat opinionem alicuius partis, & alterius formidinẽ, non tenetur sequi opinionem si inde magnum immineat alicui periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem: quia periculum graue facit vt in moralibus fortitudo præponderet opinioni.* Sic ille. Quamuis ergo probabilior esset opinio quod hic Religiosus foret rebaptizandus, cum tamen ex illa magnæ emergant difficultates, & ferè pericula, videlicet ordinum sacrorum iterum recipiendorum, Missarum dictarum, & confessionum quas audiuit supplẽdarum, & aliorum quæ infra dicemus; euasio harum magnarum difficultatum, seu periculorum sufficeret, vt ista opinio de non admittenda rebaptizatione esset tenenda; maximè quando ista opinio de rebaptizatione cauenda, tot textibus, ac rationibus munita, sit multo probabilior

lior quam oppoſita rebaptizationem ſuadens.

12 Neque verò, ſi iſte Religioſus non rebaptizetur, reponitur in periculo ſaluationis æternæ: vt enim benè, ac doctè ait Comitolus *lib. 1. reſponſ. Moralium, n. 5.* in alio caſu ſimili, dicens non eſſe rebaptizandum infantem expoſitum ad valuas Eccleſiæ, cum chartula, dicente tantum, (eſt baptizatus) aſſerens illam chartulam ſolum ſufficere vt non rebaptizetur? Reſpondéſque obiectioni, quod per hoc poſſit periclitari ſalus talis expoſiti: dicit per hoc non poni ſaluationem illius in dubio: nam omnis noſtra gratia, & iuſtificatio quoad certitudinem actualem, & perſonalem, pendet ſub fide, confidentia, & opinione, & (vt ita dicam) in pia credulitate: quis enim certo ſcit ſe eſſe baptizatum, cum pendeat ab intentione baptizantis? Quis certo ſcit ſe eſſe verum Sacerdotem, cum pendeat ab intentione ordinantis? Quis certo ſcit ſe eſſe verè confeſſum, cum id pendeat ex contritionis valore, & Sacerdotis abſoluentis intentione, & vero ipſius charactere? Viuimus enim ſub hac pia probabilitate de certitudine perſonali noſtræ gratiæ: & cum hoc ſtat, quod iſta dubietas non facit nos eſſe in periculo ſaluationis, ſic ille optimè ad noſtrum intentum. Nam licet iſte Religioſus abſtineat à ſecúdo Baptiſmo ſtante opinione tot textibus, & rationibus firmata, quod non debeat rebaptizari, non exponitur periculo ſaluationis viuens in iſta pia credulitate, quod ſit verè baptizatus. Et clariùs hoc definitur in cap. *ad Apoſtolicum*, *de Preſbytero non baptizato*, vbi Papa expreſsè dicit, quod omiſſio Baptiſmi non nocet credenti probabiliter ſe eſſe baptizatum: idque probat ibi Papa Innoc. III. cum exemplis: iſte autem Religioſus ſatis probabiliter poteſt credere ſe eſſe baptizatum, ob tot rationes, & tex-

tus citatos. Addi potest aliud exemplum circa piam credulitatem nostræ salutis spiritualis. Quis enim certo scit hanc nostram consecratam ab hoc particulari Sacerdote esse verè consecratam, cum id pendeat primo ab illius intentione non cognita: secundo, an sit verus Sacerdos: tertio, an sit verè baptizatus? Et nihilominus depositis his dubiis illam adoramus, & sumimus credentes nos verum sumere, & adorare Sacramentum, quod ad intentum potest optimè adaptari, pro tollendo dubio de periculo salutionis, si omittatur in isto casu secundus Baptismus.

13 Facit adhuc ad probationem istius conclusionis quod tradit Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 35. num. 19.* videlicet quod quando dubitatur de valore actus, in dubio est accipienda præsumptio, vt actus valeat potius quam vt pereat: citat ad hoc duas leges ciuiles, Alciatum, & Menochium. Cum ergo in hoc casu sit dubium de valore istius Baptismi, tenenda est potius præsumptio de illius valore, quam de illius nullitate.

14 Doctores pro ista opinione hactenus non citaui, quia cum casus fuerit tam particularis, & nouus, nullus de illo scripsit in terminis. Ex iis verò quæ illi dixerunt in simili ferè materia, & indirectè dixerunt, potest primo citari Comitolus loco supra citato *num. 12. in princip.* vbi probat non esse rebaptizandum infantulum expositum in platea cum chartula dicente illum esse baptizatum: licet illa chartula patietur multa dubia, de quibus iam diximus, & ait Comitolus hoc consilium placuisse multis Theologis in quadam consultatione congregatis Venetiis facti contingentia: quod nimis inseruit pro casu præsenti. Et concludit ibi Comitolus in septima ratione, quod Sacramẽtum Baptismi, quando constat de facto, nec potest sciri fuisse irritum

tum (quomodo in hoc casu sciri non potest, sed scitur esse collatum) ait Comitolus, quod si constet de facto, non debet iterari sub conditione : & citat pro se D. Thom. Sotum, Antonin. Palud. Scotum, Angelum, Tabienam. Coincidit ferè cum Comitolo, Suarez supra citatus *in princip. n.* 1. Si verò aliqui textus, vel Doctores dixerint baptismum in dubio esse iterandum sub conditione, intelligi debent, quando est dubium facti, dixi *in num.* 1. cum Suarez, & satis colligitur ex præcedentibus : & in hoc Baptismo de quo agimus, nullum est dubium facti, vt etiam probatum manet in præcedentibus. In particulari citari potest in oppositum Vasquez, qui *2. tom. ad 3. partem D. Thom. disp.* 146. *cap.* 4. dicit, quod infans expositus cum chartula dicente quod sit baptizatus, sed creditur expositus à Sarracenis, & Iudæis qui execrantur Baptismum, hunc talem ait fortè rebaptizandum. At in nostro casu Clericus baptizans non fuit Sarracenus, neque est adhuc damnatus de Iudaismo. Et cap. *de quibus*, de Baptismo, & eius effectu, quod aliqui citant, quo dicitur, quod in dubio an aliquis baptizatus fuerit, rebaptizetur sub conditione : hoc capitulum potest intelligi, quando est dubium facti, iuxta dicta *n.* 1. cum Suarez, & iuxta Comitolum citatum in princip. huius *n.* 14.

15 Ex dictis in hac secunda conclusione, vt vides, sequitur, quod si Religiosus iste acquiescat huic opinioni tot rationibus confirmatæ, & abstineat à secundo Baptismo, euadet multas, & maximas difficultates, videlicet de professione iteranda : de ordinibus sacris iterum recipiendis : de confessionibus sacramentalibus quas audiuit, emendandis : ac denique de supplendis Missis quas dixit, si non erat Sacerdos, pro quibus emissis Conuentus pitancias recepit. Et has difficultates vi-

tabit absque periculo salutis æternæ, vt probaui *n.* 12. Quod si non acquiescat, sit tertia conclusio.

Tertia conclusio.

16 SIt tertia conclusio. Si iste Religiosus non acquiescens dictis in secunda conclusione, faciat sibi Baptismum iterari, tenetur denuo ordines omnes sacros recipere: Missas nullas à se dictas supplere: confessiones auditas emendare, vel potius iterare illas debent pœnitentes, qui illas cum illo fecerunt: ac denique illius professio in Religione fuit irrita, & nulla. Hæc probatur per singulas partes; & imprimis, quod tenetur (si velit esse Sacerdos) omnes ordines sacros iterum recipere, est diffinitum expressè in cap. *si quis Presbyter.* & cap. *veniens, de Presbytero non baptizato.* In quorum 2.c. Papa dicit, quod vbi fundamentum non est, superædificari non potest. Ex quo Theologi desumunt illud primum principium, quod Baptismus est ianua, & fundamentum omnium Sacramentorum: ita vt non baptizatus nullum Sacramentum validè, ac fructuosè possit recipere. Vnde etiam Theologi colligunt Beatam Virginem Deiparam, & omnes Apostolos in Cœna Domini fuisse iam baptizatos Baptismo Christi, aliàs illis Eucharistia ibi sumpta nihil proficeret non vere baptizatis. Et per hæc nolo dicere B. Virginem cum Apostolis in illa Cœna assedisse. Sed dico iam fuisse baptizatam à Christo D. vt illi prodesset Eucharistia, vel alia nocte in alio receptaculo illi à Christo D. missa, sicut aliqui considerant: vel vt illi prodesset post Christi D. Ascensionem, cum de manu Ioannis Euangelistæ illam sumebat. Vide Henriquez *tom.* 1. *lib.* 2. *de Baptismo, c.* 5. *num.* 2. & 3.

17 Posi

17 Posito vero hoc fundamento, quod sine Baptismo nullum valet Sacramentum susceptum, benè infertur secundum, & tertium dictum de obligatione supplendarum Missarum, & confessionũ sacramentalium quas audiuit, eo modo quo diximus. Constat euidenter, nam si non est baptizatus, non est Sacerdos, vt patet: si non est Sacerdos, non potuit vllo modo Missam validam dicere, cum consecratio in Missa facienda pendeat essentialiter ex charactere in Sacramento Ordinis impresso. Denique si non est Sacerdos, non potest validè confessiones audire, cum iurisdictio ad absoluendum conferri non valeat, nisi Sacerdoti habenti characterem, quia character est fundamentum iurisdictionis ad absoluendum. Quæ omnia, quia clarissima sunt, & à nullo Catholico possunt negari, ampliùs non curo probare. Et quod attinet in particulari ad confessiones nullas, quas audiuit, dico quod licet in illis faciendis data fuerit bona fide pœnitentis confitentis, & illius absoluentis, hæc bona fides non sufficit, vt essent confessiones validæ; neque ad id iuuat lex *Barbarius, ff. de officio Prætoris.* quia caruit charactere Sacerdotali, quod est fundamentum essentiale ad absoluendum. Pro quo videri potest Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 22. à n. 4. & seqq. & lib. 8 de matim. disput. 4. à n. 11. & seqq.* & multò clariùs vide Valerum Carthusianum *lib. de differentijs vtriusque fori, verb.* Nullitas, *different. 2. n. 3.* vbi refert casum cuiusdam sæcularis, qui cum non esset clericus, se tamen talem fingens, in Regno Aragoniæ per 33. annos Parochus fuit in vna Parochia, & quod ibi tenet Carthusianus de iterandis Sacramentis ab illo ministratis,

18 Sed in particulari de professione istius Religiosi supposita nullitate prioris Baptismi, potest esse dubiũ.

Et

Et potest vtcumque probari quod fuerit valida: nam professio facta ab excommunicato nominatim, est valida, iuxta Doctores communiter, maximè Rodrig. *tom.3.qq.q.17.art.14.*imo & professio hæretici occulti est valida, vt probo *in 1.Dubior.Regul.verb.* Professio *num.24.*ex Nauar.& Sanchez, qui vltimus dicit matrimonium Catholici cum publico hæretico validum esse etiam ex parte hæretici. Si autem hæreticus, qui non est Catholicus potest contrahere verum matrimonium: etiam homo non baptizatus, licet non sit Catholicus poterit professionem validam emittere, quæ est quoddam matrimonium spirituale: & licet iste Religiosus non baptizatus, non esset Catholicus in numero ob defectum characteris baptismalis, erat tamen Catholicus in intentione, & poterat habere veram fidem, ac meritum per veram contritionem, qui est Baptismus flaminis, & proinde poterat vt Catholicus validè profiteri. Facit vtcumque id quod dicit Papa citato cap.*veniens, de Presbytero non baptizato*, quod scilicet fuerit opinio aliquorum, quod non baptizatus, credens tamen se baptizatum propter fidem Sacramenti potuisset validè recipere Sacramentum ordinis, licet id Papa ibi non recipiat. Si ergo iuxta illam opinionem, non baptizatus verè poterat ordines sacros recipere, posset à fortiori validam professionem emittere, cum professio non sit Sacramentum. Et confirmatur, quia professio est quidam contractus inter profitentem, & inter Religionem acceptantem: at homo Catholicus baptizatus potest facere validum contractum cum homine non baptizato scienter, videlicet cum Sarraceno. Per quæ videtur hæc opinio vtcumque probabilis, quam ego apud nullum reperi discussam terminis propriè, & clarè.

19 Hoc

19 Hoc non obstante, dico imprimis in Ordine Minorum, credo quod talis professio non baptizati fuisset nulla. Probo ex Regula nostra, ac statutis generalibus, quæ ambo circa profitentem petunt vt conditionem, quod sit Catholicus. In primo cap. Regulæ ait P. N. Franciscus, quod Principalis examinet Nouitium de fide Catholica: & statuta generalia iubent, vt Nouitio ante professionem legantur, & proponantur certæ conditiones cum protestatione, quod professio erit nulla, deficiente aliqua conditione ex illis ibi propositis: ex illis verò conditionibus prima est, quod sit fidelis Catholicus. Iam verò homo non baptizatus non dicitur Catholicus in communi modo loquendi: ac proinde professio istius in Ordine Minorum valida non fuisset ex defectu illius conditionis. Secundo, quia etiam posset fieri quod non baptizatus, possit esse Catholicus in merito, si cum fide, ac desiderio Baptismi habeat veram contritionem, id non sufficit, quia illa contritio est difficilis, & nulli potest constare an ille non baptizatus habuerit veram contritionem ob quam dicatur Catholicus merito.

20 Credo secundo quod iste talis non baptizatus, in nulla Religione validè professionem emitteret ex defectu Baptismi. Probo, quia credendum omnino est quod ex parte Conuentus, & Religionis admittentis ad professionem, defuit consensus in illo recipiendo. Probo à simili, ex Nauar. *lib. 3. consiliorum, tit. de Regul. consil. 50.* & Rodriguez *tom. 3 qq. quæst. 17. art. 9.* qui dicunt, quod si in aliqua Religione sit statutū quod non recipiantur illi qui vulgo dicuntur, *da naçaon*, Christiani noui; & aliquis talis recipiatur occultè per ignorantiam; istius professio erit nulla, non ex vi statuti, sed quia defuit consensus ex parte Conuentus, quia si sci-

ret

ret Conuentus cum esse talem non reciperet ad professionem, neque consentiret. Quod magis militat in isto casu: si enim quilibet Conuentus sciret hunc non esse baptizatum, nullo modo consentiret Et dicunt Nauar.& Rodrig.*citatis locis*, quod cognito defectu illo Christiani noui, poterit post professionem eiici ab ordine, ob defectum consensus, qui defuit in professione ex parte ordinis. Si vero huius professio non baptizati fuit nulla, etiam annus nouitiatus fuit nullus, & proinde debet iterum anno integro esse Nouitius, nec valebit professio præterita ratificata vna die post secundum Baptismum.

21 Hæc quæ dixi,*num.*19.*&* 20.de nullitate professionis hominis non baptizati, satis videntur colligi ex illis quæ ibidem dixi,& citaui. Quo non obstante,scio Marzillam *in lib.suarum Decisionum,ac Declarationum Cardinalium*,ann.613.*lib.*1.*tit.*12.*c.*18.citare hanc Declarationem Cardinalium. *Monialis dubitãs an esset baptizata,quæ ad cautelam se iterum fecit baptizari.si antea professionem emiserat.professio tenet, ita vt exire non possit:sed tamen debet iterum nouitiatum facere anno integro,& postea profiteri.* Quæ quidem declaratio,si verè facta fuit ab Illustriss. illis Dominis, tollit omne dubium,& probat professionẽ hominis non baptizati valere. Et si illi ita declararunt,ego cedo manus, & dico professionẽ istam non esse ratificandã, neque in Ordine Minorũ,neque in aliquo alio Ordine.Sed quoniam Cardinalium declarationes sæpè falso citantur, & non obligant vt lex,nisi modo, quo ego dixi 1.*tom.Dubior. Regul.ver.* Declarationes Cardinalium ex Rodrig. ibi citato. Ego proximè dictam declarationem à Marzilla citatam non impugnans, tamen circa illam sic dubito: nã alter Marzilla,Petrus videlicet Marzilla, anno 618.

qui

qui quasi priorem impressionem correxit, ad citatum cap. 18. Tridentini, hanc declarationem Cardinalium non posuit. Secundo, quia si ista professio Monialis dubitantis de suo Baptismo, valida fuit, vt non possit exire, ad quid ergo postea obligatur facere nouum, & integrum annum nouitiatus? Nam verè professus non indiget nouo nouitiatu, neque noua professione: si dicas illam professionem priorem non valuisse vt solemnem, sed habuisse vim voti simplicis tantum, & ratione voti simplicis teneri postea profiteri: dicam quod dicta declaratio dicit, *Quod prima professio tenuit:* hæc verò verba sic dicta videntur innuere, quod tenuit tanquam solemnis, non tanquam votum simplex. Et potest hæc mea dubitatio iuuari ex cap. 15. *Concil. Trident. de Regular.* vbi dicitur, quod professio facta ante annum 16. completum, vel non transacto anno integro nouitiatus, non solum sit nulla, sed etiam quod nullum effectum obligationis inducat, videlicet quod nec obliget vt votum simplex. Et id posset aptari ad istum casum, vt professio non baptizati, siquidem iubetur ratificari postea cum altero anno nouitiatus, videatur quod neque prius professio obligauerit vt votum simplex. Quidquid sit, ego subiicio me censuræ Ecclesiæ, & Doctorum: solum sufficiat ostendisse quod pro vtraque parte dici potuerit de valore professionis hominis non baptizati. Et ideo non soluo argumenta adducta *num.* 18. pro valore istius professionis, quia illa consonant cum citata Declaratione Cardinalium. Quando verò constaret prædictam declarationem esse apochryphan, facilè soluentur eadem argumenta pro nullitate eiusdem professionis, ex dictis à nobis *n.* 19. & 20. Et in fauorem adhuc prædictæ Declarationis Cardinalium, & quod iste professus non baptizatus sit

cogendus

cogendus iterum profiteri, facit omnino casus adductus à Symanchas *de Cathol. instit. tit. 31. n. 5.* & Cast. *de iust. hæreticorum punit. lib. 1. cap. 8.* qui dicunt quod si homo fuit baptizatus, sed malè, & postea detecta est nullitas Baptismi, iste talis cogendus est postea iterumve rebaptizari, & seruare fidem Catholicam: quod exemplum multum fauet ad probandum, quod iste nulliter professus ob defectum Baptismi, sit postea cogendus vt iterum professionem emittat, est enim vtrobique eadem ratio. Facit etiam quod tenet Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 3. de voto, cap. 2. num. 9.* quod scilicet catechumenus non baptizatus potest validè emittere votum simplex.

22 Et quamuis ad hæc omnia possem respondere facilè pro nullitate dictæ professionis, id non facio, tum vt deferam prædictæ declarationi Cardinalium, tum breuitatis gratia, tum quia ob proximè dictum à Suarez, illa prima professio facta à non baptizato, censeri potuit, quod vt minimum fuit votum simplex emissum à catechumeno: erat enim iste Religiosus saltem catechumenus, & proinde illius votum simplex Religionis primo emissum obligabit illum vt postea veram, ac secundam professionem emittat,

Duæ aliæ difficultates de isto professo, & rebaptizato.

23 CAsus valdè difficilis multas patit difficultates: & ita contigit in isto casu. Nam Religiosus de quo agitur, pressus scrupulo in materia solius Baptismi, fecit iterum se rebaptizari sub conditione. Sed tamen non recepit Ordines sacros denuo, sed Missam celebrauit vt antea, nec professionem ratificauit cum nouo

nouo nouitiatu. Mota est contra illum duplex quæstio. Prima, quod cum per rebaptizationem se crederet non baptizatum, & proinde non erat Sacerdos, iuxta prædicta *num.* 16. & 17. sequitur quod celebrauit Missam cum non esset Sacerdos, & incurrit pœnas motus proprij Clementis VIII. iubentis tradi brachio sæculari celebrantem Missam illum qui non est Sacerdos. Secunda quæstio fuit, quod saltem incurrit irregularitatem impositam illi, qui ministrat in Ordine, quo caret: & iste supposito quod non erat baptizatus, nec Sacerdos, ministrauit in Ordine Presbyteratus quo caret, & proinde videtur incurrisse irregularitatem positam contra ministrantes in Ordine, quo carent, Ex quibus satis vides quanto iure supra dixerim debuisse hunc Religiosum acquiescere, & abstinere à secundo Baptismo propter tam difficiles difficultates inde emergentes.

24 Et imprimis quod attinet ad priorem quæstionem de repetitione Ordinum sacrorum, dico imprimis istum Religiosum, rectius, ac securius facturum repetendo Ordines sacros, suppono quod repetiit Baptismum; imprimis enim fecit contra expressum textum capituli *veniens, de Presbyter. non baptizato.* Vbi Papa de Presbytero non baptizato loquens, ait ad finem capitis: *Mandamus quatenus ipsum per singulos ordines, vsque ad Sacerdotium promouere procures.* Et præterea maior obligatio erat vt iste iterans Baptismum, Ordines iteraret, quam vt iteraret Baptismum. Nam ad iterandos Ordines iterato Baptismo vrget ille textus clarissimus proximè citatus, & conclusio Theologorum, quod Baptismus sit ianua Sacramentorum: ad non iterandum vero Baptismum, excusabant illum tot textus, ac rationes citatæ in secunda conclusione.

25 Quæris, an ſic celebrans, & ſacrorum Ordinum iterationem omittens, peccauerit, & incurrerit pœnas de quibus *num.* 23. Hic occurrit reſponſio illa dicentium in aliquibus caſibus dubiis, videlicet: ante factum non conſulerem, poſt factum non condemnarem. Sic ego dico in hoc caſu: ante factum conſulerem omnino iterationem Ordinum, ſuppoſita iteratione Baptiſmi, propter clarum citatum proximè textum. Sed poſt factum non audeo illum condemnare de peccato, vel de pœnis. Ducor rationibus ſequentibus. Primò, quia ipſemet Papa doctiſſimus Innocentius III. citato cap, *veniens*. præmittens primo opiniones eſſe inter Doctores, quod ordines ſacri non eſſent iterandi à Preſbytero non baptizato, qui aliàs vixerat vt fidelis cum fide Chriſti, & tanquam fidelis, cum haberet fidem infuſam per contritionem: imprimis, opinionem quæ dicebat non teneri hunc ad iterandum Sacramentum Ordinis, poſuit ſecundo loco, & vltimo: quod aliqui Doctores dicunt eſſe ſignum opinionis reputatæ vt melioris, quæ ſcilicet ponitur vltimo loco. Deinde decernens, vt talis Preſbyter non baptizatus iterum Ordines ſuſcipiat, antequam id præcipiat, ait ſe id mandare tànquam tutius; ait enim: *In hoc dubitabili caſu, quod tutius eſt ſequentes, mandamus*, &c. Conſtat autem quod licet vna opinio ſit tutior, ac ſecurior, is qui ſequitur minus tutam, ſi tamen illa probabilis eſt, non peccat, vt latè, & efficaciter probat Sanchez *lib.* 1. *Decal. cap.* 9 *à num.* 13. citans multos recentiores. Secundò, quia Doctor poteſt hodie conſulere ſecundum iſtam opinionem probabilem, & cras conſulere ſecundum opinionem contrariam ſi ſit etiam probabilis, vt eodem loco tenet Sanchez, & clarius docet Sayro in Clau. Regia *lib.* 1. *cap.* 6. Si autem ſic poteſt Doctor conſu

consulere secundum varias opiniones, sic pœnitens poterit agere diuersis temporibus secundum contrarias opiniones: & ita iste Religiosus videtur quod potuit sine peccato, primo vti opinione dicentium, quod rebaptizaretur sub conditione: & hoc non obstante potuit postea vti opinione dicenti iuxta nostram 2. concl. non indiguisse nouo Baptismo, sed posse quietari cum primo, & sic excusauit Ordinum sacrorum repetitionem, quia operatus est securè diuersis temporibus iuxta diuersas opiniones in eadem materia. Confirmatur hoc amplius per id quod tradit Sanchez citato *cap. 9. n. 33.* vbi multos citans probat licitum esse etiam in administratione Sacramentorum vti opinione minus probabili, relicta probabiliori, ac tutiori, non obstante periculo irritandi Sacramenti: quod ibi probat adducens rationes, quarum vna hæc est: quia non est irreuerentia Sacramenti illud ministrare cum periculo, vt sit irritum sequendo opinionem probabilem.

26 Quod vero iste Religiosus sic celebrans sine noua Ordinum receptione, non incurrerit pœnas motus proprij Clement. VIII. contra celebrantes qui non sunt Sacerdotes, constat ex tenore ipsius Bullæ incipientis, *& si alias*. Dat. Rom. anno 1601. in qua illud factum, seu celebrationem, semel appellat audaciam, semel temeritatem: at iam in præcedentibus diximus, quod quando Bullæ Pontificum vtuntur similibus verbis audaciæ, & temeritatis, si quis contra faciat bona fide, non incurrit illas pœnas. Religiosus vero iste celebrauit bona fide credens id sibi licere: vide quæ diximus in casu 27. circa Abbatissam admittentem intra clausuram viros indebitè, sed bona fide. Secundò probo, quia id solum fit temerè, quod fit sine fundamento, & cum præcipitatione, vt explicat Calepinus verbo

Temerè: at iſte Religioſus non celebrauit ſine fundamento, imò habuit fundamentum, & opinionem Doctorum ſibi dicentium non indigere iteratione Ordinum ſacrorum, quia per primum Baptiſmum fuerat verè baptizatus, & proinde poſtea vere ordinatus: ergo cum non celebrauerit temerè, non incurrit pœnas dicti motus proprij punientis temerè celebrantes. Et in c. 2. de clerico non ordinato miniſtrante, de Diacono Miſſam dicente, dicitur: *vſurpare præſumpſerint.* Hic autem ob ſupra dicta non præſumpſit, cum celebrauerit bona fide, & cum opinione probabili, quod id facere poterat. Addo quod dictus motus proprius Clementis punit illos, qui celebrant, cum nullo modo antea ordinem Sacerdotis receperint: hic autem verè recepit omnes ſacros Ordines, ac proinde de illo non intelligitur dictus motus proprius.

27 Idem dico de ſecundo quæſito, videlicet quod iſte ſic celebrans non incurrit irregularitatem poſitam contra miniſtrantem in Ordine, quo caret, probatur eiſdem ferè rationibus proximè poſitis *in num.* 26. Probatur denique primo ex Nauar. in cap. *Accepta, de reſtit. ſpoliat. ad oppoſitionem* 81. *num.* 34. *& in Sum. c.* 27. *num.* 252. vbi citans Panormitanum, Dominicum, Felinum, docet irregularitatem poſitam in pœnam delicti non incurri niſi interueniat dolus, aut contemptus, etiamſi aliàs interuenerit peccatum mortale: at conſtat, quod iſta irregularitas de qua quæritur, eſt impoſita ob delictum: & item conſtat quod iſte Religioſus non celebrauit cum dolo, neque cum contemptu. Secundo probo ex eodem Nauar. *in Sum. c.* 27. *num.* 155. vbi ait, quod ſi quis ſuſcepit Ordines ſacros putans bona fide ſe eſſe legitimum, cum non eſſet, non incurrit ſuſpenſionem ab ordinibus propter bonam fidem, quam

quam habuit, & iſte Religioſus habuit bonam fidem, cum conſuluerit Doctores, ſibi dicentes ſic facere potuiſſe. Confirmatur *ex cap. 20. de conſtit. in 6.* vbi dicitur, Ignorantiam, dummodo non ſit craſſa, & ſupina: excuſare ab omnibus ſententiis: hic autem ignorauit, & non craſſe, quod per talem celebrationem irregularitatem aliquam incurrerit,

28 Adhuc pro quiete iſtius Religioſi, quod per ratificationem ſolius Baptiſmi, & omiſſionem iterationis ſacrorum Ordinum, non poſſit accuſari de aliquo delicto, pono iſtud exemplum: fuit quis excommunicatus publicè, ſed tamen ille credit, & defendit ſe non eſſe excommunicatum: & nihilominus ad ſecuritatem petit à iudice abſolutionem à cenſura. Per hanc petitionem abſolutionis non fatetur ſe eſſe excommunicatum, nec deſiſtit à probanda ſua innocentia. Ita tenet in terminis gloſſa parua marginalis ad cap. *ad præſentiam noſtram, de appellat. ad ver.* Abſolui, & alij Doctor. Eodem etiam modo, licet iſte Religioſus ſe fecerit iterum baptizari ad cautelam, non per hoc confeſſus eſt ſe non eſſe Sacerdotem, nec deſtitit, vel renunciauit iuri quod haberet ad celebrandum ſecundum opinionem probabilem, qua ſibi dictum erat non indigere nouo Baptiſmo: ſed per iterationem Baptiſmi voluit ſecurus eſſe in re, quæ magis neceſſaria eſt ad ſalutem, quam ſit Sacramentum Ordinis, non interim amittens opinionem, quod eſſet verè Sacerdos.

Vltimo aduerto quod ſex graues Doctores in iſta Olyſſipone de eodem caſu conſulti, dixerunt iſtum Religioſum non indiguiſſe nouo, ſeu ſecundo Baptiſmo. Et ex illis duo expreſſerunt, quod licet Baptiſmum iterauerit ſub conditione, non indigebat iteratione ſacrorum Ordinum.

CASVS XXIX.

De electione cuiusdam Monialis ad certum officium, à qua fuit appellatum.

IN quodam Conuentu Monialium eligenda erat officialis quædam, quam illæ vocant Discretam. Electio facienda erat per solas seniores; quæ in illo Ordine vocantur Discretæ. Hæ electrices erant vndecim, & omnes vocatæ ad electionem venerunt, In primo scrutinio oretenus recepto, sex ex illis vndecim dederunt suffragium cuidam, v. g. Franciscæ: quinque aliæ suffragatæ sunt pro Antonia. Prouincialis videns diuisionem, dedit suum suffragium Antoniæ, quæ habebat quinque suffragia, & sic cum voto Prouincialis manserunt æquales in voto. Est vero in hoc ordine statutum authoritate Apostolica confirmatum, quo statuitur, vt si electores per multa scrutinia intra viginti quatuor horas non elegerint, nec concordauerint, transacto illo die naturali præses electionis solus eligat,& nominet quem voluerit. Prouincialis videns discordiam in primo scrutinio, surrexit, & post horas viginti quatuor rediit ad continuandam prædictam electionem. Et conuocatis vndecim electricibus, illæ sex quæ suffragium dederant Franciscæ,noluerunt venire,nec suffragium dare: venerunt solæ illæ quinque quæ antea suffragium dederant Antoniæ. Quo viso Prouincialis cum illis quinque iterum eligens, & attento statuto Ordinis proximè dicto,elegit per vota,& nominauit Discretam Antoniam. Qua electione publicata, sex illæ Moniales quæ venire noluerunt, appellauc

pellauerunt ab electione. Et in secundo scrutinio iterum pro Antonia suffragium dederunt illæ quinque, & Prouincialis.

1 Quæsitum fuit an ista electio Antoniæ valida fuerit, & an potuerit ab illa appellari: Et quod electio fuerit nulla, videtur probari primo, quia in omni electione requiritur vt electus habeat maiorem partem suffragiorum, vt praxis, & iura obseruant: at Antonia neque cum suffragio Prouincialis habuit excessum suffragiorum, sed mansit æqualis: ergo non fuit vera electa. Secundò, quod Prouincialis ex vi statuti non potuerit Antoniam nominare, patet, quia prædictum statutum desumptum est ex Clementina *Exiui, de verbor. signific.* vbi Papa concessit Minoritis id quod citatum est supra ex dicto statuto. At Papa in citato capitulo, ponit hæc verba: *Si electiones plures in discordia celebrari contingat:* Prouincialis vero in hoc casu intra viginti quatuor horas solas duas electiones celebrauit, vnde non videtur seruasse formam dicti capitis: debuit enim vt solet fieri, sex, vel septem scrutinia in discordia facere, vt posset vti illo priuilegio. Tertiò, quia ille textus, & concessio loquitur tantum de electione Prouincialis: in cuius electione dicit, quod si electores non concordent intra viginti quatuor horas, præses electionis nominet Prouincialem: cum ergo ibi loquatur tantum de electione Prouincialis, & materia sit odiosa, vtpote contra ius commune, est proinde restringenda, nec debet applicari, vt id possit Prouincialis facere in electione Abbatissæ, vel officialium Monialium. Quarto probatur, quia in hoc casu Prouincialis videtur grauamen, & iniuriam intulisse Franciscæ, quæ in primo scrutinio habuit sex vota, quæ erat pars maior vndecim suffragantium: & tamen noluit con-

firmare illam habentem exceſſum ſuffragiorum cum vno inſuper ſuffragio, cum quo videtur manſiſſe vera electa: & proinde videtur quod bene, ac iuſtè ſex illæ potuerint appellare ab iſto illato grauamine: tenetur enim præſes electionis confirmare electum habentem exceſſum ſuffragiorum. Quintò probatur, quia ſex illæ quæ noluerunt venire ad ſecundum ſcrutinium, per Nuntium miſſum appellarunt ab electione antequam Prouincialis faceret ſecundam electionem, & nominaret electam: electio vero facta poſt legitimam appellationem interpoſitam, eſt nulla, vt patet ex multis textibus iuris Canonici, & pendente appellatione nihil eſt innouandum.

2 Hoc non obſtante dico; quod electio Antoniæ fuit valida, & quod ab illa non potuerit validè appellari. Antequam vero iſta concluſio confirmetur, ſuppono primo, quod ſuperior ad quem appellatum fuit, antequam ſuper negotio intenderet, debebat citare Prouincialem, à quo fuit appellatū, vt redderet cauſam ſui facti. Conſtat clarè ex c. *Venerabilibus, de ſentent. excommunic. in 6.* vbi cum quis appellaſſet à ſuo Epiſcopo ad Archiepiſcopum, dicit Papa, quod Epiſcopus, à quo appellatum eſt, debet citari coram Archiepiſcopo: *Quia ipſius intereſt (id eſt Epiſcopi) defendere cauſam ſuam.* Sunt verba ipſius Papæ.

3 Suppono quod Prouinciales, maximè iſtius Ordini, habent votum electiuum in omnibus electionibus Monialium, etiamſi ſit electio Abbatiſſæ. Probatur primo ex praxi Prouinciæ, in illa enim ſunt hodie tres Patres qui fuerunt Prouinciales, & dederunt ſuffragium in electione Monialium. Idem obſeruat praxis Epiſcoporum, qui in electione Abbatiſſarum ſibi ſubditarum dant ſuffragium actiuè. Imò de Epiſcopo

Inſulæ

Insulæ Angrensis,res est certa quod in electione Abbatissæ sibi subditæ dat duo suffragia .Neque obstat quod Prouincialis sit dissimilis sexus, & diuersi Ordinis:distinctio enim sexus valdè per accidens est ad intentum, nec obstat, quod sit alterius Regulæ, & Ordinis: nam Generalis Ordinis Minorum habet suffragium actiuum in omnibus electionibus Fratrum tertij Ordinis sibi subditorum, eo quod Prælatus illorum sit,cum tamen illi sint Fratres Ordinis diuersi ab Ordine ipsius P. Generalis. Et ratio naturalis dictat : nam si quæuis Monialis istius Conuentus habet suffragium in omnibus electionibus Conuentus,eo quod sit pars,& membrum istius Conuentus:cur id denegabitur Prouinciali, qui est caput istius Conuentus , & interest sæpè illum dare suffragium in illorum electionibus pro bona directione Conuentus, vide omnino dicenda postmodum *in casu* 3. ad hoc intentum.

4 Tertio suppono , quod si præses alicuius electionis per internuntium , vel campanæ pulsationem vocauerit electores,vt veniant ad eligendum, & illi venire recusauerint, poterit præses electionis electionem facere cum illis solum qui venerunt , etiamsi hi qui venerunt sit minor pars eligentium omnium. Constat hoc expresè ex cap. *Cum nobis,de appellat.* in quo Papa ponit hæc verba. *Quoniam ad electionem faciẽdam accedere noluerunt,alienos se fecisse videntur.* Idem colligitur ex cap. *Prudentiam,de offic.& potest.iudic deleg.* §. Adiicimus. Idem tenet glossa in Clementina *quod circa, de election.* dicens,absurdum esse in numero cõputare illos qui vocati venire noluerunt.Et Panorm.in cap. *Inquisis,de elect num.9.* ponit hoc exemplum. Rector cuiusdam castelli iussit voce Præconis publicari , vt omnes habitatores castelli,qui erant centum,audita voce cam-

panæ venirent ad certum negotium decidendum per ſuffragia publica, pulſata eſt campana, & ex centum venerunt ſolum triginta, qui ſoli ſuffragia dederunt. Ait Panorm. illos ſolos triginta validè elegiſſe, attento quod ſeptuaginta vocati, venire noluerunt. Et cum maiori claritate, & plurium textuum citatione idipſum tenet idem Panormit. ſuper cap. proximè citatum *cum nobis*, vbi inter alia dicit, quod vocati, qui venire noluerunt, habentur, ac ſi non eſſent de capitulo, faciunt enim ſe alienos, &c.

5 Suppono quarto quod electio harum officialium Monialium, quam facit Prouincialis ſingulis annis, non eſt electio Canonica: nam electio Canonica præcepta in cap. *Indemnitatibus*, *de elect. in* 6. & cap. *quia propter*, *de elect.* modificata hodie per Concil. Trid *ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de regular.* fieri debet per ſchedulas ſecretas, & obſignatas, ita vt nomen electoris nunquam publicetur. Electio vero officialium Monialium non prælatarum, fit oretenus, cum Notario tamen, & duobus teſtibus, abſque ſchedulis obſignatis: & in ordine vbi caſus contigit, non vocantur teſtes, ſed vocatis electricibus ſimul iunctis, ſingulæ coram aliis dicunt, do ſuffragium fullanæ, vel fullanæ; quia non eſt electio Canonica. Et ſic non obligat ſeruari formam capitis *quia propter*, *de elect.* vbi præcipitur quod fiat ſcrutinium ſecretum, neque item obligat forma tradita citato cap. 6. Concilij Tridentini, quod ſolum loquitur de electione ſuperiorum Prælatorum, & proinde harum officialium electio requirit minores apices, & minorem ſolemnitatem.

6 Suppono quintò, rem notoriam eſſe in iure, quod iudex non tenetur deferre appellationi friuolæ, imò quod tenetur illam reiicere, & quod poteſt punire friuolè

friuolè appellantem. Hæc est commissa Doctorum, sufficiat videre Rodriguez *tom.2. qq. Regul. quæst 53. art.*10.paulo post principium,vbi citat varios text.iuris Canonici, cum Ioan. Andr. Innocent. Geminiano, & Hostiense, qui sunt grauissimi inter Doctores Canonistas. Quæ vero sit appellatio friuola, definit ibi Rodrig.ex Doctoribus esse illam,quæ ponitur sine causa,vt cum quis appellat non grauatus iniustè : vel esse illam,quæ est vana,& inanis,vel quæ non potest sortiri vllum legis effectum. Addo ad hoc intentum, quod à statuto generali Ordinis, cum sit lex non potest appellari,vt clarè tenet Panorm.*super cap.final.de constit.* Et quod à lege non possit appellari , tenet & probat Miranda in ordine iudiciario *quæst.*30.*art.*9.*concluſ.*3. citans vnum textum iuris canonici, & alium iuris ciuilis.Ratio huius est,quia nemo potest appellare, nisi à grauamine sibi illato, vel comminato : lex autem , vel statutum neminem grauat per suam dispositionem, Tertio noto adhuc pro ista appellatione extraiudiciali à grauamine (qualis ista fuit) quod illa debet fieri in scriptis,& debet exprimi causa ob quam appellatur, vt clarè habetur in cap.*Cordi nobis est,de appellat. in* 6. & tenet cum aliis Panorm.super c.*considerauimus,de elect. n.*4.& alij communiter.

7 His positis iam clarè, & efficaciter deducitur probatio positæ conclusionis, quod scilicet electio de qua agitur fuerit valida , & quod ab illa non potuerit appellari , probo hoc vnico argumento fundato in præmissis Notationibus. Nam in ista electione interuenerunt omnes conditiones requisitæ ad substantiam talis electionis: primo enim vocatæ sunt omnes electrices;secundo illa quæ fuit electa habuit plura suffragia, imò omnia suffragia illarum , quæ venerunt ; cæteræ enim

enim vocatæ ad eligendum, & nolentes venire, non sunt computandæ inter electrices, vt constat clarè ex dictis *num.*3. Tertiò Prouincialis seruauit formam statuti generalis fundati in citata Clementina: imò seruauit formam aliorum capitulorum iuris Canon. dicentium quod electio fiat cum illis qui venire voluerint. Quartò non est electa persona inhabilis; sed satis habilis, nobilis, exemplaris, & vtilis in choro; præterea non interuenit metus, siue coactio facta circa electrices: ergo electio valida fuit; nam vltra hæc respondebitur cum claritate, & sufficientia ad obiecta in contrarium. Et hæc probatio, seu vnicum generale argumentum clarius, & efficacius apparebit ex solutione quinque argumentorum in principio pro parte contraria adductorum.

8 Ad primum agitur argumentum dico, hanc electam habuisse plura suffragia, quam Franciſca in secundo scrutinio: nam Franciſca in primo scrutinio habuit solum sex suffragia, & Antonia cum suffragio Prouincialis, alia sex: & sic propter æqualitatem suffragiorum nulla tunc fuit electa in primo scrutinio. In secundo vero scrutinio, Antonia habuit omnia vota suffragantium, quæ venerunt, sex autem illæ quæ vocatæ venire noluerunt, non sunt omnino computandæ inter electrices, vt constat clarè ex dictis *num.*3.

9 Ad secundum argumentum dico, quod licet Prouincialis intra 24. horas solas duas fecerit electiones, per has duas tantum seruauit formã dictæ Clementinæ, petentis vt intra viginti quatuor horas fiant plures electiones in discordia. Nam vbi sunt duo actus, simpliciter plures esse dicuntur: vt clarè dicitur in regula iuris in sexto, quæ dicit; *pluralis locutio duorum numero contenta est:* id est, vbi dantur duo, dantur plures. Cum ergo

ergo Prouincialis fecerit duo ſcrutinia, fecit plura, & ſic non eſt violata forma prædictæ Clementinæ. Secundò dico, quod ſi Prouincialis plura ſcrutinia non fecit, quam duo, culpa fuit eligentium, quæ venire noluerunt, non ipſius Prouincialis, qui paratus erat plura facere. Tertiò & clariùs reſpondetur, quod Prouincialis in ſecundo ſcrutinio nominans electam Antoniam cum quinque ſuffragiis eligentium, & cum ſuo ſuffragio, non eſt vſus dicto ſtatuto, neque Clementina, neque illis indiguit; ſed vſus eſt forma communi cap. *quia propter*, & cæterorum textuum dicentium, vt fiat electio cum ſuffragiis eligentium, qui interfuerint electioni, non computatis illis, qui vocati venire recuſarunt: at in noſtro caſu ad ſecundum ſcrutinium ſex illæ vocatæ, noluerunt venire: & proinde Prouincialis confirmauit electam concorditer ab illis, quæ venerunt; & proinde non elegit, nec nominauit Antoniam ex vi prædicti ſtatuti, vel Clementinæ, ſed ex forma communi ſeruari ſolita in electionibus.

10 Ad tertium argumentum, reſpondetur primo, ex proximè dicto, concedendo videlicet quod dicta Clementina ſolum loquatur de electione Prouincialis: tranſeat, ſed dicimus Prouincialem hic non nominaſſe Antoniam ex motu proprio, neque ex vi citati ſtatuti, vel Clementinæ, ſed ex vi iuris communis confirmando illam, quæ habuit plura vota, imo omnia vota venientium, & volentium eligere, vt dictum eſt proximè in ſolutione tertia ſecundi argumenti. Reſpondetur ſecundo, prædictum ſtatutum, & Clementinam etiam extendi ad alias electiones, quæ non ſunt Prouincialis, vt praxis Hiſpaniæ obſeruat. Et conſtat clarè ex ſtatuto dictæ Religionis *tit. de electione*. Vbi poſtquam dicit, quod non concordantibus electoribus

in

in vno die naturali; dicit quod præses electionis nominet quem voluerit: tunc subdit hæc verba. *Si verò electio sit ministri Prouincialis*, &c. Quæ verba clarè innuunt quod in præcedentibus verbis loquitur de aliis electionibus, quæ non sunt electiones Prouincialis: & hic etiã habet locum, quod exceptio firmat Regulam. Et facit etiam ad hoc quod ista electio, de qua quæritur, non est electio Prælatæ, sed inferioris nimis gradus, quæ tantam solemnitatem non requirit: & in qua facilius credi potest, quod Religio committat Prouinciali, vt electricibus non concordantibus possit pro pace nominare vnam officialem quam voluerit. Et quod prædictum statutum debeat intelligi etiam de aliis electionibus, quæ non sunt Prouincialis, vltra probationem adductam probatur, quia statutum loquitur absolutè, & generaliter, lex vero generaliter loquens, generaliter est intelligenda, vt habetur *in l. de pretio, ff. de public. in rem action.* & præterea, quia quando lex non distinguit, neque nos debemus distinguere, vt habetur *2. quæst. 5. in cap. consuluisti.*

11 Ad quartum argumentum negandum est Prouincialem aliquod grauamen intulisse Franciscæ non confirmando illam cum primùm in primo scrutinio habuit sex vota ex illis vndecim. Probatur clarè, quia non tenebatur illam confirmare donec omnes electores darent suum suffragium: ipse autem Prouincialis erat vnus ex his qui habebant suffragium in ista electione, iuxta dicta *in num.* 3. Voluitque suum suffragium dare: ac proinde antequam ille suffragium daret, electio non erat perfecta, & ex consequenti non tenebatur Franciscam confirmare ante suum suffragium: neque item tenebatur illam confirmare post latum à se suffragium, quia tunc Antonia habebat.

æqualia

æqualia ſuffragia. Quod autem debeat præſes electionis expectare vt omnes electores dent ſuffragium, & poſt illa omnia data, facere examen ſcrutinij, patet ex cap. *quia propter, de elect.* vbi traditur forma ſeruãda in electionibus, vbi ait textus: *quod ſcrutatores vota cunctorum diligenter exquirant.* Cum ergo Prouincialis in hoc caſu habet ſuffragium, vt patet ex ſupradictis, illius votum erat exquirendum, & expectandum antequam confirmaret Franciſcam. Et adhuc efficacius, & clarius probo, quod Prouincialis non grauauit Franciſcam, nolens illam confirmare cum ſex votis primo illi datis in primo ſcrutinio, antequam ille ſuum daret ſuffragium, cui noluit renunciare: probo inquam, quia vtens iure ſuo nulli facit iniuriam, vt habetur in l. *Nullus, ff. de regul. iuris.* & c. *Cum Eccleſia, de electio.* & tenet Nauarr. alia citans *in tom. 3. ſuorum operum,* ad c. *cum contingat, in 7. cauſa nullitatis, n. 8.* At Prouincialis eſt vſus iure ſuo dando ſuffragium, ſicut poterat in primo ſcrutinio, per quod Antonia manſit æqualis in votis: ergo nullum fecit grauamen Franciſcæ nolens illam confirmare antequam daret ſuum ſuffragium.

12 Adhuc pro clariore ſolutione iſtius argumenti quarti, in quo baſis negotij nititur, adduco duo exempla. Primum ponitur à Rodrig. *tom. 2. qq. q. 53. art. 10,* quod contigit in vna Prouincia iſtius Ordinis & Regni, & fuit hoc. In quodam diffinitorio erant ſex diffinitores compromiſſarij cum Præſide, ad eligendum certũ Patrem pro certo officio. Tres ex his electoribus dederunt votum vni ex illis ſex ad prædictũ officium. Iſte qui habuit pro ſe tria vota, dixit ſe renunciare ſuo ſuffragio, & nolle votum dare, ſicut de facto noluit; quia ſe renunciante ſuffragio, & non votante, manebant ſolum quinque electores, & ille habebat tria ſuf-

fragia

fragia, quæ erat maior pars quinque electorum, & ita iam erat electus. Præses diffinitorij obligauit prædictum patrem vt daret suffragium: ille repugnans appellauit ad Superiorem, dicens se esse verè electum. Respondet Rodriguez quod talis electio fuit nulla, & quod appellauit iniuste. Præcipuum fundamentum quod adducit, est; quoniam prædictus pater non poterat renunciare suo suffragio in præiudicium communitatis: & potuit addi, quod non poterat renunciare cum præiudicio tertij, quia poterat hic pater dare suffragium alteri qui cum voto istius patris maneret cum illo in votis æqualis. Si ergo iste pater tenebatur dare suffragium, nec illi poterat renunciare propter bonum communitatis, etiam in nostro casu pro bono communitatis non debuit suo suffragio Prouincialis renunciare, potuit enim Antonia, quæ in primo scrutinio quinque tantum vota habuit, esse dignior, & sic pro bono communitatis æquum fuit vt Prouincialis suo suffragio non renunciaret. Secundum exemplum cernitur quotidie in diffinitoriis, vbi sunt sex diffinitores, seu electores, & incipientes dare suffragia pro vno Guardiano, contingit, vt Petrus, v.g. habeat iam pro se tria suffragia vt sit Guardianus: quo non obstante cæteri tres diffinitores dant liberè suum suffragium, quia potest contingere vt tres posteriores dent suffragium pro Ioanne, & sic Petrus, & Ioannes maneant æquales in votis. Quæ omnia facilè erit casui præcedenti applicare.

13 Neque obstat capitulum *cum in iure, de elect.* vbi Papa dicit, quod si de septem electoribus compromissariis, tres ex illis dederint votum vni ex illis septem, & ille consenserit, maneat electus, licet habeat solum tria suffragia ex illis septem, quæ est adhuc minor pars

ex

ex septem, & in hoc casu ex vndecim electricibus compromissarijs Franciſca in primo ſcrutinio habuit ſex vota ex vndecim, quæ erat maior pars ſuffragantium, & Franciſca conſenſit, ac proinde manſit electa, iuxta citatum caput. Non inquam obſtat, propter diuerſas rationes. Prima eſt, quia in illo caſu ſupponit Papa omnes ſeptem electores ſuffragium dediſſe: & in hoc noſtro caſu quando ſex in primo ſcrutinio dederunt ſuffragia Franciſcæ, nondum Prouincialis ſuffragium tulerat, qui erat vnus de numero eligentium, & cum ſuo voto manſerunt æquales: & in illo caſu Papæ cum illo qui habuit tria ſuffragia, nullus manſit æqualis. Secunda ratio eſt, quia in citato cap. *cum in iure*. elector compromiſſarius qui habuit tria ſuffragia conſenſit expreſsè in ſua electione, & cum ſuo conſenſu compleuit pro ſe quatuor ſuffragia, & ſuus conſenſus valuit pro voto, quia ſeptem electores ſic antea concordarunt, & conſenſerunt, & Papa approbauit: & ſic explicat Panorm. *tom. 8. in conſilio* 23. idem affirmans. Sed in iſto caſu Franciſca quæ primo habuit ſex ſuffragia ex vndecim, non erat de numero eligentium compromiſſarum, vt patet, quia nondum erat diſcretè eligens, neque interfuit electioni, neque inter vndecim illas electrices prius pactum fuerat, vt quæ de illis vndecim haberet tot ſuffragia, eſſet electa; imò illæ vndecim non poterant eligere vnam de gremio vndecim, ſed deforis fuit aſſumenda, vt patet: ac proinde caſus eſt nimis diuerſus. Et probatur hoc clarè ex eo quod ait glóſſa ſuper citatum capitulum, *ver.* Ex ſe, vel aliis. Vbi ait, quod ille ex ſeptem electoribus dans ſuffragium pro ſe, fuit validum, & manſit cum quatuor votis, quæ erat maior pars de ſeptem. Et addit gloſſ. ibi *ver.* Conſentiat, quod illud valuit propter formã com-

promissi factam à capitulo, quod consensit, vt talis maneret electus cum suo voto, & consensu. At in nostro casu vndecim electrices non fecerunt antea tale compromissum : nec Franciſca electa consentiens habuit plura vota, numerato voto Prouincialis, quod erat expectandum. Vide Rodrig. *cit. art.* 10. *quæst.* 53. *tom.* 2. vbi copiosiùs respondet ad citatum capitulum *Cum in iure, de elect.*

14 Ad quintum argumentum dico, quo appellatio facta in hoc casu fuit friuola, & nulla, quæ proinde debuit reiici à Prouinciali, illáque non obstante potuit procedere ad electionem. Textus enim qui dicunt appellationem omnia suspendere, & facta post illam interpositam esse inualida, intelliguntur clarè quando appellatio iusta est, & valida, secus quando est nulla, & friuola, vt Doctores communiter explicant, & practicant. Quòd verò hæc appellatio fuerit friuola, & nulla, constat ex dictis supra *num.* 5. ex Rodrig. citante textus, & Doctores. Vbi inter alia dicit illum appellare friuolè, qui sine causa conqueritur se esse grauatum. At in hoc casu, quod quæso grauamen Prouincialis fecit appellantibus ? Non grauauit primo, dando suffragium pro Antonia in primo scrutinio : quia vt supra diximus, vtens iure suo nulli fecit iniuriam. Non item grauauit nolens confirmare Franciscam cum sex votis, vt etiam supra ostendimus, quia expectandum fuit suffragium ipsius prouincialis, cui suffragio noluit renunciare : & cum per illud suffragium Prouincialis Antonia maneret æqualis in votis, nullo modo grauauit Franciscam nolens illam confirmare, quia non habebat excessum in suffragiis. Tertiò non grauauit Prouincialis appellantes, conuocando illas ad capitulum secunda vice, vt prosequeretur electionem : imò in

hoc

hoc illis beneficium contulit, vocando illas, vt suo iure vterentur, & suffragium darent, quod illæ ferè contumaces facere recusarunt: cum ergo in nullo grauauerit, sequitur illarum appellationem fuisse friuolam, & proinde nullam. Vnde in rigore videtur quod appellauerunt à lege, & statuto concedentibus vt Prouincialis det suum suffragium, & non confirmet non habentem excessum in suffragiis, & sic appellatio clarè fuit friuola, & reiicienda. Addo, quod sicut audiui, nec appellationem fecerunt in scriptis, neque expressérunt causam appellationis, cum tamen hæc duo sint de ratione appellationis, sicut in casibus præcedentibus manet explicatum. Neque Prouincialis potuit recusari vt suspectus, eo quod dederit suffragium Antoniæ in primo scrutinio, vt præcisè ex ipso, vel eo ipso possent illum recusare vt suspectum, & proinde noluerint venire ad secundam electionem. Non in quam sufficit, vel non obstat: nam dare suffragium isti, non est fauere illi fauore suspecto, quia possum dare illi suffragium obligatus ex debito iustitiæ, quia video illum esse magis idoneum; id vero quod fit ex debito iustitiæ nulli potest nocere, neque ingerere suspicionem, vt propter id solum recusetur à suo munere obeundo. Secundo, quia si dare suffragium tali, vel tali esset fauor causans suspicionem sufficientem ad recusandum, omnes ferè electores possent recusari, quia de omnibus ferè moraliter constat, pro quo sint suffragaturi, imò & id aliquando ante electionem publicant. & tamen nemo illos recusat, quin aliàs officio suo fungantur.

Adhuc facit pro nostro casu, quod tradit Panormit. ad cap. *Cum Ecclesia, de elect.* vbi dicit, quod si electores non eligunt in tempore assignato, transfundunt pote-

ſtatem eligendi in ſuperiorem : & loquitur ibi de electione in communi, etiamſi ſit eligendus Prælatus. Cum maiori ergo iure, & fundamento potuit Religio hoc committere Prouinciali in electione vnius Diſcretæ, vel Ianitricis Monialium, maximè nolentibus venire ad electionem ſex illis vocatis, & Prouinciali eligente cum quinque ad electionem venientibus.

CASVS XXX.

An Prouincialis, maximè in Ordine Minorum habeat ſuffragium in electione Monialium.

1 QVoniam dixi in caſu præcedente Prouincialem habere ſuffragium electiuum in omnibus electionibus Monialium ſibi ſubditarum, & audiui aliquos de hoc dubitaſſe, viſum fuit id ampliùs confirmare, maximè pro Ordine Minorum, & hîc dicta iuuabunt etiam pro Prouincialibus aliorum Ordinum,

2 Suppoſitis ergo etiam illis rationibus, quas adduxi caſu præcedenti 29. in num. 2. Idipſum primo ſic confirmo. Nam Papa Vrbanus in confirmatione ſecundæ regulæ ſanctæ Claræ in fine, ait, quod Moniales ſancta Claræ ſint ſubiectæ Cardinali, qui fuerit protector illarum. Et ait Papa quod talis protector poterit præcipere, viſitare, &c. & quod hoc poterit facere inſtituendo, deſtituendo, ſtatuendo, &c. Notandum eſt verbum, *Inſtituendo & deſtituendo*, quæ in praxi Canonũ ſignificant Prælatos creare, vel priuare. Et ſtatutum generale Salmanticæ in Ordine Minorum apud Rebolle-

do *fol.* 98. *pag.* 1. post medium, declarat, quod instituere est dare suffragium in institutione, & electione Guardianorum: cum ergo Cardinalis protector Monialium sanctæ Claræ habuerit potestatem instituendi, id est, dandi suffragium in electionibus Monialium sanctæ Claræ, sequitur quod idem poterunt Prouinciales Minorum in electionibus earumdem Monialium sanctæ Claræ. Consequentia hæc probatur euidenter, quoniam Iulius II. in compendio Mendicantium, *ver.* Moniales, §. 20. concessit, vt Prouinciales Minorum in gubernatione Monialium habeant omnem Iurisdictionem, quam olim habebat circa illas Carnalis protector. Secundò hoc ipsum probo per id quod tradit Sanchez *lib.* 6. *Decal. cap.* 11. *tom.* 2. *n.* 5. vbi citat *l. Si vt proponis*, in fine, *C. de nupt.* videlicet, quod eadem potestas requiritur in actu dissoluendo, quæ requiritur in ipso constituendo, quasi dicat, quod non potest dissoluere actum, nisi ille, qui potest actum constituere. At Prouincialis potest Abbatissam priuare ob culpas, quod est actum dissoluere: ergo potest hunc actum constituere à principio, dando scilicet suffragium per quod constituatur Abbatissa. Si autem potest dare suffragium in electione Abbatissæ, à fortiori poterit suffragari in aliis electionibus Monialium, in quibus non creantur Abbatissæ, sed officiales Conuentus. Neque obstat quod *in compēdio Mendicātium, ver.* Abbatissa, §. 1. dicitur, quod electio Abbatissæ pertinet ad Cōuentum; per quæ verba videtur excludi Prouincialis à suffragio dando in electione eiusdem Abbatissæ. Non obstat, quia pertinere electionem Abbatissæ ad Conuentum, non impedit quin possit Prælatus, qui est caput Conuentus in eadem ferre suffragium. Et confirmatur ex praxi: nam in Ordine B. Dominici, v. g. & in aliis

Religionibus vbi Prælati locales fiunt per electionem Conuentus, non tollit quin Prouincialis possit dare suffragium in electione Prælati localis illius Conuentus. Illa ergo verba: Electio Abbatissæ pertinet ad Cõuentum, solum volunt, quod Abbatissa non fiat per solum arbitrium Prouincialis, nec per diffinitorium sicut fiunt Guardiani Conuentuales in Ordine Minorum, sed fiat per Conuentum, id est, per vota Monialium, non excluso suffragio Prouincialis, & in particulari de Prouincia Algarbiorum in Portugallia, scio quod tres Prouinciales in electionibus Monialium suffragium dederint in diuersis occasionibus; & hoc sufficit ad inducendam consuetudinem validam, vt Prouinciales habeant suffragium electiuum in illarum electionibus. Quod probatur clarè ex c. *cum Ecclesia Sutrina, de causa possessionis*: vbi Papa iudicauit quod certis Clericis competebat ius dandi suffragij in electione Episcopi, eo quod probauerunt se iam antea in electione trium Episcoporum illius diœcesis interfuisse, & tribus vicibus suffragium dedisse pro tribus Episcopis. Idem colligitur ex c. *venerabilem de elect.* vbi gloss. *ver.* ex successione, ait, quod binus, vel trinus actus inducit consuetudinem in materia ferè simili, qualis est electio. Facit ad intentum, quod ait Rodrig. *tom. 2. qq. q. 51. art. 13.* cum aliis, quos citat, vbi agens de materia electionis, ait quod consuetudo decem annorum si sit præter ius commune, potest inducere consuetudinem in electione. Et ista consuetudo quod Prouinciales dent suffragium in electionibus Monialium in prædicta Prouincia viget ferè triginta ab hinc annis, & non est consuetudo contra ius commune, imò est consonum valdè eidem iuri communi, vt patet ex dictis: & fortasse quod in aliis Religionibus erit consuetudo antiquissima.

SECVN

SECVNDA PARS RESPONSIONVM AD CASVS REGVLARIVM.

CASVS I.

De ſuffragio dando in Capitulo per procuratorem miſſum.

IN quadam Religione viget ſtatutum ſic diſponens. Non liceat abſenti, vel præſenti votum cuicumque committere, prout in ſacra Synodo cautum eſt. Et videtur ſupponere ſtatutum, quod illud iubet eo quod ſit à Concilio Trident. ſic diſpoſitum. Quæſitum fuit an Concilium Trident. id prohibuerit : & vtrum hodie ſit licitum illo ſtatuto non obſtante in aliqua Religione capitularem impoſſibilitatum veniendi ad capitulum, ſuum ſuffragium per procuratorem mittere?

1 Dico primo, Concilium Tridentinum non pro-

hibuisse dari suffragium per procuratorem missum. Probo euidenter ex loco Tridentini vbi de hac materia loquitur, videlicet *in sess. 25. cap. 6. de Regul.* in quo nullum verbum ponit circa commissionem suffragij factam absenti, vel per procuratorem. Solum ibi prohibet Regularibus, ne ad dandum suffragium eligantur, vel designentur noui titulares, vt Abbates, & similes: & præterea ne vota absentium suppleantur: quod fieret, si, v. g. talis Prælatus localis absens esset, nec valens interesse capitulo legitimè impeditus, nec assignans procuratorem pro illo ad suffragandum, tunc præses capituli ad libitum diceret alicui fratri non capitulari, tu da suffragium pro tali absente, tu verò pro alio absente: hoc enim propriè est supplere vota absentium, & ibi merito in Tridentino prohibitum, quia talis suppletio redundaret aliquando in præiudicium boni communis, vt patet. Hoc idem clarè confirmo quod scilicet Tridentinum ibi non prohibuerit Regularibus absentibus dare suffragium per procuratorem: nam Marzil. *in suo lib. Declarationum Cardinalium* ad prædictum *c. 6. sess. 35. de Regular.* in fine capitis ponit hanc declarationem Cardinalium. *Procuratores vero legitimè constituti cum generali mandato ad eligendum, non excluduntur, dummodò non habeant mandatum de certa persona eligenda, tunc enim votum non esset secretum.* Vbi vides clarè Cardinales declarasse per Concilium Trid. non prohiberi Religiosos committere suum suffragium procuratori absenti. Et prædictam declarationem affert Marzilla ad verba citati *cap. 6.* quæ dicunt, *alios quoscumque Titulares.* Idem fortè alludens ad citatam declarationem Cardinalium tenet expressè Azor *tom. 1. Sum. lib. 13. c. 10. quæst. 2.* vbi ait quod post Tridentinum in cap. 6. citat. potest absens suum suffragium,

fragium, aut vocem ſcripto mittere, vel conſtituere procuratorem ſecundum conſtitutiones ſuæ Religionis, vt congregatio Cardinalium cenſuit. Sic ille. Et citat ibi Azor *compendium Patrum Minorum, ver.* Concilium. Idem tenet Rodrig *tom. 2. qq. q. 51. art. 6.* citans Paſſarellum in compendio Minorum.

2 Quod dare ſuffragium per procuratorem ſit practicatum aliquo modo in Religionibus, probatur ex praxi; nam in aliquibus Religionibus, maximè Franciſcana, quando Prouincialis eſt impeditus ne poſſit ire ad capitulum generale, eligit Religioſum, qui ſuo nomine vadit ad capitulum generale, & in illo dat ſuffragium in omnibus electionibus ſicut daret Prouincialis, quod in rigore eſt dare abſentem ſuffragium per procuratorem. Facit etiam, quod ſtatuta generalia Franciſcana Salmanticæ facta titul. *de commiſſariis particularibus*, §. 1. in fine, dicunt quod Prælati generales poterunt committere commiſſariis viſitantibus Prouincias, vt pro ſe dent ſuffragia in omnibus electionibus Prælatorum localium; quod ego bis vidi poſitum in praxi, & hoc nihil aliud eſt, quam Prælatum generalem conſtituere procuratorem, per quem dant ſuffragium in abſentia.

3 Videtur adhuc, quod non poteſt aliqua Religio validè facere ſtatutum per quod prohibeat dare votum per procuratorem. Probo, quia cum illud permiſſum ſit à Concilio Tridentino, vt proximè vidimus in citata declaratione, & ſtatim patebit ampliùs ex iure communi Canonico, videtur quod Religio non poteſt oppoſitum præcipere, cum inferior non poſſit abrogare legem ſuperioris. Clementina *Ne Romani, de elect.* Quod autem ex iure Canonico liceat votum dare per procuratorem in abſentia; habetur expresè in cap. *ſi*

quis iusto, de elect. in 6. vbi Papa ponit hæc verba: *Si quis iusto impedimento detentus in electionis negotio nequeat commodè interesse, potest, (nedum vni prout dicitur in Concilio generali,) sed etiam pluribus vices suas committere*, &c. Et in margine textus istius dicitur, quod hoc Concilium generale, de quo loquitur textus, est Concilium generale Lateranense sub Innocentio III. c. 24. Idem habetur in cap. *quia propter, de elect.* in fine capituli, Et cap. *scriptum, de elect.* Imò addo in confirmationem, quod de iure Canonico in rigore loquendo, si absens committat alicui, qui est de corpore capituli, vt pro se det votum in illo capitulo, iste talis poterit in capitulo duo ferre suffragia, vnum quod habet ratione sui officij, alterum quod habet ex commissione absentis: non enim ex commussione absentis amittet proprium suffragium quod habet ratione sui officij: colligitur hoc clarè ex cap. *congregato, de elect.* in principio: vbi Papa dicit quod computata sunt duodecim suffragia ex vna parte, computato procuratore cuiusdam absentis. Colligitur etiam ex cap. *quia propter, eod. tit.* in fine, vbi Papa dicit posse absentem committere votum vni de capitulo. Qui de capitulo (ait ibi glossa *ver.* venire) habebit duplicem vocem. Et huius causa duplicis suffragij est quam paulo proximè assignauimus, & citat ibi glossa in fauorem huius, cap. *cum olim, de re iudic* & cap. *scriptum, de elect.* Neque hoc est supplere vota absentum, vt suprà diximus, sed est dare votum per procuratorem, quod Tridentinum non reprobat, vt suprà diximus, *num.* 1.

4 Scio hoc non esse receptum de ordinario in Religionibus aliquibus. Volui tamen hæc semel explicare, vt si fortè alicubi fuerit intentatum, non iudicetur absurdum, vel extraneum, sed videatur quod sit ius commune,

mune. Quo posito addo, à iure veteri antiquo non esse recedendum, nisi in quantum illud inuenimus correctum,& emendatum per ius nouum. Probatur ex l. *Sancimus. C. de testam.* Authent. *de non alienan. aut permutand. rebus Eccles. §. fin.* traditque Reper. Inquisit. *ver.* Episcopus, §. an propter commissionem:& *ver.* cognoscere, §. sed an facultas:& alij, maximè Rodrig. 1. *tom. qq. Regul. q.* 20. *art.* 10. Sed illa duo capitula iuris antiqui dicentia posse dari votum per procuratorem ab absente, non sunt reuocata per ius nouum Concilij Tridentini, vt suprà diximus, imò per illud sunt confirmata, iuxta declarationē Cardinalium adductam, & Marzilla, & Azor: ergo ab illo iure antiquo non licet recedere per statutum alicuius Religionis particularis.

5 Vltimo circa illud quod in particulari citaui ex Azorio dicente, posse quem suum suffragium scripto mittere obsignato, vt dixi *num.* 1. poterit quis dubitare an sit contra ius commune suffragium dari ab absente per scriptum? Credo id non esse cōtra iuris substantiam, & si alicubi intentaretur valeret. Nam tale votum missum ab habente votum, & absente, datum per scriptum, habet omnia requisita veri suffragij, si constet verè mitti ab illo adsente, qui habet ius dandi suffragium. Probo primo, quia votum dari in scripto non contradicit iuri: imò est consonum iuri, videlicet Tridentini, iubentis vt vota dentur secreto, id est, per schedulas scriptas, & obsignatas. Secundo hoc ipsum seruatur in praxi in Congregatione Sancti Ioannis Euangelistæ in Portugallia. In qua laudabiliter omnes, ac singuli Religiosi cuiusque Conuentus, tempore capituli mittunt singuli ad capitulum sua suffragia obsignata pro eligendo Generali eiusdem Congregationis: & sic absentes mittunt sua vota per scriptum ad

capitu

capitulum, & validè hoc faciunt, quia non est contra ius, nec præter ius, sed iuri consonum. Tertiò adhuc datur huius rei vestigium in Ordine Minorum, in quo practicatur, quod tempore quo recipienda sunt vota ad Nouitij professionem, si aliquis Religiosus ante votorum receptionem foras exit, per multos dies extra Conuentum moraturus, suum suffragium pro Nouitio recipiendo, vel excudendo relinquit scriptum, & obsignatum, & sic dat suffragium per scriptum in absentia. Et licet hoc non sit verè dare suffragium in electione, quia Nouitium recipere per vota non est electio, nec eligere Canonicè: habet tamen multam similitudinem cum electione. Et hæc omnia licet non sint in vsu vbique, poterunt tamen prodesse alicubi.

CASVS II.

De quodam legato relicto cuidam puero sub conditione si foret Clericus, & ille factus est Religiosus.

QVædam mulier vidua fuit in Baptismo suscep-trix, seu mater spiritualis cuiusdam pueri nomine Bartholomæi. Hæc erga puerum benè affecta, per mortem fecit testamentum in quo disposuit, vt ex bonis suis separarentur quingenta scuta, ex quibus emeretur proprietas immobilis, quæ daretur dicto puero Bartholomæo pro dote ad Ordines sacros assumendos, & diceret primam Missam nouam pro ipsa testatrice matre spirituali. Addidit in testamento, quod si puer moreretur, antequam Missam nouam diceret,

ceret, prædictum legatum caperet quædam illius soror pro dote matrimonij. Prædictus puer Batholomæus antequam sacros Ordines reciperet, ingressus est certam Religionem approbatam, & in illa professus est pro statu Sacerdotum illius ordinis, ita vt absque dubio futurus sit Sacerdos: & in ista Religione est consuetudo recepta, quod Religiosus celebrans primam Missam semper scientibus Prælatis, & tacentibus illam applicat pro quocumque vult, viuo, vel mortuo. Ante professionem prædictus Bartholomeus testamentum fecit, in quo prædictum legatum relictum sibi à matre spirituali legauit, ac reliquit matri carnali ipsius profitentis, non faciens mentionem sororis, quam testatrix substituerat in testamento si ipse Clericus non foret: imò sororem substitutam à testatrice excluſit.

Quæsitum fuit an prædictum testamentum validum fuerit, non impleta conditione, quod ipse Clericus sæcularis non fuerit; & viso quod sororem substitutam à testatrice excluserit.

1 Pro parte negatiua, quod testamentum fuerit nullum, nec potuerit legatum matri relinquere, arguitur primo: quia conditio testatricis in testamento apposita non fuit impleta, videlicet vt sit Clericus: hic verò iam non est Clericus, nec potest esse Clericus in significatione propria, & communi, qua Clericum solum dicimus Clericum sæcularem: verba autem testatoris sunt accipienda in significatione propria, & visitata, non translatitia, vt Doctores communiter dicunt: aliàs darentur mille inconuenientia; constat autem intentionem testatricis fuisse vt puer esset Clericus sæcularis, non Religiosus, nam legatum illi reliquit pro patrimonio ad ordines recipiendos: iam verò Religiosi non indigent patrimonio ad ordines recipiendos, vt constat

constat. Non impleta vero conditione, & intentione testatoris, legatarius non assequitur legatum, vt patet ex l. *in condition. ff. de condit. & demonstrat.* Et cap. *cum esses, de testam.* Secundò probatur, quia iste professus nunquam habuit possessionem istius legati, cum esset filiusfamilias: ergo non poterat dare per testamentum illud quod non possederat, Et confirmatur, quia hoc legatum huic puero factum est peculium aduentitium vt patet: at filiusfamilias non potest testari de peculio aduentitio, vt Doctores communiter docent, Sylvest. *ver.* peculium 1. *quæst.* 3. & Lessius *tom. de Iust. lib.* 2. *c.* 4. *dubio* 3. *num.* 11. probatur tertiò, quod non potuerit de illo testari: nam testatrix Mater spiritualis substituit illi sororem suam tanquam legatariam, vt legatum caperet in casu, quod ille Clericus non esset, & ideo cum ille Clericus non fuerit, nec esse possit, no potest priuare sororem substitutam in testamento contra expressam voluntatem testatricis. Quartò probatur, quia dato quod esset verus Clericus sæcularis non poterat donare, vel alienare prædictum legatum sibi relictum pro dote, & patrimonio ad ordines recipiendos, prohibente hoc expressè Concil. Tridentin. *sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.*

2 His non obstantibus credo prædictum Bartholomæum per ingressum, & professionem Religionis non amisisse legatum prædictum, ac proinde de illo potuisse disponere per testamentum. Pro cuius confirmatione, suppono huiusmodi legatum factum huic puero Bartholomæo, non fuisse conditionale purè loquendo, nec relictum sub conditione: quia in illo testatrix non fuit vsa verbo sonante conditionem, quale esset si diceret in legato: relinquo sub conditione, vel relinquo dummodo sit Clericus, & similia: sed fuit legatum modale:

dale : relictum sub hoc verbo, *vt*, videlicet vt sit Clericus, vel vt ordines recipiat. Et hoc modo explicant omnes Doctores legatum conditionale, vel modale: maximè Sylvest. *ver.* conditio *q.* 2. Et Reginald. *tom.* 1. *sua Sum lib.* 25. *n.* 55. *&* 56. & iuxta Sylvest. & Reginaldum citatis locis, modus adiectus contractui non suspendit contractum, etiamsi modus non impleatur : sed statim res donata sub modo debetur, statimque peti potest. Idem tenet Vega Minimus *in Sum. Morali maioris impressionis, verb.* Mandas, *casu* 5. pro quo citat ibi vnam legem iuris ciuilis, Medinam, Armillam, Sylvestr. Tabienam, & dicit esse communem Doctorum. Quod non habet legatum conditionale, quia non acquiritur si conditio non impletur. Sed pro hoc vide amplius *in casu* 3. *sequenti, n.* 3. *& seq.*

3 Secundo suppono esse communem opinionem Iuristarum vtriusque iuris, quod legatum relictum certæ personæ sub conditione si nupserit, liberos suscepcrit, & similibus, quæ se non compatiuntur cum ingressu Religionis, habentur pro non adiectis, & illis conditionibus non obstantibus, legatarius ingrediens, & profitens Religionem acquirit tale legatum, sicut disponit textus expressus in Authent. *de sanct. Episcopis, col.* 9. vltra alios textus, qui conditi sunt quoad hoc, in fauorem Religionis. Videat ad hoc qui voluerit, inter alios fusè, & clarè Rodrig. *tom.* 2. *qq. q.* 127. *art.* 1. cum multis ibi citatis, & Ludouicum de Beja *in Resp. Moral. casu* 44. *à fol.* 34. *& casu* 66. *à fol.* 130. *pag.* 2. *& seqq.* Quod adeo verum est, vt licet testator in suo testamento dixerit; lego Ioanni mille aureos dummodo Religionem vllam non ingrediatur : tali conditione non obstante, Ioannes intrans Religionem acquirit legatum : quia iuxta citatam Authenticam talis conditio

ditio reiicitur in fauorem Religionis, eo quod impediat homines à prosequendo maiori bono. Tractat hoc punctum, & probat latè Comitolus *in suis Respons. moral. lib 7. q. 7. à num. 5.* & pro se citat Bartolum, Baldum, Ostiens. Ioan-Andr. Abbatem, Aretinum, Felinum, qui sunt præcipui Doctores vtriusque iuris, & multos alios.

4 Tertio suppono vt certum, quod Nouitius etiamsi habeat patrem, possit condere testamentum de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus; vel de legitima patris defuncti, vel matris defunctæ, sicut experientia quotidiana docet in Religionibus vbi professi etiam viuente patre, vel matre condunt validum testamentum de proximè dictis bonis, vel de similibus modo in sequentibus explicando.

5 Hoc posito probatur conclusio supraposita, quod scilicet iste professum legatum non amiserit, & quod de illo testari potuerit: nam legatum istud fuit modale, vt suprà ostendimus, & statim vt mater spiritualis est mortua, debebatur puero, illiusque statim dominium acquisiuit, cumque illius haberet dominium, & proprietatem tempore professionis, potuit de illo testari de licentia patris, vt clariùs dicam in solutione secundi argumenti: nec amisit legatum eo quod factus sit Monachus, vt patet ex dictis *in n. 3.* & clariùs constabit ex solutione primi argumenti. Et quoniam principalis probatio cõclusionis pendet ex dicendis in propositis argumentis soluendis, ideo propositam conclusionem non ampliùs confirmo.

6 Ad primum igitur argumentum respondeo primo, concesso antecedente, negando consequentiam: id est, concedo, vel suppono, quod professus faciens professionem, contradixit voluntati testatricis, vel illam

lam non implenit, dico quod hoc non obstante acquisiuit legatum, quia licet testatrix illud illi reliquisset cum clara conditione vt esset Clericus (quod non fecit, sed sub modo vt diximus *num.* 2.) profitens Religionem, legatum non amisit: quia quamuis voluntas testatoris implenda sit, non tamen est implenda quando legi contradicit, sed per legem debet regulari, vt patet in praxi quotidiana; quia lex potest in certis casibus coarctare, & assignare modum testandi. Cum igitur illa lex Authenticæ citatæ, & aliæ leges disponant quod legatum relictum certæ personæ acquiratur ab illa etiamsi Religionem ingrediatur, & etiamsi legatum non se compatiatur cum statu Religioso, sequitur, quod licet voluntas testatricis alia fuerit (sed non fuit vt dicam) adhuc iste professus legatum acquiret ex mandato, & dispositione legis: & quod possit lex, seu legislator hoc facere, arctare scilicet, vel limitare voluntatem testatoris pro bono communi, patet ex praxi, & in mille exemplis legum, disponentium, quod testamentum taliter, vel taliter factum, non valeat, idque pro bono communi, vt diximus. In hoc vero casu id cernitur: nam dicta lex decernens vt legatum repugnans Religioso statui, non perdatur per ingressum Religionis, attendit ad bonum commune, videlicet ne homines deterreantur, & reuocentur à vita Religiosa, quod est maius bonum, quam vita sæcularis: & proinde illa voluntas testatricis, si illam haberet, non est implenda, cum contrarietur prædictæ legi. Sic soluunt hoc argumentum Rodriguez, Comitolus, Beja, locis citatis. Addit Rodriguez, quod licet in hoc voluntas testatoris non impleatur, non fit illi iniuria, quia bonum commune præponderat bono particulari: fauor autem Religionis quem dicta lex intendit, præponde-

rat voluntati particulari illius teſtatricis, vt eſſet Clericus ſæcularis, cum melius ſit eſſe Clericum Religioſum, quàm eſſe Clericum ſæcularem.

7 Obiicis tamen contra hanc primam ſolutionem hoc modo. Illa lex facta eſt in fauorem Religionum, vt videlicet Religiones poſſent habere hæreditates, & legata, & vt hęc bona nō amitterent propter teſtamenta diſponentia contrariū, ſeu per modum quo homines deterrentur ab ingreſſu Religionis: ſed iſte profeſſus fuit in Ordine Fratrum Minorum, qui eſt in capax cuiuſcumque hæreditatis, vt patet: ergo in iſtius ingreſſu ſeu profeſſione, non habet locum Authentica citata. Ad hanc obiectionem reſpondeo, prædictam legem Authenticæ non fuiſſe factam ad illum fauorem, vt Religiones non amitterent bona ingredientium, ſeu vt Religiones poſſent habere hæreditates, & legata, qui finis terreſtris eſt, & tam pia lege indignus. Finis ergo prædictæ legis altior fuit, & ad bonum ſpirituale directus, vt videlicet homines non impedirentur à proſequendo ſtatu animæ perfectiori, qualis eſt Religioſus ſtatus: vnde directè eſt fauor perſonarum ingredi volentium Religionem pro ſaluatione animarum, ne onerentur per legatum conditionale impediens talem ingreſſum. Timor enim amittendi tale legatum habens conditionem impeditiuam Religionis intrandæ, deterreret legatarium à tali ingreſſu: & proinde lex illa ad bonum commune volentium intrare Religionem, annullauit omnes conditiones ſimiles appoſitas, & impeditiuas. Sic ſoluunt argumentum ſuprà citati Doctores, maximè Comitolus *cit. quæſt. num.* 7. Adde quod ingreſſus iſte in Ordinem Minorum non obſtat, licet Ordo ipſe ſit incapax hæreditatis adeundæ: poſſet enim iſte profeſſus illa incapacitate non

obſtante,

obstante, facere testamentum, & illud legatum sibi relictum, per testamentum etiam relinquere ipsi Conuentui Fratrum Minorum per modum eleemosynæ, cum talis eleemosynæ non sit incapax, vt satis patet ex cap. *Exijt, de verbor. signific. in 6.*

8 Secundò soluitur idem primum argumentum, dicendo, quod per professionem Monasticam illius professi, non fuit frustrata, vel impugnata intentio testatricis, vt iste esset Clericus, & pro ipsius anima diceret primam Missam: cum enim intentio testatricis fuerit, vt pro ipsius anima diceret primam Missam, hanc intentionem potest implere iste professus in ista Religione in qua debet esse Sacerdos, & in qua omnes Sacerdotes primam Missam dicunt pro quocumque voluerint, vt est res certissima: & præterea prædictam primam Missam dicet pro testatrice, in meliori statu cæteris paribus, videlicet in statu Religioso, qui cæteris paribus est status perfectior, quam status Sacerdotij sæcularis. Et potest tunc fieri argumentum à contrario sensu. Est axioma commune, quod cessante fine legis cessat lex, vt habetur in l. *adigere, ff. de iurepatr.* Ergo à contrario sensu impleto fine legis impletur lex: at finis istius testatricis fuit, vt Bartholomæus cui reliquit legatum, primam Missam pro ipsa celebraret: & hanc intentionem, seu finem potest etiam hodie implere in statu Religioso, vt patet: ergo per professionem Monasticam non contradixit intentioni testatricis, nec proinde ipsius legatum amisit. Et confirmatur, quia existens Religiosus, & Sacerdos in rigore loquendo factus est Clericus, etiam in vsu istius vocabuli *Clericus*, ex vi Regulæ S.P.N. Francisci, qui *c. 3. suæ Regulæ*, Religiosos choro inseruientes, vocat Clericos absolutè, dicens, Clerici faciant diuinum officium. Et in suo te-

ſtamento P. N. Franciſcus loquens de ſuo ſocio fratre Sacerdote, ait : ſemper volo habere Clericum, qui mihi faciat officium. Et Concil. Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.* Patres Religionis Societatis Ieſu, vocat Clericos Societatis Ieſu. Et adhuc confirmatur ex Panorm. ſuper cap. 1. *ne Clerici, vel Monachi num. 7.* vbi dicit, quod nomine Clerici intelliguntur etiam Monachi in fauorabilibus, non vero in odioſis. Vide etiam eundem Panorm. in cap. *de Monialibus, de ſentent. excomm. n. 2.* & materia iſtius legati eſt fauor, vt patet: ergo per Clericum poteſt, ac debet intelligi etiam Religioſus Sacerdos. Confirmatur etiam quod mens teſtatricis volentis primam Miſſam pro ſe dici, non ſit defraudata per profeſſionem iſtius qui primam Miſſam pro illa poteſt celebrare: confirmatur hoc inquam ex c. *intelligentia, de verb ſignific.* vbi dicitur: *Quod intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus.* Sic ibi. Vbi vides quod intelligentia cuiuſque dicti eſt coniicienda ex cauſis, ob quas illud fuit dictum: cum ergo iſtud legatum, vel verba quibus relictum fuit, fuerint dicta, & appoſita ob hanc cauſam, vt teſtatrix habet pro anima ſua primam Miſſam iſtius Sacerdotis, & hæc cauſa poſſit hodie impleri, & effectum ſortiri, dicendum omnino videtur, quod mens teſtatricis per iſtam profeſſionem fuit implera, non vero fraudata. Videantur etiam ad hoc, quæ dicit gloſſa ad citatum c. *intelligentia, verb.* ex cauſis.

9 Ad ſecundum argumentum dico quod licet iſte profeſſus nondum haberet actu dominium iſtius legati, vel actualem profeſſionem illius eo quod eſſet filiusfamilias, adhuc tamen poterat de illo teſtari, quia poteſt quis teſtari de re ad quam habet ius proximum,

&

& clarum, licet illius non habeat dominium, vt praxis quotidiana obseruat. Et tenet in terminis Lessius *tom. de iust. lib. 2. dubio 2 num. 11.* & praxis obseruat: multi enim testantur, & tanquam legatum relinquunt id quod Rex illis debet pro seruitiis Regi factis in nauigationibus, bellis, & similibus obsequiis: & illa quæ Rex pro seruitiis daturus est, nondum habent in dominio, vel possessione, sed solum habent ius ad illa, & de hoc iure testantur quotidie. Et filius moriens si habet ætatem requisitam, potest testari de legitima sibi relicta à matre defuncta, cuius tamē legitimæ non habebat dominium, vel possessionem, eo quod esset filiusfamilias. Et confirmatur exemplo in electionibus. Nam electus ad aliquod officium, vel beneficium, antequam confirmetur, non habet possessionem illius vt patet: sed solum habet ius ad rem, vt possit confirmationem petere, & pro illo litigare. Et tamen potest renunciare iuri quod habet ad tale beneficium, quæ renunciatio est quædam donatio. Secundò respondetur ad idem secundum argumentum, negando quod iste professus non habuerit dominium istius legati aduentitij, imò dico quod statim à morte testatricis habuit dominium istius legati, licet pater haberet vsumfructum, eo quo ille esset filiusfamilias. Et quod filiusfamilias statim acquirat dominium legati aduentitij viuente patre, tenent Sylvester *citato ver.* periculum, *quæst. 3.* & Azor *tom. 2. lib. 2. c. 22.* in periculo *col. 194.* & alij ab his citati, & est opinio communis.

10 Ad confirmationem istius secundi argumenti qua dicitur filiumfamilias non posse testari de peculio aduentitio, quale hoc fuit, omissis aliis solutionibus? Respondeo id intelligi, non posse de illo testari patre inuito, seu absque patris licentia: poterit autem si pater

licentiam concedat. At in hoc casu pater dedit licentiam, imò suasit filio vt sic testaretur in fauorem vxoris propriæ, & matris ipsius profitentis. Potuit autem Pater dare hanc licentiam filio renuncians iuri quod habebat ad vsumfructum, vel dominium talis legati. Vidi ego meis oculis huius rei exemplum in quadam Moniali meæ Prouinciæ, quæ ante professionem carens patre & matre, habénsque multa bona temporalia de quibus posset testari, habebat tamen quandam Auiam in Germania, quæ de iure futura erat hæres Nouitiæ, scripsit Nouitia ad Auiam petens licentiam liberè testandi. Auia misit illi renunciationem hæreditatis,& liberam licentiam testandi sigillo Imperatoris munitam; testata est Nouitia,& omnia bonæ suæ monasterio suo reliquit. Secundò respondetur ad eandem confirmationem, quod filius non potest testari de peculio aduentitio, quandiu est sub potestate patris, vt ait Lessius citatus in eodem argumento, *& lib eodem c.4.dubio 3.n.9. & 10.* at filius per ingressum Religionis,& per professionem liberatur à patria potestate, vt est communis Doctorum sententia, pro quo citat multa, & multos Sanchez 2. *tom. Decalog. lib.3. capit.5. num.29.*

11 Ad tertium argumentum dico, potuisse hunc professum testari de isto legato,non obstante quod testatrix substituit illi sororem, vt legatum caperet in casu quod non esset Clericus. Ad clausulam enim Clerici iam respondimus,non esse causam amittendi legatum. Quod vero attinet in particulari ad substitutionem factam in sorore: dico talem substitutionem non impedire. Probo primo ex verbis ipsius testatricis,quæ in testamento sic sororem substituit: *Si Bartholomæus mortuus fuerit antequam Missam dicat, capiet hoc legatum*

tum soror illius. At cōstat quod iste Bartholomæus nondum est mortuus, & adhuc debet Missam dicere: ergo illius soror non habet ius ad tale legatum. Secundo dico, quod illa substitutio sororis euanuit, & extincta est per ingressum Religionis, & professionem Fratris sui Bartholomæi. Est Auctor istius doctrinæ Nauarrus *lib. 3. consilior. tit. de testam consil. 9.* vbi ait, quod quidam iuuenis, quem quidam consanguineus hæredem instituit, & per illius mortem eidem substituit certas puellas, & prædictus iuuenis intrauit Religionem, & bona sua in professione tradidit Religioni: ait Nauarrus, quod per istam professionem, & donationem excluſit puellas substitutas. Et licet iste professus hoc legatum non dederit Religioni, dedit illud per testamentum validum, & pro causa pia: sicut enim si daret Religioni excluderet sororem substitutam, ita videtur quod illam potuerit excludere dans illud propriæ matri, quæ est causa valdè pia, maximè cum etiam in extinctione huius substitutionis per professum in Religione interueniat etiam fauor Religionis. Facit etiam omnino ad hoc quod tradit Rodriguez *tom. 2. qq. Reg. q. 77. art. 4.* in cuius articuli titulo inquirens an certa substitutio euanescat per ingressum Religionis, respondet *eodem art. 4. §. aut non constat*, dicens: quod si non constat de expressa mente testatoris, quod voluerit excludere monasterium, tunc euanescit substitutio: & ait cum Bartolo, quod leges videntur velle extinguere hanc substitutionem in fauorem Religionis, id est, in fauorem intrantium Religiones, ne scilicet deterriti eo quod viderent eorum bona deuentura ad substitutum si ipsi fierent Religiosi, desisterent ab ingressu Religionis, & impedirentur à vita contemplatiua, quæ est melior quam sæcularis actiua. Id vero quod ait Rodrig.

citat.§. Aut non constat,satis habet locum in hoc nostro casu : non enim constat de expressa mente testatricis , quod voluerit excludere Bartholomæum à capiendo legato, & disponendo de illo per professionem cum qua futurus erat Clericus , & Sacerdos primam Missam pro ipsa celebraturus in statu perfectiori , quam sit Clericus sæcularis. Facit denique quod Frater Ludouicus de Beja *part.1.Responſ. Moral. caſu 36. quæſt...* Vtrum duos,seu legatum relictum alicui si nupserit,&c.à *fol.130.part.2.& ſeqq.* absolutè,& sine distinctione , ait substitutiones omnes , seu conditiones omnes, quæ præbent impedimentum maioris boni,vel retrahunt à vita contemplatiua eligenda,reprobari, & pro non adiectis haberi. Sic ille habet *cit loco.fol.131. concl.1.in princip.* Vbi citat l.*Titiæ ſi nupſerit,de condit. & demonſtr.appoſitis.* vbi legatum si non nupserit , habetur pro non adiecta conditione , & acquiritur legatum ab ingrediente Religionem, in fauorem Religionis, & multa alia congerit vsque ad *fol.132.* ad hoc intentum. Inter quæ adducit l.*ſunt perſonæ.ff.de Relig.& ſumpt.funer.* & ca.fin *de ſentent. & re iud.* vbi dicitur, quod in dubio fauendum est Religioni ; & omnia quæ ibi dicit vsque ad finem illius quæstionis , citans multa, inseruiunt ad præsens intentum.

12 Ad quartum argumentum dico , quod licet hoc legatum relictum fuerit ad Ordines sacros suscipiendos , hoc tamen intentum non est sortitum effectum, quia non debet ordinari ad titulum illius patrimonij, sed ad titulum Religionis:& sic istud legatum est solutum ab illo vinculo ne possit alienari,maximè quia Bartholomæus effectus Religiosus Sacerdos habet aliunde vnde viuat,id est,ex titulo Religionis.Adde,quod si iste Barthomæus esset Clericus sæcularis sine ingres-

su

su Religionis, & aliàs haberet bona temporalia vnde commodè sustentaretur, posset alienare prædictum legatum ad cuius titulum fuit ordinatus. Probat hoc Barbosa *in suis remissionibus ad Tridentinum, citato c. 2. de reform. num. 21.* Et ratio clara ita dictat. Nam Tridentinum ea de causa prohibuit Clericis alienare patrimonium ad cuius titulum sunt ordinati, ne postea cogantur mendicare, vel misere viuere non habentes vnde viuant: ergo si habuerint sufficienter vnde viuant poterunt alienare, quia cessante fine legis, cessat lex. c. *cum cessante, de appellat.*

CASVS III.

De quadam donatione facta vni Conuentui de certa possessione immobili.

QVidam vir, & vxor nobilissimi habentes hortum paruulum, & certas domos humiles ad latus cuiusdam Conuentus D. P. Francisci, cum essent illius deuotissimi, & filios non haberent, & viderent in Conuentu non esse commodum locum pro curandis infirmis, moti pietate, ac deuotione, vterque simul vnanimes in capitulo eiusdem Conuentus (erat enim ante Concilium Trident.) præsentibus omnibus Fratribus, Notario publico, & licentia Regis, fecerunt ambo sequentem donationem Conuentui de prædicto horto, & domibus positis ad latus Conuentus: in qua donatione postquam dixerunt se hortum, & domos donare in perpetuum post ipsorum mortem: manente vsufructu in vita apud donatores, subduntur hæc verba in

donatione à Rege confirmata: *Et hoc cum tali intellectu & intentione, quod vbi primũ ille donator mortuus fuerit, claudẽtur portæ domorum patẽtes ad plateã publicam, & fiet in dictis domibus valetudinarium pro curandis Fratribus (vulgo enfermaria) ad consolationem Fratrum, eo quòd valetudinarium quod modo habent, sit angustum, & vt euitentur hospitalitates sæcularium in dictis domibus Conuẽtui vicinis.* Hactenus sunt verba donationis, cum aliis quæ fortè postea citabuntur. Mortuis ambobus donatoribus, Fratres sũpta possessione, portas domus versus plateam clauserunt, horto, ac domibus vsi sunt habentes possessionem horti, & domorum cum porta communi è conuentu ad illum hortum, ac domos, sicut hodie extat manifestum vestigium. Transacto aliquo tempore, Fratres non ædificarunt valetudinarium in prædictis domibus, vel propter penuriam pecuniæ, vel maioris obseruantiæ causa, & fecerunt valetudinarium in alio loco Conuentus antiqui remotiore à platea. Hæredes donatorum litem mouerunt Conuentui, dicentes donatas domos amisisse, eo quod conditionem non impleuerint à donatore appositam, vt videlicet ibi ædificaretur valetudinarium. Sententia lata est per iudicem sæcularem contra Fratres, illisque ademptus est hortus, ac domus donatæ. Conuentus semper gemuit, sed præ inopia causam statim non est prosecutus. Post annos tandem ferè sexaginta voluit recuperare hortum ac domos sibi donatas.

Quæruntur potissimum duo. Primo: an prædicti Fratres hortum, & domus amiserint eo quod valetudinarium in illis domibus non ædificauerint. Secundò, an post sexaginta annos à lata contra se sententia possint litem mouere pro restitutione in integrum sibi facienda. Et quoniam dicenda pro isto casu possunt iuuare

uare ad alia multa dubia quotidiana soluenda pro legatis, ac donationibus quæ fiunt Religiosis, non piguit laborem præsentem assumere.

1 Antequam respondeam ad principalia quæsita, præmitto, quod errauit iste Conuentus, & illius Fratres, si pro hac lite responderunt coram iudice sæculari, (sicut suspicor mihi dictum fuisse) si enim coram illo responderunt, errauerunt, quia in causa possessionis Conuentus, neque illi, neque Syndicus Conuentus Minorum poterat respondere, nisi coram suo conseruatore. Est expressa concessio Clementis VII. facta Fratribus Minoribus *in compendio, verbo* procurator, seu syndicus Minorum, §. vltimo, vbi Papa sic concedit syndico: *Non nisi coram iudicibus conseruatoribus domorum illarum, quarum ipsi Syndici, & Procuratores fuerint, de iustitia respondere teneantur.* Sic ibi. Idem postea concessit amplius Gregorius XIII. Patribus Societatis Iesu in Bulla illis concessa circa creationem conseruatoris, qui illos defendat, quam transcribit Rodrig. *in suo Bullario à fol.* 1148. *& seqq.* vbi multa illis circa hoc concedit, vt possint illos tueri in rebus possessis, iuribus, & similibus. Et præterea praxis est antiqua in omni tribunali, quod Actor sequi debet forum rei. Cum ergo Fratres in hac lite fuerint rei, & possessione spoliati, hæredes litem mouentes super possessorio, litem debebant mouere coram cõseruatore Ordinis, qui est iudex Apostolicus prædictorum Fratrum; non vero coram iudice sæculari. Quin addo, quod si coram iudice sæculari lis fuit agitata (sicut credo) erit causa principalis ad annullandam sententiam quouis tempore: quia sententia data à iudice incompetenti, nulla est: vt potest videri in toto titulo de foro competenti.

2 Quamuis ergo in casu præcedente aliqua dixeri-

mus

mus ſpectantia ad donationem conditionalem, vel modalem, ibi tamen in rigore agebatur de legato relicto per mortem, hic verò propriè agitur de donatione, quæ fuit fundamentum totum iſtius litigij. Et ideò paulo fuſius declarandum eſt quod ſit donatio modalis, & conditionalis. Et id quod dicam deſumpſit præcipuè ex Sylueſt. *ver.* conditio *quæſt.* 3. & Molina 2. *tract. de iuſt. diſp.* 208. Sanchez *lib.* 3 *de Matrim. diſp.* 33. Reginaldo *tom.* 2. *lib.* 25. *n.* 57. *& ſeqq.* & aliis.

3 Suppono ergo primo excitatis Doctoribus, quod contrahentes in ſuis contractibus, vel donationibus ad maiorem firmitatem, vel claritatem vtuntur præcipuè duobus verbis, vel clauſulis, vna vocatur conditio, & alia vocatur modus. Prima, quæ eſt conditio, in Latino idiomate, ſolet communiter exprimi per hæc verba. *Si, dummodo, ſub conditione*, vel per aliam æquiualentem vocem: v.g. *Cum, vbi primum, quandocumque.* Quod in noſtra lingua Luſitana fiet cum quis dixerit. *Dou, ou deixo à Pedro tal cauſa, ſe fizer tal: ou, com tanto que faça tal, ou com condiçaon que faça tal, ou quando fizer tal, ou, tanto que fizer tal, ou, como fizer tal.* Et iſta conditio appoſita donationi, vel contractui de ordinario taliter obligat, vt ſi conditio non interuenerit, non valet donatio legatum, vel contractus. Dixi dè ordinario, quia aliquando conditio non obligat, ſi videlicet eſt turpis, vel impoſſibilis, vt diſputatur in materia de Matrimonio. Hinc iam benè aduerte, quod in donatione ſuprapoſita in principio, de qua eſt quæſtio, nullum omnino verbum ponitur, quod ſonet conditionem aliquam. Secunda clauſula, ſeu particula, quæ ſolet apponi in donationibus, legatis, vel contractibus, dicitur, Modus, qui non eſt conditio contractus, ſed eſt modus quo debet fieri, vel ad quem debet fieri: & ſolet in Latino

tino ſermone explicari per hanc particulam, *Vt, Dum-modo*, pro *nam*. Quod Luſitanè ſic explicabitur, *Dou, ou deixo iſto à Pedro para o dar aos pobres, para os pobres, porque o dé aos pobres, ou darà aos pobres*. Et ſic iſte modus appoſitus cõtractui, vel donationi, non habet tantam vim ſicut conditio appoſita, de qua ſupra, neque ex illius defectu contractus, vel donatio annullatur. Et licet aliquando modus ſumatur pro conditione, id fit rariſſimè: & communiter ſtandum eſt diſtinctioni traditæ proximè in hoc *num. 3*. & hæc omnia tradunt fuſiùs Doctores ſuprà citati.

4 Secũdo præmitto ex Molina citat. diſp. §. vt autem, & ex Reginaldo citato loco, quod tribus modis poteſt donator, vel teſtator in donatione, vel in teſtamento, apponere clauſulam, vel particulam, quæ dicitur modus. Primus eſt dando conſilium, & inuitando: veluti ſi diceret; dono tibi librum, vt illum legas; hanc do pecuniam', vt bona opera cum illa facias, &c. In quibus duobus modis dat illi conſilium, vel motiuum, ſed non imponit obligationem. Secundus modus vtendi hac clauſula, eſt, quando cum modo iſto aſſignato, non ſolum illi dat conſilium, ſed imponit illi obligationem vt faciat cum conſilio: ſed non imponit illi pœnam, quod deficiente illo modo erit donatio nulla: ad hoc enim pœnam non imponit, nec verba æquiualentia pœnæ, quibus innuat velle ſe vt aliàs donatio, vel legatum non valeant. Tertius modus eſt, quando teſtator, vel donator, vtuntur verbo ſonante pœnam, vel imponunt onus tali modo, vt tali modo non interueniente, velit donationẽ, vel legatum non valere. Veluti ſi diceret: do centum Petro, vt ille det Franciſco, cui illa centum debeo. Tunc enim tenetur Petrus dare Franciſco, aliàs legatum, vel donatio non valerent: ita

vt

vt si non reddat Franciſco , illa debeat in conſcientia : nam ex verbis donantis clarè colligitur , voluiſſe, quod aliter donatio non valeret. Et ſic dicunt Doctores , quod ex verbis , & intentione dantis,vel teſtatoris , debet colligi quando modus obliget , vel vt conſilium tantum, vel vt onus tantum, ſed non ita vt perdatur legatum, vel donatio : vel denique ſi ita obliget modus,vt eo deficiente ſit legatum, vel donatio nulla. Et omnes dicunt,quod modus 1.& 2.modo explicatis, ſi non ſeruetur,non perditur legatum , vel res donata: ſed ſolum quando eſt modus tertio modo explicatus : Hoc ſuppoſito.

Sit Prima concluſio.

5 IN donatione ſupra poſita, de qua agitur , non interuenit conditio vlla appoſita,hæc patet clarè ex dictis in num.3.verba enim ibi poſita,*Cum intellectu,& intentione*, nullam conditionem apponunt , ſed ſolam intentionem declarant,quæ intentio non obligat : nec item vtitur aliquo verbo, per quod conditio ſolet apponi in contractibus,vel donationibus. Non enim dicit,cum conditione, dummodo:ſi fiat valetudinarium: vel vbi primum fuerit factum : vel quando fuerit factum,quæ ſunt verba quibus ſolet exprimi , vel apponi conditio in contractibus. Neque item ibi poſuit pœnam Conuentui ſecus facienti , ſicut viri prudentes facere ſolent(ſicut iſte donator erat Præſes ſupremi Tribunalis Iuſtitiæ Olyſiponenſis,) qui in legatis,& donationibus,quas faciunt ex deuotione,vt iſte fecit,circunſtantias omnes explicant ad validitatem neceſſarias. Et probatur clarè,nam in legibus,& contractibus verba ſunt accipienda in ſignificatione propria, vſitata

&

& communi, vt dicunt omnes Iuriſtæ, maximè gloſſa in cap. *Nonnulli*, *ver.* vltra. *de reſcript.* citans multos textus: & tradit Sanchez *lib. 6. de matrim. diſp. 23. num. 3.* Cum ergo donator in donatione dicat ſuum intellectum, & intentionem eſſe, vt fiat valetudinarium; per verba, *intellectum, & intentionem*, non appoſuit conditionem, ſed ſolum declarauit intentionem. Nam verbum, *intellectus, & intentio*, non ſignificant propriè, & communiter conditionem.

Secunda concluſio

6 IN toto rigore, verba prædictæ donationis ſolum continent modum, non conditionem donationis. Hæc clarè colligitur ex illis verbis eiuſdem donationis: *Cum intentione, quod vbi primum ille mortuus fuerit, fiat valetudinarium pro fratribus.* Nam iſta intentio declarata per illa verba, videtur tantum eſſe modus donationis, & velle ſe donare, vt fiat valetudinarium. Eſt enim modus de illis quos ſuprà *n.* 4. diximus fieri 1. & 2. modo, qui vel monent, vel conſulunt vt fiat aliquid, & non imponunt onus, vel obligationem vt res fiat ſub pœna annullationis legati, vel rei donatæ. Pro quo notat optimè Molina citata diſput. §. Habemus igitur, & Reginaldus, quod quando teſtator, donator, vel legiſlator non benè explicarunt clarè ſuam mentem in imponendo modo, id debet colligi ex aliis verbis donationis ad arbitrium boni viri. Et hoc ſuppoſito, dico primo ſatis clarè colligi non fuiſſe mentem donatoris iſtius imponere conditionem annullatiuam in illa donatione, ſiquidem in illa nihil aliud prætendit niſi obſequium Dei, & Fratrum conſolationem. Conſtat clarè ex principio, cum incipit facere

dona

donationē, ait enim: *Quod id faciat amore Dei, & propter fructū ſpiritualē, qui acquiritur donādo ſeruis Dei, propter Deum.* Et infrà in eadem donatione ait, vt fiat valetudinarium in ſuis domibus, eo quod ſint maiores, & capaciores pro conſolatione Fratrum, & vt poſt mortem ipſius ibi non habitent ſæculares, qui inquietent Conuentum. Vbi clarè vides principale ſuum intentum fuiſſe diuinum obſequium, animæ ſuæ vtilitatem, & Fratrum conſolationem. Et qui hoc ſolum intentum habebat, nullo modo poteſt credi, quod in tali donatione voluerit claſuram apponere, qua non impleta Fratres amitterent rem tam læto, deuoto, ac liberali animo donatam. Nedum etiam videtur habuiſſe intentionem imponendi obligationem Fratribus ſecundo modo ex tribus ſupradictis, eo quod tam deuotus erat Fratrum, & illorum conſolationem prætendebat, miſertus illorum inopiæ: nec vſus fuit verbis obligatoriis. Facit pro iſto dicto Mol. cap. *intelligentia, de verb. ſignific.* vbi dicitur quod intelligētia dictorum debet colligi ex cauſis. Et ibidem gloſſa *ver.* ex cauſis, dicit, quod debemus recurrere ad intentionem loquentis, &c. & in iſta donatione intentio donantis fuit deuota, liberalis, ſancta, non oneratiua, ſed conſolatiua, vt patet: ergo ad illius intentionem recurrendum eſſet, quando verba illius forent dubia.

7 Contra iſtam concluſionem obiicis ex verbis donationis iſtius proximè citatis in num. 6. præcedenti. Ibi enim donator circa domos donatas dixit in idiomate Luſitano, *Tanto que elle morrer.* quod Latinè ſonat, *vbi primum.* At nos in num. 3. diximus, inter verba ſignificantia conditionem in donationibus, hoc eſſe vnum, videlicet, *Vbi primum.* Ergo hæc donatio fuit conditionalis, & non modalis. Reſpondeo hoc non obſtare,

stare, quia illa particula, *vbi primum*, non respicit rem donatam, vel onus donationis: sed solum per illa verba voluit dicere, quod donatio non sortiretur effectum quamdiu ipse viueret: nolebat enim carere illis domibus in vita propter consolationem, ac deuotionem Fratrum, sed dixit suam mentem esse, vt donatio non sortiretur effectum nisi per mortem ipsius. Confirmator, & declaratur; nam donatio ista fuit donatio causa mortis, non inter viuos, vt patet ex citatis verbis donationis facientibus mentionem mortis. Cum ergo donatio domorum fuerit donatio causa mortis, verba illa: *Dono domum istam cum intētione quod vbi primùm mortuus fuero fiat valetudinarium.* Verba inquam ista hoc solum volunt: Dono istam domum vbi primum mortuus fuero. Non vero in illis verbis imposuit onus, conditionem, vel obligationem, vt fieret valetudinarium, vt satis constat ex iam dictis à *num.* 3. 4. 5. 6. & amplius patebit ex multis statim adducendis. Potest hoc amplius confirmari eleganti doctrina quam tradit Sarmiento *lib.* 2. *Selectarum*, *cap.* 3. *num.* 5. vbi dicit hæc verba posita in lege, *Ea Conditione vt*, Non facere conditionem, sed modum. Probat ex lege *quoniam. C. de rerum permut.* & ait quod eundem sensum faciunt, ac verbum hoc, *Dummodo:* quod non facit conditionem, sed modum. Regulariter loquendo Sarmientum sequitur Sanch. *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 33. *num.* 2. & citat Rebuff. Tiraquel. Mol. *de primogen.* optimè dicit, quod supra tetigimus, videlicet, quod omissio modi non vitiat actum, sed omissio conditionis. Si ergo hi tam graues Doctores dicunt ea verba *ea conditione vt*, non importare conditionem; à fortiori dicendum erit, quod in ista donatione, verba illa, *Vbi primum mortuus fuero fiat*, &c. non importabit conditionem, sed modum, vel

ſolam declarationem temporis mortis quo incipiat actus valere, ſiue donatio.

8 Reuertendo nunc ad probationem eiuſdem concluſionis, & explicationem eorumdem verborum; probo quod in proximè citatis verbis: *Cum intellectu, & intentione.* non eſt appoſita conditio obligans, & annullans. Probo, quia ex illis duobus verbis, verbum, *intentione*, in ſignificatione propria, ſolum ſignificat intentionem, & deſiderium, non vero obligationem, nec conditionem: cum ergo ſolum ſit dubium de alio verbo adiuncto. *Cum intellectu.* Hoc verbum dubium explicandum eſt per aliud verbum clarum, videlicet *intentione*: ſic docet Nauarrus *lib. 5. conſiliorum, tit. de apoſtaſia, conſil. vnico, num.* 11. vbi docet quod quando vna copulatiua habet duo verba, vnum dubium, aliud clarum, tunc verbum dubium copulatiuæ eſt explicandum per aliud verbum clarum eiuſdem. Et citat *l.* 1. *ff. de rebus dub.* & dat ibidem exemplum, Cum ergo copulatiua iſtius donationis; *dono cum intellectu, & intentione*, contineat verbum dubium. *cum intellectu.* & verbum clarum, *& intentione.* Et iſtud verbum ſecundum non importet conditionem obligantem, ſed ſolam intentionem, & deſidetium: eodem modo explicandum erit aliud verbum dubium eiuſdem copulatiuæ, vt non importet conditionem obligantem, ſed modum non obligantem. Viſo ergo quod donator ſolum habuerit intentionem, vt fieret valetudinarium, ſola hæc intentio non obligat donatarium, vt ſi implere omittat intentionem donantis, perdat legatam, vel rem donatam. Colligitur clarè ex c. *Quod præcipitur* 14. *q.* 1. Et tenet Merez citatus à Sanchez *lib.* 1. *de Matrimon. diſput.* 33. *n.* 28. Quod confirmatur exemplo obedientiæ ſubditi erga Prælatum: quantumcumque enim

ſubditus

subditus sciat intentionem Prælati esse vt talis res fiat: non tenetur subditus illam facere, donec Prælatus illum obliget præcepto iniuncto vt faciat, vt Doctores docent communiter. Et potest aliis multis exemplis comprobari: maximè illo quod Theologi docēt, quod finis præceptī non cadit sub præcepto, vt tradunt in particulari, quando tractant de obseruatione festorum, & in similibus exemplis, quæ omitto brevitatis gratia.

9 Et quamuis, ex hactenus dictis satis videatur probatum istam donationem non fuisse conditionalem, sed modalem, & proinde fratres non amisisse rem donatam propter omissionem modi, pro maiori dictorum confirmatione adduco sequentia ex Molina *citata disp.* 208. qui fuit ex grauioribus Scriptoribus huius temporis in re Theologica morali; citata ergo disputatione ad nostrum intentum dicit sequentia. Primum est, quod si testator, vel donator disponat de re aliqua, & dicat quod detur Petro, & postquam donata fuerit, imponit obligationem, vt certum quid faciat: in tali casu, licet apponantur verba quæ sonent conditionem ibi non datur conditio, sed modus. Et ratio est, quia conditio suspendit dispositionem, modus vero illam non suspendit: & ait Molina hanc esse communiorem opinionem: At donator in ista donatione præcipit, vt statim post mortem suam, hortus, & domus tradantur Fratribus; & postea dicit, quod fiat valetudinarium, & sic non interuenit conditio, sed modus, aduenies, vel appositus post iam factam traditionem. Cum quo concidit Sanchez *citata disput.* 33. *lib.* 3. *n.* 2. dicens, illa quæ apponuntur actui iam perfecto importare modum, non conditionem. Proximè dictum tradit Molina *citata disputat.* 5. iuxta discrimen, *& seqq.*

10 Secundum dictum Molinæ *citata disp.* 5. quando

autem, & duobus sequentibus ad nostrum intentum, est: quod legans, aut donans absque conditione, sed cum modo, si non apponit clausulam quod legatarius, vel donatarius contraueniens amittat rem donatam, in tali casu, licet donatarius non impleat promissum, non amittitur res donata. Et hoc clarius dicit §. Ad hunc etiam: & in speciali quando donatio est facta alicui Ecclesiæ: & ad hoc citat cap. *verum, de conditionibus appositis.* At in hoc casu facta est donatio Ecclesiæ Minorum, & donator non expressit irritam fore donationem deficiente modo in illa appositio: ergo licet defuerit modus, non est amissa res donata. Et hinc obiter soluitur alia obiectio, quæ posset fieri ex verbis istius donationis positis in fine: vbi post donationem factam, subiicit. *Et placuit Fratribus fieri valetudinarium in assignatis domibus.* Quæ verba videntur sonare quod præcesserit conditio petita ex parte donatoris, & promissionem ex parte Fratrum, fuisse acceptantium. Respondetur primo ex verbis Molinæ proximè citatis, cum dicit, etiamsi non impleatur promissum, non perdi rem donatam, si non apponatur conditio protestatiua, quod aliàs res donata amittatur. Addo illam promissionem ex parte Fratrum non indicare quod præcesserit conditio petita, & protestatiua: quia sine tali conditione sæpè homines promittunt, & pacta faciunt. Et hæc promissio, si fuit promissio, non fuit obligans, sed solum politica, per quam fratres significarunt se acceptare libenter donationem, & rem donatam sibi esse valdè gratam: quod fieri potuit sine conditione præcedente.

11 Tertium dictum Molinæ in §. Quando tamen, est, quod quando modus appositus in donatione solum respicit vtilitatem donatarij, tunc non est petenda

cautio

cautio à donatario vel satisdatio, quod implebit modum: quia attendenda est pia affectio donantis ad donatarium. At constat ex citatis verbis in donatione positis, quod donator principaliter intendit obsequium Dei, & vtilitatem, & consolationem Fratrum: ergo licèt ibi verba essent dubia (quod non sunt) intentio donatoris de consolatione, & vtilitate Fratrum soluti est attendenda; nec credendum est intercueniſſe conditionem irritantem. Addit Mol. quod innenta negligentia ex parte donatarij circa implectionem modi, poterit iudex obligare donatarium, vt impleat modum. Non verò dicit quod poterit iudex priuare donatarium re donata, quia scilicet donator, tanto tali defectu donatarium non priuauit. In huius rei confirmationem facit omnino quod tradit Sylueſt *ver.* alienatio. *quæſt.* 20. vbi optimè ad totum hunc casum, tria dicit. Primum est, idem quod proximè dixi ex Molina, videlicet quod deficiente modo in donatione poterit iudex obligare ad obseruantiam modi: non vero reuocare. Secundò dicit, quod quando modus adiectus non fuit causa finalis contractus, non potest agi ad reuocationem, nisi sit dictum vt possit reuocare. Quo nihil clariùs dici potuit ad nostrum intentum. Nam modus adiectus huic donationi, vt fieret valetudinarium, non fuit causa finalis donationis: sed causa finalis fuit amor Dei, & vtilitas animæ donantis, vt clarè patet ex verbis donationis relatis *suprà in num.* 6. præterea donator non apposuit clausulam, vt deficiente modo, posset fieri reuocatio: ergo nullo modo potuit iudex prædictos Fratres priuare, seu spoliare re donata per istam donationem. Tertium quod ait Sylueſt. est, quod semper debet præsumi quod modus non sit causa finalis contractus: quia secundum Panorm. ibi citatum, donans Ecclesiæ sub

modo, videtur principaliter donasse propter Deum, & pro remedio suorum peccatorum: quo nihil clarius, & efficacius dici potuit ad intentum. Donator enim in hoc casu dedit expressè, & Ecclesiæ, & propter Deum, & pro salute animæ suæ, vt patet ex dictis *num.* 6. quæ tria dicta probat ibi Sylvest. ex multis legibus iuris ciuilis, quas ibi poteris videre.

12 Quartum quòd dicit Molina *citat. disp.* §. *vlt.* est, quod licet donator in donatione dicat, quod illud quod donat Ecclesiæ, si non impleatur modus, & finis ibi expressus, amittatur res donata; si tamen Ecclesia iam habuit possessionem talis rei acquisitam, & postea per negligentiam Prælati talis Ecclesiæ, modus à donatore designatus non fuit impletus, in tali casu Ecclesia non amittit rem donatam. Et ratio est, quia illa res donata iam erat acquisita Ecclesiæ: Prælatus autem, licet sua negligentia possit nocere Ecclesiæ in rebus acquirendis de futuro, non tamen potest illi nocere in rebus iam acquisitis, vt tenet glossa communiter recepta *in cap. vlt.* 16. *q.* 6. & ait Molina esse opinionem communem. At in hoc casu constat, quod iste Conuentus iam per aliquod tempus acquisierat possessionem horti ac domorum: nam hactenus hodie parta apparet clausa, per quam è Conuentu fratres intrabant, & exibant ad dictum hortum, & domos donatas: ergo quamuis per negligentiam Prælatorum ibi valetudinarium factum non fuerit, non debuit Conuentus spoliari re donata Ecclesiæ, quam iam possederat; maximè cum donatio non dicat, quod fratres priuentur horto, & domibus non facto valetudinario. Et pro hoc etiam seruit priuilegium Ioan. XXII. concessum fratribus montis Oliueti, quod citabimus infrà *num.* 17. per quod concedit, quod res Conuentuum malè alienatæ

natæ possint repeti per restitutionem in integrum.

13 Adhuc cum Molina volo coniungere dictum doctissimi Patris Lessij, qui *lib. 2. de iust. c. 18. dubitat. 16. num. 127.* ait, quod licet in donatione finis secundarius non impleatur, si tamen subest finis principalis ob quem donatio est facta, non est irrita donatio, nisi ex circunstantiis constet aliam fuisse mentem donatoris. Et nos iam supra ostendimus ex dictis *num. 6.* finem principalem istius donatoris fuisse amorem Dei, & salutem animæ: valetudinarium vero fuisse secundarium finem, seu modum: nec ex circunstantiis vllis colligi, fuisse mentem donatoris rem donatam auferri à fratribus modo illo non impleto. Tunc subdit Lessius hoc exemplum, dicens; vt si des monasterio centum aureos sub aliquo onere, est valida donatio, etiamsi monasterium onus non præstiterit; quia non censetur ille principalis finis donationis, sed salus animæ, ob quam monasterio videtur absolutè donatum, etsi cum onere: imò nec reuocari potest, nisi id additum sit in donatione, vel aliunde constet illam fuisse mentem donatoris. Hactenus ille. Idem tenet Ioannes Medina *C. de restit. quæst. 24.* & dicit Lessius colligi ex cap. *verum, de condit appositis.* Et per hæc manet conclusio probatissima ex rationibus, & auctoritate Doctorum Theologorum.

24 Vltimo adduco vnum tantum exemplum ex iure Canonico positum à glossa in cap *Non potest. de præben. & dignit. in 6.* vbi gloss. in *ver.* Retinere, ponit hunc casum. Dispensauit Papa cum quodam Clerico, vt haberet duo beneficia, & in concessione Papæ dicebatur: *Dummodo in beneficio in quo non residet, faciat Canonicè deseruire* (id est per Clericum à se substitutum.) Quærit glossa, si Clericus dispensatus, non posuit sub-

ſtitutum in illo beneficio, in quo non reſidet, an amiſerit beneficium ob non impletam conditionem? Reſpondet gloſſa quod non amiſit beneficium, & citat Innocentium, Hoſtienſem, Guillelm. & Compoſtellanum: & in margine gloſſæ citatur Ioann. Andr. pro eadem opinione. Cauſam aſſignat gloſſa, quia illic verbum, *Dummodo*, licet de ordinario æquipolleat verbo, *Si*, & ſignificet conditionem, hîc in materia fauorabili non ſignificat conditionem, ſed ſignificat admonitionem, vt faciat vel comminationem tantum. Et citat ibi vnum textum ciuilem, & alium iuris canonici. Quæ ambo quadrant optimè caſui noſtro, in quo, in primis materia donationis fuit fauorabilis, & ſatis pia. Et præterea donator non appoſuit donationi particulam, *Dummodo*.

15 Quinimo adhuc pro confirmatione prædictorum facit quod dictus donator in prædicta donatione iubet vt ſui ſucceſſores ſingulis annis ſoluant Conuentui certam menſuram, vel pondus ſacchari pro infirmis eiuſdem valetudinarij fabricandi, & prædictum ſaccharum, hodiéque ſoluitur prædicto Conuentui: cum tamen ſaccharum relictum eſſet acceſſorium primæ donationi domorum pro valetudinario, & tamen iudex deſtruxit principale non deſtructo acceſſorio. Et hodie ſolutio illius ſacchari pro valetudinario non facto, videtur proteſtari, quod non fuit obligatio fabricandi valetudinarij, ſub pœna amiſſionis rei donatæ: aliàs amiſſa re donata, amitteretur acceſſorium ſolutionis ſacchari.

***

Duæ dubitationes resultantes ex suprapositi casus resolutione,

16 SVpposito, quod in conscientia prædicta donatio, seu res donata non fuerit amissa, & proinde sententia lata contra Conuentum fuerit nulla, seu iniusta, & Conuentus non appellauit, & hæredes donatoris sexaginta quinque ab hinc annis possident prædictum hortum, ac domos; quæri potest, an prædictus Conuentus possit hodie post tot annos petere restitutionem rei, quæ transiuit in rem iudicatam? Et inprimis, quod hodie non possit ista Religio repetere prædictum hortum, ac domos, licet habeat priuilegium, quod contra ipsam non præscribatur, nisi spatio centum annorum (de quo statim dicetur) qui centum anni nondum præterierint; probari videtur clarè ex c. *suborta, de sentent. & re iudic.* Vbi Papa decernit valere sententiam latam contra priuilegium ostensum, vel non ostensum, si ab ea non fuit appellatum, vel supplicatum: sed ab hac sentētia non fuit appellatum, vt dicitur: ergo quantumcumque Religio habeat priuilegium, non poterit hodie petere, vt sententia retractetur. Secundo probatur ex cap. *inter monasterium.* proximè antecedente, eodem tit. Vbi Papa dicit, quod non debent lites instaurari propter noua instrumenta, & quod sibi imputent illa non ostendentes.

17 His non obstantibus, credo posse prædictum Conuentum hodie post dictos annos petere restitutionem, & retractationem prædictæ sententiæ. Ante probationem suppono primo, istum Conuentum esse Ordinis Minorum, qui gaudent sequentibus priuilegiis. Primum est concessum ab Eugenio IV. Patribus D. Pauli extra muros Romæ, per quod illis conceditur ne

contra illos, vel bona ipsorum possit præscribi, nisi per spatium centum annorum : citat Rodrig. *tom.3. qq.regul.q.35.art.2.* Secundum priuilegium est, quod concessit Ioannes XXII. Congregationi montis Oliueti, de quo Rodrig. *eod.tom.3.q.56.art.2.* dicens esse positum in compendio Cistercienſium, per quod Papa illis Religiosis concessit: *Quod si qua læsio in bonis, & vsibus monasteriorum ordinis, per quamuis cuiuscumque status, gradus, habitus, seu conditionis Ecclesiasticæ seu secularis, mundanæ, vel regularis personam, etiamsi culpa Monachorum, vel Prælatorũ facta fuerit, ipso iure rescinditur, neque opus est aliquam in integrum restitutionem à quoquam super eo impetrare: & hoc iustrahitur, ad præterita nondum decisa, præsentia, & futura.* Hactenus Papa. Tertium priuilegium est, quod bona omnia mobilia, & immobilia, domus Conuentus, ornamenta, libri, & similia existentia in Conuentibus fratrum Minorum, sunt immediatè bona Sedis Apostolicæ, & Papæ iurisdictioni, ac possessioni subiecta, vt patet expresse ex cap. *Exiit, de verb. signific. in 6.§.* Ad hæc cum fratres. Et constat ex Compendio Mendicantium, *ver.* Bona, *§.9. & seqq.* Neque obstat quod Ioannes XXII. abiecerit aliquo tempore à Sede Apostolica dominium immediatum supra bona Conuentuum fratrum Minorum: nam post ipsum Ioannem XXII. Alexander VI. in eodem Compendio, *ver.* Bona, *§.9.* confirmauit quod decretum erat citato cap. *Exiit.* & reassumpsit sub immediato dominio Sedis Apostolicæ omnia bona fratrum Minorum, dicens, illa ad dominium Sedis Apostolicæ pertinere. Quin & ipse Ioannes XXII. ante mortem, dictum suum retractauit, vt testator Collector compendij ad citat. *§.9.* Sunt itaque omnia bona Conuentuum fratrum Minorum ipsius Sedis Apostolicæ, illique

lique quoad dominium immediatè subiecta.

18 Quo posito probo, non obstante lata sententia contra Conuentum, & post tot annos, habere Conuentum restitutionem: probo primo, quia quoad præscriptionem, non fluxerunt centum anni, patet, & iuxta primum priuilegium Eugenij I V. citatum *num.* 17. necessarium est spatium centum annorum, vt contra prædictum Conuentum præscribatur. Et quod non obstet lata sententia, colligitur clarè ex capitulo *cum veniſſent, de in integrum reſtitutione.* vbi Papa iussit restitutionem fieri Ecclesiæ læsæ propter negligentiam procuratoris, qui non allegauit, monasterium illud per priuilegium pertinere ad ius, & proprietatem Sedis Apostolicæ. At per tertium priuilegium proximè citatum, Conuentus iste pertinet quoad sua bona immediatè ad proprietatem, & dominium Sedis Apostolicæ: ergo habebit restitutionem, non obstante lata sententia. Secundò idem probatur ex cap. *Auditis*, proximè sequenti eod. tit. vbi dicitur, quod si Ecclesia læsa defecit in probationibus, potest petere restitutionem in integrum, non obstante termino iuris exclusiuo. Idem habetur etiam ex toto ferè illo titulo *de in integrum reſtitutione.* maximè cap. *ex literis.* & cap. *coram Fœlicis.* Et denique ex capitulo ibi vltimo, vbi Papa dicit, quod propter nouas defensiones potest Ecclesiæ læsæ concedi beneficium restitutionis: quod autem monasterium, seu Ecclesia gaudeat priuilegio Minoris ad petendum beneficium restitutionis, habetur expressè in citato capitulo *Auditis. de in integrum reſtit.* paulo ante finem.

19 Ad primum argumentum in oppositum adductum ex c. *ſuborta*, dicendum est, quod licet ibi Papa dicat valere sententiam datam contra priuilegium non

ostensum

oſtenſum, tamen cum hoc ſtat, quod poterit habere remedium per reſtitutionem in integrum, ſicut ibi dicit gloſſa parua in margine, citans Gofr. & vnum textum iuris ciuilis, & alium iuris canonici. Quamuis ergo iſte Conuentus per priuilegium non haberet reſtitutionem, habet tamen illam per tot citata capita ex titulo *De reſtitutione in integrum*, quo beneficio reſtitutionis gaudet monaſterium, vt ſuprà diximus. Ad ſecundum ex cap. *Inter monaſterium*, dicendum ſimiliter, quod licet non poſſet Conuentus litem mouere ob noua inſtrumenta priuilegiorum, adhuc poſſet litem mouere ob læſionem claram datam petendo reſtitutionem in integrum per tot capitula citata: & quando hæc non ſufficerent, facilè eſſet impetrare nouum reſcriptum Papæ ad litem mouendam, allegando claram læſionem illatam bonis Conuentus, quæ ſunt immediatè ſubiecta ipſi Sedi Apoſtolicæ, vt iam ſuperius dictum eſt.

CASVS IV.

De electione cuiuſdam Prouincialis, quem præſes noluit confirmare.

IN quadam Religione congregato capitulo Prouinciali pro eligendo Prouinciali, antequam inciperent tractare de electione, præſes Capituli, iuxta legem dictæ Religionis, ſeparauit, & aſſumpſit tres ſcrutatores, illoſque iuramento exhibito obligauit, vt ſeruarent fidelitatem in votis numerandis, ac diſtribuendis, & vt ſeruarent ſecretum. Ingreſſi electionem, in primo ſcrutinio

scrutinio, fuit electus quidam pater per maiorem partem capituli, cum suffragiis sufficientibus, vt posset confirmari. Præses capituli, noluit publicare scrutinium, nec electum confirmare, ductus respectu, quem ille solus nouit. Imò dixit sine publicatione scrutinij, vt procederent ad secundum scrutinium. Facto secundo scrutinio data sunt suffragia alteri differenti à primo, de quo non constat quis fuerit, & an suffragia sufficientia habuerit. Denique, præcepit præses vt ad tertium scrutinium procederetur, quo facto suffragata est maior pars capituli alteri Religioso diuerso à primo, & istum vltimo electum confirmauit præses: & est hodie in possessione officij. Ille pater, qui primo fuerat verè electus, rem secreto cognoscens, statim appellauit ab electione, & grauamine sibi facto: & obtento recursu à superiore qui poterat appellationem acceptare, & dare licentiam ad prosequendam litem; mouit litem super iure quod habebat ad primam electionem: & erat res posita in tela iudicij, quando mihi proposita sunt dubia sequentia.

Primum, an illi tres patres, qui fuerunt scrutatores, si fuerint vocati ad dandum testimonium iuridicè, possint iurare veritatem rei, sicut gesta fuit, non obstante quod prius iurauerint scrutaturos se esse secretum.

Secundum, an dictus præses capituli posset secundum iura tacere suffragia primi, & secundi scrutinij, non publicando ipsum scrutinium, in quo primus saltem pater erat electus.

Tertium, an pater electus in primo scrutinio, & exclusus, hodie ius habeat ad prosequendam suam electionem, & petendam confirmationem officij ad quod ius acquisierat per primam electionem.

Quartum, si vltima electio, & confirmatio Prouin-

cialis

cialis hodie possidentis fuit valida excluso primo verè electo.

Quintum, si non obstante possessione vltimo electi, eiusque confirmatione, possit amoueri ab officio, & debeat confirmari primus verè electus. Casus est valdè difficilis, vt vides, maxime post possessionem adeptam. Pro tenuitate tamen ingenij mei, dicam quod sentio. Si verò dicta à me pro isto casu non inseruierint, poterunt prodesse ad alios similes casus electionum, quotidie in Religionibus contingentes.

Ad primum quæsitum

1 AD primum igitur quæsitum absque dubio dicendum est quod si tres illi scrutatores producti fuerint in testes, vt deponant de re gesta, possunt, ac debent iurare absque periurio quot suffragia data fuerint illi patri excluso in primo scrutinio: imò si necessarium fuerit, debent exprimere qualitates illorum, qui suffragati sunt; si ita necessarium fuerit ad bonum, & iustitiam supplicantis excluſi, vt quia conueniat sciri, an pro illo pars sanior fuerit suffragata. Probo primò ex cap. *cum dilectus, de electione*, vbi Papa circa querelam sibi factam de quodam Archidiacono electo in Episcopum, dicentibus electoribus se nescire quinam illi suffragia sufficientia dederint ad Episcopatum, iussit vt tres scrutatores scrutinij producantur in testes: & quod, si omnes tres, vel saltem duo iurassent, electum habuisse suffragia sufficientia, maneret confirmatus in Episcopatu. Vnde patet posse ac teneri scrutatores iurare de numero suffragantium pro quo suffragia data fuerint, idque non obstante secreto: iam enim in illo capite seruabatur forma capitis

capitis *quia propter, de elect.* in quo præcipitur vt tres scrutatores seruent secretum. Secundo probatur ex communi Doctorum opinione dicentium, quod iuramentum de seruando secreto non obligat cum præiudicio tertij. Sic tenet Sanch. 1. *tomo Decalog. lib. 3. cap.* 17. ad finem, vbi citat Godofr. Hostiensem, Ioannem Andr. Sylvest. Idem tenet Azor *tom. 1. lib. 11. c. 8. q. 6.* dicens esse communem, & ponit aliqua exempla. Sic etiam tenet Sà *in Aphor. ver. Iuramentum, num. 23.* at constat, quod in isto iuramento, de quo agitur, seruare secretum vergit in præiudicium tertij, videlicet illius patris primo electi, & exclusi: seruato enim ibi secreto, amittet ius ad rem, quod iam habet: ergo non tenentur ibi tres scrutatores seruare secretum: idque maximè verum est cum pro se non habeat alios testes nisi tres illos scrutatores. Tertiò, quia sic est diffinitum in cap *sicut nostris. de iureiuran.* vbi Papa decernit quod iuramentum in præiudicium communitatis, non valet: nec opus est vt sit in præiudicium semper communitatis, sed sufficit quod sit in præiudicium alicuius tertij particularis, sicut ait Azor citato loco, & Reginald. *tom. 2. lib. 18. num. 51.* & ad hoc intentum citatur etiam cap. *quanto, de iureiurand.* Quarto probo, quia hi tres scrutatores non iurarunt se tacituros circa numerum suffragantium in isto casu, quando agebatur præiudicium tertij, imò ratio dictabat hunc casum esse excipiendum: quod confirmo ex forma iuramenti illis exhibita à præside ante primum scrutinium. obligauit enim illos ad seruandam fidelitatem quoad numeranda, & distribuenda suffragia: hoc ergo ad quod faciendum illos obligauit, hoc licitè iurare possunt. Secretum enim quod propriè iurarunt se seruaturos fuit, vt non dicerent fullanus dedit votum fullano: ex hoc enim

enim scandala oriri solent, sed non iurarunt se non dicturos quot suffragia data sunt fullano : imò iurarunt oppositum, videlicet se dicturos fideliter quot cuique patri data sint suffragia in quouis scrutinio : & hoc ipsum est quod ab illis hodie petitur, vt testificentur, quot suffragia data sint primo electo in primo scrutinio. Denique pro hoc videndus est Rodriguez *in ordine iudiciario, c. 7. concluſ.* 11. vbi citans multos, ait, quod si iudex iuridicè testem interroget de aliquo iam diffamato, tenetur iste testis dicere veritatem contra illum diffamatum, etiamsi ille antea iurauerit se illi semper fore secretum seruaturum : quia tunc seruando secretum lædit partem accusantem, quæ amittit ius suum per illam taciturnitatem. Idem tenet Delrio *lib. 5. Magiæ ſeſſ. 5. fol.* 318. ergo cum in hoc casu præses iam sit diffamatus de exclusione primi illius electi, & talis electus agat de sua læsione, tenentur tres scrutatores veritatem dicere, etiamsi iurassent præsidi, se nunquam dicturos quot suffragia data fuerint huic primo electo : quod tamen illi non iurarunt : imò ex vi iuramenti tenebantur primum scrutinium publicare, & dicere quot suffragia illi in eodem primo scrutinio data fuerint.

2 Circa id tamen quod dixi in principio istius numeri, debere etiam tres scrutatores, si opus fuerit, exprimere qualitates illorum, qui pro primo electo suffragia dederunt ; obiicis Concilium Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 6. de Regul.* vbi dicit, quod in Regularium electionibus dentur vota secreto, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur : ergo hi tres scrutatores non possunt reuelare qualitates eligentium in primo scrutinio. Respondeo primo, me non dixisse posse reuelari nomina eligentium, sed qualitates : &

hæ

hæ qualitates poterunt reuelari in communi dicendo, Sanior pars suffragata fuit pro illo, nomina interim reticendo. Secundo dico, quod si necessitas postulet, possent in hoc casu nomina eligentium reuelari, sine eo quod Concilio contradiceretur, & salua validitate electionis. Probo, quia Tridentinum ibi, eo fine iubet non publicari nomina eligentium, *quo omnia rectè, & sine fraude fiant*: ergo cum hic finis Tridentini esset in hoc casu, in quo electio prima ob fraudem non fuit publicata, & ibi non sit rectè factum, iuxta Canones, cessante hoc fine Tridentini, cessat illius dispositio, vt nomina non publicentur: imò oportet vt publicentur, quo omnia rectè, & sine fraude fiant: quia publicando nomina, lites, & discordiæ inter Religiosos ortæ cessabunt. Et dispositio Concilij intelligitur quando electio pacificè fit, & sine fraude. Et in consequentia noto, quod licet præses capituli, post factum primum scrutinium, iuberet ne tres illi scrutatores vnquam reuelarent, quot suffragia data fuerint illi primo patri excluso, adhuc prædicti scrutatores non tenentur seruare secretum, sed tenerentur dicere veritatem, quia vrgent omnia dicta in n. 1. videlicet quia est præiudicium tertij, cum omnibus ibidem dictis.

Ad secundum quæsitum.

3 AD secundum quæsitum dico, prædictum Præsidem non potuisse tacere suffragia data in primo scrutinio prædicto patri in illo electo, nec poterat procedere ad aliud scrutinium, vel electionem, sed tenebatur scrutinium, & electionem publicare, & prædictum sic electum confirmare, si alias non erat indignus. Constat hoc clarè ex cap. *quia propter. de elect.*

vbi datur forma eſſentialis procedendi in electione, vbi Papa iubet, ſcrutatores recupientes vota, *Illa in ſcriptis redacta mox publicēt in communi*,& ibid. gloſſ. *verb.*Mox,ait, *Innocentinenti nullo actu contrario intermedio.*Et ibidem gloſſa,*verbo*,Sanior,ait,quod publicari ſtatim ſcrutinium eſt de eſſentia electionis.Cum ergo ſit hoc ius commune, & nullibi reuocatum, prædictus præſes violauit clarè ius commune, non publicando ſtatim primum ſcrutinium, imò interponendo actum contrarium,videlicet ſecundum,& tertium ſcrutinium, per quæ contrariauit primæ electioni. Secundò,ſi præſes non publicauit primum ſcrutinium, ex eo quia credidit electum in illo eſſe indignum,& proinde electio non valeret: dato quod eſſet indignus,non potuit præſes illum non auditum excludere in ſilentio: ſed debebat ſcrutinium publicare, & tunc contra electum formare proceſſum, inquirens iuridicè de culpis illius, ob quas illum excludebat, & reputabat indignum. Probatur, quia eſt de iure naturali diuino,& humano, vt nemo condemnetur, niſi prius audiatur, & conuincatur: at excludere aliquem ab officio ad quod eſt electus, eſt illum condemnare in re grauiſſima: ergo non poterit ab illo excludi,niſi prius culpæ probentur, & audiatur.Et citatum capitulum *quia propter*, quando iubet vt ſcrutinium ſtatim publicetur, non excipit, nec diſtinguit, dummodo per illud ſcrutinium dignus eligatur: ſed abſolutè, & ſine diſtinctione iubet, vt ſcrutinium ſtatim publicetur; quando vero lex non diſtinguit, neque nos debemus diſtinguere,vt habetur in l.*Non diſtinguemus ff.de Recept.qui arbit.*& 2.*quæſt.* 5.*c.Conſuluiſti.* Si vero in electione contingat eligi indignum, tunc prouidit Eccleſia vt præſes antequam confirmet electum, faciat ſummariam inquiſitionem

de

de vita,& ſufficientia electi,vt conſtet, ſi eſt indignus, vel dignus, in quo Eccleſia ſatis innuit quod nullus electus poſſit excludi ab officio in ſilentio antequam iuridicè probetur indignus. Textus ergo principalis qui iubet,vt præſes ante confirmationem faciat inquiſitionem de vita, & ſufficientia electi, eſt capitulum, *nihil eſt,de elect.* cum aliis textibus ibidē citatis à gloſſa *verbo*,examinet,per quod ſatis conſtat velle Papam, vt electio ſtatim publicetur, ſiue eligatur dignus, ſiue indignus: illaque publicata præſes examinet an electus ſit indignus: non vero vt excludat illum in ſecreto, illum non audiendo vt ſe defendat: alias daretur occaſio, vt nullus præſes confirmaret niſi illum amicum quem vellet: nam electis aliis non amicis, poſſet dicere ſcrutatoribus: Iſte electus non eſt dignus: non publicemus ſcrutinium, procedatur ad aliud:quod eſſet maximum inconueniens, & boni communis detrimentum. Tertiò facio contra hunc præſidem hoc argumentum. Si excludit illum patrem in ſilentio eo quod eſſet indignus: ergo non potuit facere vltimam tertiam electionem iſtius, qui non poſſidet cum iſtis eiſdem electoribus qui elegerant indignum in primo ſcrutinio:nam ipſo facto quod elegerunt indignum in primo ſcrutinio, iam manſerunt priuati iure eligendi pro illa vice, vt expreſsè definitur in cap. *cum Vintonien. de elect.* vbi eligentes indignum priuantur iure eligendi pro illa vice, & proinde electio vltima facta per hos eoſdem electores priuatos iure eligendi fuit nulla, vtpotè facta ab electoribus inhabilibus. Adde quod non eſt credibile quod primus pater electus in primo ſcrutinio,fuerit notoriè indignus,ſi quidem fuit electus à maiore parte capituli in concordia: & cum non eſſet notoriè indignus,neceſſe habuit præſes pro-

bare ſummar è ſuam indignitatem, vt capitulo ſatisfaceret, & faceret quod Canones ſuprà citati præcipiunt. Quartò, ſi iſte pater primo electus erat quidem dignus, ſed minus dignus alio, qui ibidem dabatur dignior; neque tunc præſes poterat illum excludere eo quod eſſet minus dignus, nam præſes electionis tenetur confirmare electum, quem ſcit eſſe minus dignum aliis, dummodò aliàs non ſit indignus, ſed dignus. Tenet expreſsè Couar. *in Regula* peccatum, & Azor *tom. 2. cap 15. q. 2.* dicens eſſe communem, & citans Imol. Francum, qui addunt quid particulare pro hac opinione, quod omitto breuitatis gratia. Et confirmo, quia ſi præſes poſſet excludere, & non confirmare aliàs dignum electum, ſed minus dignum; pateret porta infinitis litibus, ac diſcordiis in probationibus quis eſſet magis dignus, vel minus dignus, quas probationes, & lites praxis electionum non admittit.

4 Probatur quinto quod id non potuerit facere præſes iſtius electionis, nam Epiſcopus tenetur admittere præſentatum ſibi à patrono habentem ius præſentandi, niſi Epiſcopus ſciat, & probet, præſentatum eſſe indignum: & in hoc caſu patroni non ſufficit quod Epiſcopus dicat illum eſſe indignum, ſed debet id probare, maximè ſi patronus inſtet vt admittat: habetur hoc cap. *Artaldus*, 8 *quæſt.* 3. & 9. *quæſt* 3. cap. *Nunc vero*. Quod à fortiori locum habebit in noſtro caſu, vbi totum capitulum præſentauit Præſidi patrem primo electum tanquam dignum, quod capitulum tantorum patrum præſumitur rectius, & ſanctius eligere, & præſentare, quam præſentet vnus tantum patronus ſæcularis: ergo prædictus præſes non potuit ſuo tantum arbitrio reiicere hunc patrem in primo ſcrutinio electum, & præſentatum, credens quod eſſet indignus, vel minus

nus dignus : sed id prius debuit probare, & publicare. Vltimo, vltra alias probationes, quæ possent adduci, videantur Rodriguez *tom.2.qq Regul.quæst.*51 *art.*12. per totum, vbi cum multis Doctoribus, & textibus,& rationibus probat efficaciter, quod præses vnius electionis,licet habeat mandatum Regis, non potest iubere in publico ne dent suffragia pro fullano, vel fullano, nisi prius prædicti fullani exclusi fuerint vocati, auditi,& convicti de culpis sufficientibus,ob quas mereantur priuari voce passiua, quam habent in illa electione. Ad quod intentum tria dicit. Primum est, quod vocandi sunt prius illi excluſi, vt respondeant culpis, propter quas illos excludunt. Secundum est,quod capitulares non tenentur obedire censuris positis à præside contra ordinem iuris proxime positum, de citando prius illo,qui debet excludi. Tertium est,quod electio facta non prius auditis patribus exclusis, est electio nulla, vel saltem esse annullandam tamquam inualidam, si hoc petatur ab interesse habentibus. Vltimo per consequens dicit,quod si capitulares (cessante scandalo) neglecto illo mandato sic indebire excludente prædictos patres, legitime congregati eligant vnum ex illis exclusis absque ordine posito, erat electio valida : iam enim vocati sunt canonice, & habent ius eligendi, & eligunt alias secundum formam iuris, illa vero prohibitio, eligatur fullanus, est contra formam iuris. Addit Rodriguez, quod etiam si commissio Papalis huic præsidi concederet, vt suo arbitrio priuaret Religiosos, quos iudicaret priuandos, talis commissio intelligi debet seruato ordine iuris, id est citata, & audita parte. Pro quo citat l. *si quando, Cod. de inoffic testam* & alia. Ex quibus omnibus clarè constat prædictum Præsidem non potuisse excludere prædictum

patrem in primo scrutinio electum, antequam illum citaret, & audiret ad obiecta respondentem.

Ad Tertium

5 AD tertium dico, quod iste pater in primo scrutino electus, sed excluſus, si habuit pro se, vt dicitur, maiorem partem suffragiorum habet ius ad prosequendam suam electionem, & petendam collationem officij sibi adempti. Probo, quia electus canonicè ante suam confirmationem ex vi solius electionis habet ius ad rem, vt patet: at ius ad rem dat actionem, & ius petendi in iudicio id quod sibi debetur ratione iuris ad rem. Plenus est titulus de electione, & in decretalibus, & in 6. mille exemplis ibi positis multorum prosequentium appellationum ad Papam eo quod dicebant habere se ius ad tale officium propter suffragia sibi in electionibus collata, vel in materia beneficiorum circa quæ dicebant se ius habere: & quia res notissima est, & quotidie practicata, vnam vel alteram tantum probationem adducam. Quod ergo electus ante confirmationem ex vi solius electionis habeat ius ad rem, ad petendam collationem officij, probatur per extrauagantem communem, quæ incipit *Sedes Apostolica*, vbi ait Papa, quod qui expectat beneficium, habet ius ad rem: & hoc ergo à fortiori dicendum erit de illo, qui est canonicè electus ad beneficium. Est etiam communis opinio Doctorum, maximè Azorij *tom. 2. lib. 6. c. 14.* Et probatur ex definitione actionis: nam secundùm Doctores communiter teste Comitulo *tract. de contract. in genere 2. part. c. 27. num. 7.* Actio est potestas obtinendi ab altero quod de iure debet, quocumque iure illud debeatur: & sic actio,

actio, seu ius agendi in iudicio, fundatur in obligatione, quam alius habet, vt mihi aliquid det. Electus ergo ante confirmationem habet actionem in iure, siue potestatem petendi in iudicio, quod sibi debetur ex titulo electionis canonicæ, quia ibi iam datur obligatio ex parte præsidis, vt illis confirmet aliàs idoneum, ex vi iustitiæ distributiuæ. Et confirmatur, quia ius canonicum aliquando concedit electo, vt ante confirmationem administret aliquas res Ecclesiæ, vt patet in cap. *indemnitatibus, de elect. in* 6. §. verum si. & cap. *Nihil est, de elect.* quod benè probat electum ante confirmationem habere iam ius ad rem, si quidem illi conceditur administratio aliqua quasi possessori.

Ad quartum.

6 AD quartum dubium dico, quod vltima electio vltimi patris, quia hodie est in possessione officij Prouincialatus, fuit electio nulla ipso facto, vel saltem annullanda per iudicem superiorem, si constiterit quod electus in primo scrutinio, & excluſus habuit maiorem partem capituli pro se suffragantis. Probo primo, quia in vltima electione non est seruata forma capituli, *quia propter, de elect.* in quo assignatur forma essentialis seruanda in electionibus. Quod vero in vltima hac electione non fuerit seruata forma in illo cap. tradita, patet primo, quia non fuit publicatum primum scrutinium, sicut ibi textus mandat; imò processum fuit ad actum contrarium, id est ad secundam, & tertiam electionem contrarias primæ. Secundò, quia vltima electio, fuit facta non cassata prima electione, id est, non iudicata prima pro nulla, cuius oppositum ibi Papa decernit. Tertiò, quia ibi Papa postquam di-

xit quod mox publicentur vota, subiungit: vt illi, qui secus fecerint, priuentur ea vice potestate eligendi. Vnde colligitur, quod vbi primum scrutinium non fuit publicatum, contra illum textum, electores, vel saltem scrutatores isti erant priuati, vel priuandi suffragio pro illa vice, & sic vltima electio videtur nulla, vel annullanda. Adde quod post primam electionem canonice factam, non potuit procedi ad aliam, nisi prius prima electio declaretur nulla, vt statim dicam. Et præterea Suarez *in tom. de Legibus, lib. 5. n. 31.* & 32. tenet cum opinione communi, quod quando in actu non seruatur forma essentialis à iure assignata, actus non valet, vt multis ibidem probat: at forma tradita in illo capite *quia propter*, & in hoc casu non seruata, est forma essentialis electionum, vt in citato capite ait glossa *verb.* Sanior: ergo ista vltima electio fuit nulla ob tot defectus contra citatam formam essentialem electionum in dicto cap. *quia propter*. Secundò principaliter probo nullitatem vltimæ electionis, argumento iam supra tacto: nam si præses istum patrem primo electum excluſit tanquam indignum, iam isti electores erant inhabiles ad eligendum in vltima electione, eo quod eligentes indignum in prima, priuati sunt suffragio, iuxta citatum capitulum *cum Vintonienſis*. & proinde vltima electio facta est per inhabiles ad eligendum, & ex consequenti est nulla, vel annullanda. Tertiò, quia in vltima electione in qua fuit electus pater, qui hodie est in possessione, defuit consensus liber electorum: at electio sine consensu libero electorum, est nulla, vt patet; ergo vltima electio fuit nulla. Minor, & consequentia patent. Probatur maior, quod scilicet in tertia electione defuerit consensus liber electorum, idque ex duobus principiis.

Primum

Primum est, quoniam in tertia electione interuenit dolus vt patet, & simul interuenit error: dolus quidem ex parte Præsidis, qui non publicando primum scrutinium voluit intelligi non esse factam electionem, in quo datus est dolus ipsius, & scrutatorum: interuenit etiam error ex parte electorum, qui crediderunt non esse factam validam, vt mox dicam. Et prius probo clarè interuenisse dolum, quia dolus definitur esse executionem solertiæ, dicendo, vel faciendo aliquid, vt aliquis decipiatur. Sic definit Reginaldus ex Doctoribus communiter, *tom.2.lib.25. num.117.* quod in isto casu contigit: nam Præses, & scrutatores facto primo scrutinio, eoque non publicato, significarunt electionem non esse factam, quo electores possent procedere ad secundam electionem, & proinde dolo decepti sunt. Quod vero consensus dolo extortus nullus sit, est communis sententia Doctorum, maximè D. Thomæ *1.2.q.6.art.8.* de quo Sanchez *1.lib.de matrim. disp. 64. num.9.* citans multos textus, & Doctores. Dolus autem in hoc casu fuit antecedens, & dedit causam vltimæ electioni: nam si electores scirent esse iam factam validam electionem in primo scrutinio, nullo modo procederent ad tertium: ergo in vltima electione interuenit dolus tollens liberum consensum; & proinde fuit nulla. Quod vero etiam intercesserit error in tertia electione, probo, quia error datur quando quis putat vnum pro alio, vt habetur in Extrauag. *quia quorumdam*, Ioan. XXII. *de verb.significat.paulo post initium*, cum glossa ibidem, *verb.* Errauisse. Hi autem electores in vltima electione cogitauerunt vnum pro alio, videlicet putauerunt non esse factam validam electionem in primo scrutinio, cum tamen valide facta esset, & aliter se habebat quam quod illi putabant: cr-

go interuenit error ex parte electorum causatus à Præside, & scrutatoribus: & Doctores communiter dicunt, quod error causatur à dolo. Quod autem error tollat consensum liberum, quando dolus, & error est antecedens, & dat causam actui, est communis opinio, quam recitat Sanchez *lib.7.de Matrim.disp.18.num.4.* & aliorum, qui agunt de impedimento erroris dimittente matrimonium. Et probatur, quia errans non consentit, *ff de iudiciis, l.* Consensisse. *Et de iurisdict. omnium iud. l.* si per errorem, & per alia quæ citat glossa in Extrauag. *quia nonnũquam. de verb. signific.* Ioan. XXII. & in *dict. l.* Si per errorem, dicitur, quod habens errorem, non habet potestatem liberam, vt liberè dicatur agere. At electores isti in vltima electione nesciebant benè esse electum hunc patrem in primo scrutinio: ergo non habuerunt liberam potestatem vt liberè agerent, vel vt liberè eligerent. Vide etiam glossam in c. *statutum de præbend. & dignit. in 6. ver.* Numerandum, vbi ad hoc congruè loquitur. Adde exemplum communiter receptum, quod faciens professionem cum impedimento annullatiuo professionis, si impedimetum ignorat, & postea illud sciens non profitetur denuo, non valet professio, vt omnes fatentur, idque ex defectu consensus liberi nati ab errore. Et possent alia exempla tradi.

7 Probatur tertio principaliter, quod vltima electio fuerit nulla: nam vltima electio fuit facta post primam, non cassata eadem prima electione, sed talis electio in iure non valet, debet enim prius iudicari de prima, quam procedatur ad secundam, debétque cassari prima per iudicem cum prolatione sententiæ, cap. *cum Vintonienſis, de elect.* & gloss. in Extrauag. commun. *de offic. delegati*, cap. *Sedes Apostolica, ver.* Executores, *in medio*

dio gloss. vbi dicitur, quod quando prima electio fuit nulla, & causa nullitatis est notoria, tunc posset fieri secunda electio non cassata prima, videlicet per sententiam. Et citat ad hoc cap. *Auditis, de elect.* Ergo à contrario sensu, cum iste pater primo electus, & excluſus, non esset notoriè indignus, illius electio non erat notoriè nulla, ac proinde illius electione non cassata per sententiam, non potuit procedi ad aliam electionem, quia electores non poterant recedere à primo electo sine iusta causa, quæ hîc data non fuit. Facit pro hoc etiam cap. *in causis, de elect.* & cap. *inter canonicos.* & alia quæ citat gloss. in cap. *cum non ignores, de præbend. & dignit. ver.* consenserint. & *ver.* Cum res esset integra: vbi dicit quod capitulum non poterat reuocare consensum datum in vna electione: & citat ad hoc *Regul. iuris in 6.* dicentem: quod semel placuit, amplius displicere non potest. Cum ergo prima electio de patre excluſo non fuerit nulla, vt supponimus, neque cassata per sententiam, sequitur, quod vltima electio facta post primam non valuit: & hoc maximè cum iste pater excluſus statim appellauerit cognito errore, & ante confirmationem vltimi. Nam electio facta post appellationem non valet, vt passim dicitur in iure: tum quia impedito, qualis est ignorans, non currit tempus, & iuxta textus suprà citatos, is qui nescit, non habet potestatem liberam agendi, vt inter alios tradit Sanchez *lib. 7. de Matrim. disput. 37. à num.* 19. cum multis aliis quæ ibi citat, & tradit ad præsens intentum.

8 Secunda pars istius conclusionis, quod scilicet si ista electio non est ipso iure nulla, est saltem annullanda per iudicem, est de mente Rodrig. *suprà citat. art.* 12. §. Ad tertiam. vbi ait quod electio facta excluſi illo

modo

modo à nobis suprà explicato, est annullanda à iudice, & in hoc casu currit eadem omnino ratio. Secundò probo à simili: nam si vnus elector contemptus, & non vocatus ad electionem, potest illam facere annullari, ex eo tantum, quia sine culpa priuatus est voce actiua, vt habetur cap. *In Genesi, de elect. ad fin.* & glossa cap. *quia propter, de elect.* à fortiori poterit hic pater primo electus, & excluſus, & contemptus agere, vt electio vltima annulletur, cum sibi sit ademptum ius ad rem ex suffragiis sibi datis à maiori parte capituli, & sit priuatus hoc iure sine aliqua culpa sibi obiecta: maius enim ius habuit iste pater ad officium sibi iniustè denegatum, quam habet simplex elector, vt vocetur ad electionem. Et probatur adhuc ex cap. *Dilectus, de electione*, vbi quidam electus iam confirmatus, iubetur ab officio deiici si inueniatur defectum interceſſiſſe in electione: & iubetur electio annullari inuento tali defectu, quod scilicet non habuerit suffragia sufficientia in electione: at multò maior videtur ratio, vt electio ista vltima irritetur, si constet quod primo electus habuit suffragia sufficientia, & quod datus sit dolus, & error in vltima electione: & quod non sit publicatum primum scrutinium, quæ sunt nullitates claræ contra tot textus suprà citatos.

Ad quintum dubium

9 AD quintum dubium, dico, quod officium Prouincialatus debet restitui illi patri, qui primo fuit electus, & excluſus, si habuit pro se in primo scrutinio suffragia maioris partis capituli. Hæc satis probata manent supradictis: si enim in vltima electione non est seruatus ordo iuris: si item defuit consensus

sensus electorum propter dolum, & errorem; si factum præiudicium patri primo electo, & excluso habenti ius ad rem, & ille appellauit, & denuo instat prosequendo ius suum, vrgent hæc omnia, vt ostensa nullitate vltimæ electionis restituatur primo electo id quod sibi contra ius ademptum est. Neque obstat quod vltimus electus habeat iam possessionem, vt illa non debeat spoliari: non obstat, quia iniusta possessio non est possessio, vt habetur 14 *quæst.* 5. cap. *quid dicam.* Vbi in fine dicitur, *Omne quod malè possidetur, alienum est.* At vero pater vltimo electus malè possidet, ob tot prædicta, ac proinde possidet alienum, & proinde restituendum. Adde quod ista possessio non fuit pacifica, si quidem statim appellatum fuit ante illam, vel statim post illam. Vide quod Doctores tradunt de possessore malæ fidei, quæ applicari possunt ad hunc casum. Secundò principaliter probatur ex multis exemplis contentis in iure canonico, titulo *de electione, in decretalibus, & in 6.* vbi Papa iubet aliquos deiici ab officio iam obtento per confirmationem superioris, idque ob defectum præcedentem in assecutione illius officij. Sufficiat tria capitula iuris ad hoc citare. Primum est capitulum *quod sicut, de elect.* Vbi Papa iubet auferri officium à iam confirmato per superiorem, si præcessit defectus. Secundum sit, capitulum *cum dilectus, de elect. citatum. num.* 8. proximè præcedente. Tertium sit capitulum *cum inter canonicos, de elect.* in quibus omnibus electio iam confirmata retractari præcipitur, cum confirmati iam essent in quasi possessione, dummodo probaretur quod præcesserit causa nullitatis sufficiens ad illam annullandam. Cum ergo in hoc casu tot causæ nullitatem inducentes visæ, & probatæ sint, videtur quod possit, ac debeat vltima electio declarari nulla: eaque

sic

sic declarata, & iniusto possessore amoto, restituendus sit primo electus, cui iniustè officium debitum fuit ademptum.

CASVS V.

De quadam præcedentia inter duos graues Religiosos.

ANtequam hunc casum proponam, & propter alios similes de eadem materia infrà proponendos pro sæcularium hæc fortè legentium monitione præmitto, non debere sæculares scandalizari, si viderint Religiosos agere lites super præcedentiis quoad locum, honorem, & similia. Non enim hoc est signum, vel nota ambitionis, si rectè, ac debitè prærendatur, cum omnes Religiones pro remuneratione obsequiorum, senectutis, literaturæ, & similibus assignare soleant certis patribus certa loca, præeminentias, & honores. Habent in hoc fundamentum sumptum ex D. Paulo, qui ad Rom. 12. cõsuluit, *Honore inuicem præuenientes.* Et Ecclesia Catholica in celebratione Conciliorum habet designata loca, & assignatum ordinem, iuxta quem Cardinales, Episcopi, & Abbates sedere debent, iuxta suas qualitates, & antiquitates, vt in particulari deciditur *in Capitul. vlt.* 17. *distinct.* & cap. *Episcoporum*, 74. *dist.* & plura Zerola 1. *p. suæ praxis Eccl. ver.* Concilium, §. Ad quartum. *& 2. part. eiusd. praxis. ver.* Sedere. Et alij Doctores multa dicunt collecta ex iure: & praxis Ecclesiæ obseruat quod in pictura Cœnæ Domini Nostri Iesu Christi ab vno latere immediatè

diatè Christi ponitur D. Petrus, ab altero D. Ioannes Euangelista, vt digniores. Deinde alij suo ordine, vltimo Iudas.

Hoc posito, in quadam Religione in celebratione Capituli, quidam Religiosus grauis habens merita vt posset esse Prouincialis (vocemus hunc claritatis gratia Petrum) certo respectu ductus, cessit iuri quod habebat, vt pro illo in illo Capitulo suffragia darentur, vnde resultauit magna pax, & quies Capituli. Præses Capituli renunciationem, vel cessionem talem nimium æstimans, & gratificare volens, huic Petro statim concessit certum priuilegium, quod vocatur in illo Ordine, Patris prouinciæ, quod priuilegium habet præcedentiam quoad locum, & alia: & istud priuilegium habent etiam in illo Ordine Patres illi, qui fuerunt Prouinciales: hac lege, vt illi Patres Prouinciæ inter se ipsos seruent etiam, & habeant hanc præcedentiam iuxta suam antiquitatem à die qua fuerunt electi in Prouinciales. In eodem Capitulo Prouinciali electus est Ioannes in Prouincialem, quo officio expleto post tres annos, mansit cum priuilegio Patris Prouinciæ, sicut cæteri. Petrus qui fuerat factus Pater Prouinciæ ex priuilegio, confirmauit illud per Collectorem Apostolicum istius Regni, per quod illi concessit, vt prædicto priuilegio gauderet in omnibus, & per omnia sicut cæteri Patres qui fuerunt veri Prouinciales. Expleto triennio prouincialatus Ioannis, Petrus allegauit quod deberet in loco, & cæteris præeminentiis præcedere Ioannem, eo quod Pater Prouinciæ factus, & declaratus fuerit de consensu Capituli antequam Ioannes eligeretur in Prouincialem, & sic esset Pater Prouinciæ antiquior Ioanne.

1 Quæsitum fuit an prædictus Petrus factus Pater Prouin

Prouinciæ per priuilegium Prælati Ordinis, & postea confirmatum per Collectorem Apostolicum Regni, ac denique confirmatum postea per Romanum Pontificem, debeat præcedere in loco, & cæteris ipsi Ioanni, qui fuit reuera Prouincialis, & prouincialatu expleto, manet Pater Prouinciæ. Et declaratur, quod licet prædictus Petrus fuerit nominatus, & acceptatus vt Pater Prouinciæ tempore quo cessit prætentioni prouincialatus, nihilominus non statim ibi fuit confirmatus in hoc priuilegio, sed fuit confirmatus in illo aliquot post dies, postquam Ioannes est electus, & confirmatus in officio Prouincialis.

2 Pro responsione præmitto primo, necessarium fuisse mihi ostendi formam confirmationis Nuncij, & Papæ, qua illi Petro confirmarunt priuilegium datum à Prælato Ordinis vt esset Pater Prouinciæ; quæ quoniam mihi ostensa non est, dicam quod sentio ex confirmatione communi, & ordinaria, & habendo respectum ad legem Pontificiam vnde manauit priuilegium Patris Prouinciæ in eadem Religione.

3 Præmitto secundo, quod Dominus Papa Paulus V. per Bullam propriam citatam in statutis generalibus Ordinis Minorum conditis in Capitulo generali Toletano anno 1606. concessit Papa, vt Patres, qui in Ordine P.N. Francisci functi fuerunt officio Prouincialis, essent perpetui diffinitores, & haberent votum decisiuum, & consultiuum in omnibus Capitulis, & congregationibus suæ Prouinciæ. Excipit tamen Papa in illa Bulla quod Patres qui per Prælatos Ordinis haberent priuilegium vt essent Patres Prouinciæ, non haberent tale votum in diffinitorio sicut diffinitores; sed solum illis valeret dictum priuilegium quoad locum, & præcedentiam. Secundò excipit ibi Papa, quod

qui

qui fuerint Priuinciales in alia prouincia aliena, & finito officio redierint ad suam prouinciam, ibi non habeant votum in diffinitorio, nec sint diffinitores, sed sosum habeant locum quoad præcedentiam, & habeant vltimum locum inter illos qui fuerunt Prouinciales in eadem prouincia. Et antequã hoc dicat de Patribus, qui fuerunt Prouinciales in alia prouincia, dicit Papa: *Et hoc ipsum, quod scilicet facti Patres prouinciæ per priuilegium, solum habeant præcedentiæ priuilegium*, &c. Et declaratur, quod quando Nuncius, & Papa confirmarunt Petro priuilegium Patris prouinciæ, addiderunt vt tali priuilegio gauderet, non solum quoad locum, & honorem, sed etiam quoad dandum suffragium in diffinitorio, ac si, verus antea fuisset Prouincialis.

4 His positis, videtur quòd Ioannes finito officio Prouincialis, in priuilegio Patris prouinciæ, debet præcedere Petrum. Primo, quia est antiquior, nam in hoc Ordine, vt dictum est, Patres prouinciæ se inuicem præcedunt, habito respectu ad diem suæ electionis in Prouincialem, ita vt qui prior fuit Prouincialis, præcedat alium Patrem prouinciæ, qui postea functus est eodem officio: & hoc est consonum decreto capitis vltimi citati 17. dist. vbi dicitur quod conciliares sedeant secundùm tempus ordinationis suæ: at Ioannes priùs fuit electus Prouincialis, quam Petrus: imò Petrus nunquam fuit Prouincialis: ergo non debet præcedere Ioannem antiquiorem in prouincialatu. Neque obstat quod Petrus priùs fuerit nominatus, & acceptatus Pater prouinciæ à Capitulo, quam Ioannes eligeretur Prouincialis: nam confirmatio Ioannis in illo priuilegio per Papam, vt haberet etiam suffragium, ac si fuisset Prouincialis; hæc inquam confirmatio facta est multo tempore postquam Ioannes fuit

electus Prouincialis : priuilegium vero illud Petri non obtinuuit robur, nisi à die quo fuit confirmatum, & adauctum à Summ. Pontifice : ad eum modum, quo electus ad aliquod officium, vel beneficium, non gaudet priuilegio præcedentiæ illi officio annexæ, quoad vsque in illo confirmetur, & illud possideat. Secundò, quia mens Papæ confirmantis debet explicari, & aptari intentioni Papæ Pauli V. qui primo concessit hoc priuilegium isti ordini : at Paulus V. in citata Bulla dicit, quod Patres qui per priuilegium Superiorum facti fuerunt Patres Prouinciæ solum id habent quoad honorem ; & secundum morem Prouinciæ hi nunquam præcesserunt illos, qui fuerunt veri Prouinciales : & præterea ibidem Papa iubet, vt qui verè fuit Prouincialis in alia prouincia, rediens ad suam sedeat in vltimo loco Patrum prouinciæ: ergo non erit mens Papæ confirmantis, quod Petrus qui nunquam fuit Prouincialis præcedat in loco Ioannem, qui prius vere fuit Prouincialis, quam ille foret confirmatus Pater prouinciæ. Et quod priuilegium non valeat quoad præcedentiam nisi à die confirmationis priuilegij, probatur exemplo Ordinis Minorum, & Prædicatorum: constat enim quod Pater noster Franciscus prius adiuit Papam pro Ordine suo approbando, priusque approbationem Ordinis obtinuit oretenus quam B. Pater Dominicus: & tamen Ordo Prædicatorum in loco præcedit Ordinem Minorum, quia B. Dominicus prius obtinuit scripto confirmationem sui Ordinis, quam Pater Franciscus obtineret confirmationem sui : & sic inter illos duos Ordines computatur antiquitas à die confirmationis, non à die approbationis, vel acceptationis; & hoc quod dixi de his duobus Ordinibus constat ex historiis veris, & ab omnibus receptis.

5 Nihilo

5 Nihilominus sentio Petrum debere præcedere Ioannem, & Petrum anteponendum illi. Totum fundamentum meum est, quia in materia Patris prouinciæ Petrus est antiquior Ioanne: quamus enim Ioannes prius fuerit electus Prouincialis, quam Petrus esset confirmatus Pater prouinciæ, non valet consequentia, ergo Ioannes est antiquior Pater prouinciæ: aliud enim est esse Prouincialem, aliud esse Patrem prouinciæ. Nam Prouincialis dum est Prouincialis, non est Pater prouinciæ. Vis ergo istius argumenti in eo posita est, quod Petrus non gaudet priuilegio Patris prouinciæ ex eo quod fuerit Prouincialis, sed ex priuilegio Papæ, quod vocatur priuilegium adinstar, per quod Papa illi concessit priuilegium Patris prouinciæ ad instar Prouincialium præteritorum: quod priuilegium adinstar continet omnem fauorem, & gratiam formaliter contentam in priuilegio exemplari, vt ego dixi 1. *tom. Dubior. regul. ver.* priuilegium, *num.* 15. Vnde concluditur clarè, quod istud priuilegium Petri non est computandum à die quo fuit electus in Prouincialem, (cum talis non fuerit) sed est computandum à die quo Papa confirmauit, & dedit illi priuilegium ad instar Prouincialium. At constat quod Papa dedit illi hoc priuilegium ad instar, antequam Ioannes esset Pater prouinciæ: non enim fuit Ioannes Pater prouinciæ nisi finito prouincialatu, & ante finitum prouincialatum iam Petrus erat Pater Prouinciæ per priuilegium adinstar, & ex consequenti Petrus est antiquior in priuilegio Patris prouinciæ quam Ioannes. Et confirmatur, seu declaratur: nam si Petrus esset computandus Pater prouinciæ à die quo fuisset electus prouincialis, seu quod antiquitas illius priuilegij esset computanda à die quo fuit electus prouincialis, cum is talis nun-

quam fuerit, sequeretur quod nunquam is posset per illud priuilegium præcedere alios Patres prouinciæ futuros ; ac proinde illius priuilegiũ foret ferè inutile, quod non est admittendum. Hoc ergo est quod illi concessit Papa per priuilegium ad instar, vt à die confirmationis sui priuilegij, per quod gaudet honore, p ræcedentia, & suffragio, sit numeranda antiquitas sui priuilegij, cum tale priuilegium ortum sit à Papa, independenter ab officio prouincialatus præteriti.

6 Et per hæc non solum confirmatur nostra opinio, sed etiam soluuntur argumenta in contrarium adducta. Primum enim fundatur in praxi prouinciæ, vel ordinis per quam praxim Patres prouinciæ se præcedunt adinuicem, habito respectu à die, quo fuerunt electi prouinciales : ad hoc autem iam respondimus, antiquitatem priuilegij Petri non esse computandam à die qua fuit prouincialis, sed à die confirmationis prædicti priuilegij : potuit enim Papa hoc facere, & se ita velle facere facto declarauit. Et per hoc soluitur duplex probatio, seu exemplum in oppositum, quo dicebatur priuilegium præcedentiæ non valere, nisi à die confirmationis. Respondemus enim, quod illud sic factum est in hoc casu: nam Petrus prius obtinuit confirmationem sui priuilegij Patris Prouinciæ, quam Ioannes fuerit Pater prouinciæ : licet enim Ioannes priùs fuerit Prouincialis, non tamen fuit priùs Parer prouinciæ quam Petrus, vt clarè ostendimus. Ad secundum argumentum dicendum est, Papam confirmatorem huius priuilegij Petri, satis declarasse mentem suam cum dixit se concedere vt haberet priuilegium quoad honorem, præcedentiam, & suffragium, sicut si esset, ac fuerit Prouincialis illius prouinciæ. Cumque Papa id posset, (non enim ligatur Papa posterior legibus antecessoris)

cessoris) id Papa posterior declarauerit, & voluerit, cessat omnis coniectura posita in secundo argumento.

7 Obiicis Nauarrum *in tom. de consiliis, lib. 1. tit. de maiorit. & obedient. consil. vnico.* dicere, & probare, quod inter dignitates eiusdem Ordinis præcedit illa quæ est maioris loci: ponit exemplum Nauar. quia Cardinalis Presbyter præcedit Cardinalem Diaconum. Facit etiam quod tradit Riccius in suis *collectionibus Decisionum, tomo 2. decis.* 1446. vbi dicit ac probat, quod maioritas dignitatis præfertur prioritati temporis: & addit, quod constitutus in maiori dignitate etiamsi fuerit tempore posterior, præfertur primo. Cum ergo dignitates hæ Patris prouinciæ in Petro, & Ioanne sint eiusdem ordinis, vt patet; sequitur quod præferenda est ista dignitas in Ioanne, qui habuit maiorem locum, id est, officium Prouincialis, quod Petrus non habuit, quantumcumque Petrus priùs fuerit confirmatus Pater prouinciæ quàm Ioannes. Respondeo nihil facere contra nos dictum Nauarri, & Riccij: nam ambo innuunt clarè, inter duos habentes dignitatem eiusdem ordinis, præferendum esse illum qui actu, & in præsenti habet maiorem locum ratione alterius dignitatis actu annexæ. Quod clarè patet in exemplo Nauarri: nam Cardinalis Presbyter actu & in præsēti habet Presbyteratum, qui est altior, & maioris loci quam Diaconatus alterius Cardinalis. Idem dicit Riccius, cum ait constitutum in maiori dignitate actu, & de præsenti, præferendum esse illi, qui est prior tempore: at in nostro casu, Ioannes licet olim fuerit Prouincialis, & maioris loci, hodie tamen actu, ac de præsenti nihil habet maius, nihil ve maioris loci, vel dignitatis habet quam Petrus: si enim est Pater prouinciæ cum honore, præcedentia, & suffragio, idem omnino habet Petrus, &

æqualiter, per priuilegium adinstar ; cumque quoad hoc sint æquales, & aliàs Petrus sit antiquior in priuilegio Patris prouinciæ, præferendus erit Ioanni non habenti vltra Petrum aliquem maiorem locum de facto.

CASVS VI.

De alia præcedentia inter duos Religiosos.

IN ordine Patris nostri Francisci, maximè in prouinciis Hispaniæ, datur officium cuidam Religioso, qui dicitur Commissarius curiæ, cui incumbit in curia Regia, v.g. Olyssipone agere negotia quæ Religio, vel sua prouincia habet à Rege pendentia : dantur huic Religioso aliqua priuilegia in gratificationem sui laboris. Et præcipuè in curia Regia Madriti, vbi residet Rex, assistit principaliter Commissarius illius curiæ, pro cuius officio, & priuilegiis extat particulare statutum, de Commissario in curia Regia residente, de quo statim dicam. Dantur etiam in aliis Hispaniæ prouinciis lectores Theologi primarij, qui suis gaudent priuilegiis: sed ille Commissarius principalis curiæ, vbi residet persona Regis, gaudet maioribus priuilegiis, quam lectores Theologi primarij. Et prędictus Commissarius in curia Regis expedit, & tractat omnia negotia ordinis ad Regem pertinentia: cæteri vero Commissarij curiæ nationales, vt sic dicam, solum tractant negotia suæ prouinciæ à Rege pendentia, vt Olyssiponis, Hispalis, & similium.

2 Hoc posito, datur statutum apud Minoritas, sub hoc

hoc titulo. *De Commissario in curia Regis Catholici residente.* Et huic Commissario, de quo tractat ille titulus, multa disponens statutum sub eodem titulo, ad finem, sic illi Commissario concedit: *Vt dum actu munus suum exequuntur in suis prouinciis ad capitulum voce activa, & passiua gaudeant, habeántque consessum etiam in alijs prouinciis, immediatè post eos qui diffinitores fuerunt.* In quibus verbis eos præfert etiam lectoribus iubilatis, quia in sua prouincia habent locum sessionis post diffinito res. Quo supposito, cómissarij curiæ particulares, Vlyssiponenses, vel similes, vbi residet tribunal Regium, & forma palatij, prætendunt se proximè posito priuilegio gaudere, & sic in certa prouincia debere se præcedere lectores Theologiæ primarios. Quæritur an ita fieri debeat?

3 Et pro parte affirmatiua probatur, quod isti Commissarij curiæ particulares, & nationales gaudeant illo priuilegio, & proinde præcedere debeant lectores primarios Theologiæ. Probatur primo, quia in citatis proximè verbis statutum loquitur verbis generalibus, dicens, *conceditur Commissarijs curiæ*, in plurali scilicet. Cum ergo lex non distinguat, & verba sint generalia, & Commissarij curiæ particulares, vt Olyssiponenses, dicantur Commissarij curiæ simpliciter, & absolutè, & communiter; prædictum statutum complectitur etiam hos Commissarios curiæ nationales, & particulares, & proinde præcedunt lectores Theologos suæ prouinciæ, sicut ibidem illis conceditur. Et confirmatur, quia Reuerendissimus Pater Generalis in quodam Capitulo prouinciali, rogatus in suo cubiculo, vbinam sedere deberet Commissarius Curiæ particularis, & Olyssiponensis, respondit quod immediatè post lectores iubilatos, qui locus per eadem statuta assignatus est lecto-

ri primario : & sic Pater Generalis suo responso dixit præferendum esse Commissarium curiæ nationalem lectori Theologo primario, & sic pro tunc factum est. At declaratio legis facta à supremo Principe habet vim legis, quia Principis est suam legem declarare, *l. vltima, C. de leg.* Cum ergo per istam declarationem Commissarius iste curiæ locum habeat post lectores iubilatos immediatè, clarè præfertur lectori primario, de quo est quæstio, qui per statutum locum habet post lectores iubilatos. Secundò probatur per consuetudinem, quæ facit legem : nam in aliquibus, vel aliqua prouincia, iste Commissarius curiæ sedet priori loco, quam lector primarius, vt suppono fieri in facto in prouincia principali huius Regni: & ex consequenti sic debet fieri in aliis prouinciis minoribus eiusdem Regni. Et confirmatur, quia in hac eadem prouincia, in qua est mota ista quæstio, ostenditur confessio scripta cuiusdam iubilati lectoris, in qua fidem facit, quod cum esset lector primarius Theologiæ, Commissarius curiæ sibi præferebatur, quoad locum per sex annos. Idem affirmant per aliud scriptum duo Commissarij curiæ præteriti immediatè antè, qui affirmant se quoad locum præcessisse lectores primarios Theologiæ in eodem Conuentu. Quæ omnia videntur facere consuetudinem præscriptam, vt Commissarius curiæ præcedat lectorem primarium Theologiæ. Tertiò probatur hoc ipsum, quia Commissarius curiæ in hac prouincia habet votum in Capitulo, quod non habet lector primarius Theologiæ : quod signum clarum est velle ordinem, vel prouinciam anteponere Commissarium curiæ quoad locum lectori Theologo primario: ac proinde Commissarius prædictus, sicut præcedit lectorem primarium Theologum in dando suffragio, sic illum

præcedet

præcedet in loci sessione,& aliis præeminentiis.

4 His omnibus non obstantibus,dico commissarium curię nationalem,& particularem in hoc regno,& prouincia, non esse præferendum in loco lectori primario non iubilato. Probo imprimis hoc argumento à partium enumeratione : nam per quinque titulos poterat Commissarius curiæ præcedere lectorem primarium. Primò,per statutum generale citatum. Secundo,per aliquod statutum particulare prouinciæ. Tertiò,per consuetudanem prouinciæ. Quartò,per concessionem patentem alicuius Prælati Generalis. Quintò,per aliquem textum iuris canonici ; neque vlla potest alia cogitari causa,vel titulus vnde possideat:sed ex nullo titulo horum quinque illi competit, vt præcedat lectorem primarium Theologiæ:ergo illi non debet pręponi. Probo conclusionem per singulas partes, ex quo manebit sufficienter impugnata contraria opinio.

5 Et imprimis quod ista præcedentia illi non competat per aliquod statutum generale : probo, quia statutum generale suprà citatum *num.*2. (neque est aliud ad rem clarius)non concedit prædictam præcedentiam nisi Commissario principali curiæ , qui residet Madriti,vbi residet persona Regis,non verò aliis Commissariis nationalibus. Probo hoc euidenter : primo ex titulo prefixo illi statuto,qui dicit sic, *De commissario curiæ in curia Regis Catholici residente*. Et sub hoc titulo procedit statutum loquens in singulari de illo qui residet in curia Regis Madriti : maximè §. 1. 2. & 3. Ergo de hoc tantum Commissario curiæ , vbi residet persona Regis,debet intelligi statutum quod habeat votum in Capitulo,& præcedentiam loci ante lectores etiam iubilatos. Probo consequentiam , quia vt ostendunt Iuristæ,contenta in vno textu,vel capitulo , intelligenda,

& regulanda sunt iuxta titulum, vel rubricam affixam illi capitulo; sic docet & probat Sanch. *lib.7.de matrim. disp.* 13.maximè *num.*4. vbi docet, quod vbi textus est dubius, rubrica, seu titulus probat qualiter sit intelligendus,& citat Euerardum,qui citat multa. At titulus istius statuti loquitur tantum in singulari de Commissario curiæ residente in curia vbi residet persona Regis: ergo contenta in hoc statuto solum competunt illi Commissario, qui residet in curia regis, & proinde non possunt applicari cæteris Commissariis curiæ particularibus residentibus in aliis tribunalibus vbi non residet persona Regis. Secundò probo euidenter, quia in eodem statuto §. penultimo conceditur prædicto Commissario residenti in curia Regis, vt possit socios duos habere, & sic de facto habet: & in §. vltimo illis conceditur quod habeant prædictam præcedentiam quoad locum ante electores iubilatos tam in sua prouincia, quam in alienis prouinciis dum ibi fuerint commorati; hæc autem duo, vt habeant duos socios,& vt in alienis etiam prouinciis ipsi præcedant lectores iubilatos nunquam concessum est, neque practicatum in Commissariis curiæ particularibus,& nationalibus: quod signum euidentissimum est, prædictum statutum non loqui de Commissariis curiæ particularibus residentibus extra curiam Madriti. Et quando daretur aliud statutum generale Ordinis circa hanc materiam, est reuocatum per eadem statuta generalia Segounensia, vt patet ex eisdem Segouiensibus in fine *tit. de constitut.* §.atque adeo.

6 Dices, quod illud priuilegium concessum Commissario curiæ Madriti debet communicari, & extendi ad Commissarios curiæ particulares, & nationales in quibus militat eadem ratio, & proinde in illis erit eadem

dem iuris disposítio, iuxta cap. *dudum.* 20. *de elect.* Respondeo, nullo modo esse licitum extendere hoc priuilegium ad alias personas propter similitudinem rationis: sic docet, & probat fusè Suar. *tom. de legibus, lib. 8. cap. 28. à num.* 11., vbi citat multos textus, & Doctores, dicens esse communem opinionem Iuristarum: Doctores vero ibi citati sunt Bartolus, Cardin. Bero. Bald. vbi alia dicit ad hoc spectantia, quod scilicet priuilegium non debet extendi ad similes personas propter identitatem rationis. Adde quod magna est diuersitas in Commissario curiæ Madriti, & alios nationales: hi enim personæ Regis non assistunt, nec tot negotiis fatigantur, vt debeant in priuilegio æquari illi residenti in curia Regis. Adde quod ista extensio priuilegij illius primi Commissarij ad alios Commissarios curiæ particulares, esset extensio facta cum præiudicio tertij, id est lectorum iubilatorum, quos Commissarij curiæ particulares per hanc extensionem debent antecedere, at extensio priuilegij cum præiudicio tertij nón est permittenda, cum neque princeps concedere soleat priuilegium cum præiudicio tertij, vt communis opinio testatur. Imò priuilegium concessum cum præiudicio tertij est restringendum, vt Doctores affirmant, maximè Suarez *cit. cap. 28. num.* 10.

7 Prædictus Commissarius curiæ istius prouinciæ non habet illam præcedentiam loci contra lectorem primarium, per aliquod statutum particulare prouinciæ, factum ritè in capitulo prouinciali per discretorium capitularium congregatorum, & confirmatum in Diffinitorio. Quod si est, illud ostendant. Non ergo Commissarius curiæ, de quo agitur, habet hanc præcedentiam contra primarium lectorem ex statuto, generali, vel Prouinciali.

8 Non

8 Nono habet hoc priuilegium ex consuetudine prouinciæ præscripta : nam vt infrà dicetur in solutione secundi argumenti contrarij, instrumenta, quæ pro parte contraria præsentat non probant dari de hoc consuetudinem præscriptam, sed solum dant testimonium à tempore paruo,& moderno, quod non sufficit ad faciendam consuetudinem præscriptam, vt infrà latius probatur. Imò probatur clarè consuetudo prouinciæ, vt lectores primarij Theologiæ præcedant in loco, & honore huiusmodi Commissarios curiæ,probatur hæc consuetudo per scripturam firmatam à Patre Prouinciali istius prouinciæ pro tunc existente,& duobus patribus,qui fuerunt Prouinciales, & tunc diffinitores erant:& quatuor diffinitoribus, qui omnes testimonium perhibent in hac prouincia fuisse semper consuetudinem, vt electores Thologi præcederent Commissarium curiæ: nullum verò testimonium,circa consuetudinem prouinciæ potest desiderari quod sit validius isti, in quo testificantur Prælatus actualis, & duo Prælati præteriti,& seniores,videlicet diffinitores prouinciæ.Testimonium verò quod in oppositum offertur, præterquam quod testificatur à paruo tempore versus hoc nostrum, est testimonium vnius, vel alterius tantum,non iuratum,non iuridicum, cui proinde standum non est, contradicente altero testimonio grauium Doctorum Patrum.

9 Quartò, non habet prædictus Commissarius curiæ hanc præcedentiam contra lectorem primarium ex aliqua concessione patenti alicuius Prælati Generalis: quod si habet,exhibeat, & respondebitur illi. Imò in prouincia est quidam pater, qui cum esset Prouincialis, scripto per epistolam consuluit Reuerend. P. Generalem de hac materia circa præcedẽtiam inter Commissa

missarium istum curiæ, & primarium lectorem Theologum, Cui Reuerendissimus respondit, vt in hac materia seruaretur consuetudo prouinciæ: neque aliud per scriptum voluit respondere.

10 Probo quinto, quod neque ius canonicum, neque ciuile faueant isti præcedentiæ Commissarij curię contra lectorem primarium: imò ostendo quod vtrumque ius, saltem indirectè illi resistat. Et imprimis probo consonantius esse iuri communi, quod lector Theologiæ primarius præcedat Commissarium curiæ, (non existente lege in oppositum, sicut non existit.) Probo inquam primo, quia in c. *cum dilectus, de elect.* innuente Papa quod digniores in Ecclesia debent præferri, glossa super verbo digniores, ait, quod dignioribus dignior locus debetur; citat cap. *illud* 8. *quæst.* 1. & explicans glossa, *qui sint digniores*, citat l. *Cod. de offic. Mag.* l. *Nemo*, in qua dicitur: *Quod is gradus cæteros antecedit, quem labor prolixior, vel stipendia meliora fecerint anteire.* Hæc sunt quæ decernit ius canonicum, & ciuile. Nunc videatur, & examinetur, quis in prouincia maiorem laborem sustineat, & meliora stipendia, seu obsequia Ordini exhibeat, an Commissarius curiæ, qui nullum laborem molestum patitur, vt experientia docet, & aliquibus emolumentis corporalibus fulcitur, vt experientia testatur: an verò lector Theologus, qui nocte & die lectioni, ac molesto studio incumbit, & caret omnibus illis commodis, quibus Commissarius curiæ abundat? Et quod attinet ad obsequia meliora præstita ab vtroque ratione materiæ, seu operis, cui vterque incumbit, lector Theologus tractat, & versat quotidie, & singulis horis sacram Scripturam, & Sanctorum Patrum lectionem, & similia, Commissarius curiæ occupatur in rerum temporalium negotiatione, quæ

quamuis

quamuis etiam sint necessariæ pro sustentatione corporum, excedit tamen officium lectoris ratione occupationis, ferè sicut officium Mariæ fuit antepositum officio Marthæ. Certè Pater noster Beatus Franciscus in suo testamento de Theologis sic mandauit: Et omnes Theologos, & qui ministrant nobis sanctissima verba diuina, debemus honorare, & venerari, sicut eos qui ministrant nobis spiritum & vitam. Sic ille. Si autem ille hanc venerationem exhibēdam censuit Theologis ordinariis, maiorem vtique censeret exhibendam Magistris Theologorum. Si vero idem Pater noster Franciscus rogaretur de officio Commissarij curiæ, non dubito fuisse responsurum nolle se vt tale esset in ordine officium, prout sua erat rerum temporalium abdicatio, & contemptus.

10 Ex duobus textibus hucusque explicatis colligitur, causam præcipuam ob quam principes possint ac debeant priuilegium aliquibus personis concedere, esse, si multum laborauerint, & Reipublicæ obsequia præstiterint; quæ causa mouit multos Summos Pontifices ad concedenda multa priuilegia Religionibus: qualis inter alios fuit Pius V. in ea sua Bulla, quæ incipit: *Etsi mendicantium*, in cuius procœmio præmittens causam ob quam Ordinibus mendicantium multa ibi priuilegia illis concedit, hanc esse ait. *Sedulum in Ecclesia Dei quotidie non cessant exhibere famulatum.* Cum ergo lector Theologus in Ecclesia Dei maiorem, ac meliorem famulatum exhibeat, videtur quod maiori priuilegio decorandus sit. Aliud motiuum adhuc occurrit vt lector Theologus magis honorandus sit, videlicet quia in Religione antiquius officium est lectoris Theologi, quam Commissarij curiæ; probatur ex hoc cap. *cum in tua, de consuetudine in 6.* vbi Papa ait in textu, quod

quod vacante aliqua præbenda, possint antiquiores Canonici illam eligere, & acceptare: vbi glossa *verb.* Antiquiores, ait quod isti antiquiores sunt non ætate, sed tempore quo in Ecclesia militauerint, & citat ibi glossa ad hoc alios textus. At constat quod in Religione antiquius officium est lector Theologus, quam Commissarius curiæ. Nam lectores Theologi à principio Ordinis cœperunt, vtpote Sanctus Antonius de Padua, D Bonauentura, & cæteri semper subsequentes: officium vero Commissarij curiæ nuper incœpit. Itaque iuxta ius Canonicum, & ciuile, lector Theologus habet pro se tria ista motiua, propter quæ præferri debeat, videlicet: habere officium magis honorabile, & plus laboriosum, & antiquius quam sit officium Commissarij curiæ.

11 Vltimo probo quod etiam per nostra statuta generalia lector Theologus præcedere debeat Commissarium curiæ quoad consessum, seu locum. Et primo videatur statutum generale Segouiense, in titulo *De præcedentia*, vbi assignantur loca sessionis, quæ quisque Religiosus habere debet in sua prouincia. Vbi postquam assignat locum Prouincialibus actualibus, & illis qui fuerunt Prouinciales, ac Diffinitores in §. *Deinde sedebit*. ait, quod post lectores iubilatos, sedebit primus lector sacræ Theologiæ, alij autem lectores, &c. Itaque iubet, vt post Diffinitores sedeant statim lectores iubilati, & hos proximè sequatur lector primarius Theologiæ: de Commissario autem curiæ, nec verbum facit, neque illi locum assignat in toto illo titulo *De præcedentia*: & benè nouerat capitulum generale esse multos Commissarios curiæ nationales in prouinciis Hispaniæ, & nulli eorum locum sessionis assignat. Quod si dicas eis in quauis prouincia locum non assignasse,

gnasse,eo quod iam assignauerat in alio titulo particulari, *De commissario curiæ residente*, &c.de quo iam supra egimus. Dico iam supra manere hoc punctum abundè discussum, & probatum quod in illo statuto, non comprehenduntur Commissarij curiæ particulares,sed solus ille principalis qui residet in curia in qua residet persona Regis.

12 Pro solutione argumentorum in principio adductorum pro parte contraria, suppono primo ex Suarez *tom.de legibus, lib.6. cap.1.* quod triplex est declaratio alicuius legis.Prima authentica:secunda vsualis: tertia doctrinalis. Authentica est quæ fit ab ipso legislatore, qui condidit legem,vt dicitur in l. vltima,*C.de leg.*vbi ait Imperator, quod declarare legem pertinet tantum ad conditorem legis: & hæc prima declaratio dicitur authentica, quia facta per ipsum legislatorem, habet vim legis pro futuro tempore, quod non habet secunda,neque tertia declaratio,de quibus statim dico. Secunda declaratio legis dicitur vsualis, & est illa, quam vsus, & consuetudo introducit in obseruatione legis, iuxta cap.*cùm dilectus,de consuetudine.* & iuxta dictum commune, quod consuetudo est optima legum interpres Tertia declaratio legis dicitur doctrinalis, & est illa, quam varij Doctores afferunt in suis libris pro intelligenda aliqua lege, iuxta proprium intellectum ipsius explicantis.

13 Secundo suppono, quod circa vim, quam habet consuetudo ad faciendam legem,dicunt textus, & Doctores multa & varia: ex quibus selectiora in summa colligens,dico sequentia, quæ magis faciunt ad intentum Primum est, quod vt consuetudo obliget, & habeat vim legis, debet habere ad minus decem annos sine interruptione. Suarez *tom.de legibus, lib.7.cap.15.*

à num.

*à num.*4.citans Mol. & alios, & vt isti decem anni dicantur sine interruptione, tenet idem Suarez eodem *lib.cap.*11.*num.*4.in medio.Debet etiam hæc consuetudo esse præscripta, teste Suarez loco proximè citato, & Lessio *lib.*2.*de iust.cap.*6.*dub.*14.§. Nec obstat. Vbi ait, quod vt consuetudo sit præscripta, requiritur vt detur bona fides in subditis: & ad hanc bonam fidem requiritur possessio pacifica sine lite: sic enim petit ratio præscriptionis, vt Doctores tradunt communiter. Secundum est, quod per legem vniuersalem latam pro tota Ecclesia non derogantur consuetudines particulares prouincialium, nisi lex illud exprimat. Suarez *lib.*7.*de leg. cap.*10. *à num.*9. & communis Doctorum, & habetur *in cap.*1.*de constit.* Tertium, licet vna consuetudo antiqua possit derogari per aliam consuetudinem contrariam posteriorem, ad hoc tamen requiritur, vt subsequens consuetudo contraria sit præscripta modo proximè exposito in prima conditione: & præterea non sufficiunt vnus, vel plures actus contrarij, sed requiritur quod sit præscripta, vel sufficiens ad reuocandam legem: *glossa* 2. *in l. Nemo* 166. *ff. de Regul. iur.* Hostiens. & Rochus, quos citat, & sequitur Suarez citato *capit.* 20. *numero* 20. Quartum est, quod licet aliqua consuetudo non sit præscripta tempore debito, si tamen est consuetudo rationabilis, non tollitur per legem generalem publicatam si non exprimat derogationem consuetudinum. Suarez citato *capit.* 20. *à numero.* 11. maximè *numero* 12. in fine; & assignat rationem, quia populus habet quoddam ius, vt non cogatur mutare talem consuetudinem, cui non videtur derogare princeps, nisi illud exprimat: & hoc colligitur ex *capit.* 1. *de constit.*

Solutio argumentorum, quæ posita sunt in principio.

14 AD primum igitur argumentum in oppositum, quatenus ait statutum generale Segouiense citatum, dare Commissariis curiæ particularibus, & nationalibus præcedentiam illam, de qua agit prædictum statutum: negandum est hoc illis ibidem concedi, vt satis clarè, & efficiter ptobatum manet in præcedentibus: sed solum illa præcedentia conceditur Commissario curiæ Regiæ, in qua residet persona Regis. Quatenus vero secunda pars argumenti ait sic declarasse R.P. Generalem intelligendum esse prædictum statutum. Respondeo per sequentes solutiones. Prima est, quod illa sua declaratio non fuit authentica, vt faciat legem iuxta dicta *num.* 12. Nam declaratio quæ debet habere vim legis, debet fieri ab ipso conditore legis, vt ibi diximus: at solus P. Generalis non fuit conditor illius statuti, sed totum Capitulum generale cum ipso P. Generali, solus enim P. Generalis non potest condere statutum, sed poterit facere mandatum suo tantum tempore duraturum: oportuit ergo si prædicta declaratio habitura esset vim legis, vt fieret à Capitulo generali cum ipso Patre Generali, quia ex Capitulo generali cum ipso Patre Generali conflatur vnus legislator, qui possit condere legem, & illam declarare authenticè. Secunda solutio est, quod quando prædictus R. P. Generalis declarauit prædictum statutum dans præcedentiam allegatam à Commissario curiæ, R. P. Generalis nesciebat quod in prouincia esset contraria consuetudo, sicut de facto fuisse ostenditur per testificationem tantorum Patrum Prouincialium, ac diffinitorum prouinciæ, de quo supra,

pra. Quam consuetudinem si R. P. sciret, omnino talem præcedentiam non concederet, vt credendum est de sua rectitudine, & integritate, maximè cum idem R. P. Generalis, ante, vel postea scripserit ad Prouincialem de eadem materia consulentem, vt in hoc prouinciæ consuetudo seruaretur, vt suprà dictum fuit. Tertia solutio est, quod quando R.P. Generalis locum illum concessit dicto Commissario curiæ, id fecit ore tenus in suo cubiculo, & poterat non aduertere quod statutum generale Segouiæ titulo *de præcedentia* suprà citato assignat locum lectori primario Theologiæ statim post lectores iubilatos: si enim hoc aduerteret, non daret talem locum Commissario curiæ, cum idem numero locus dari non possit duobus: neque credendum sit voluisse P. Generalem locum auferre lectori primario, eidem per generale statutum assignatum, nisi illud vellet facere de potentia absoluta, quod non fecit, neque expressit: & ex consequenti secundum statutum, quod lector primarius sedeat mox post lectores iubilatos, manet in suo vigore, & illæsum. Et quod potuerit R. P. Generalis id non aduertere, non est culpa, vel defectus in illo, nam in cap. *præterea dist.* 23. iuncta ibi glossa, dicitur quod Papa Nicolaus dixit, non se recordari: quod aliquis Papa antecessor aliquid decreuerit super certa re, de qua ibi & tamen glossa ibidem verbo, *Fallat*, dicit quod Papa Leo illius antecessor illud decreuerat: & non aduertit Pap. Nicol. in lege facta. Et multò minùs mirandum est quod R. P. Generalis non aduerterit in statuto secundo facto, de quo agimus; nam si aduerteret, non concederet. Quarta solutio est, quod si R. P. Generalis sciret de consuetudine prouinciæ supra citata, per quam lector primarius præcedit Commissarium curiæ, non faceret talem

conceſſionem, vel declarationem contra conſuetudinem præſcriptam, & in præiudicium lectoris primarij. Nam vt dixi in præcedentibus neque princeps concedit priuilegium cum præiudicio tertij, qui ius iam quæſitum habebat: neque lex vniuerſalis promulgata tollit conſuetudines, & hic R.P. Generali, neque promulgauit legem dando pro tunc locum illum Commiſſario, neque expreſſit ſe velle derogare conſuetudini.

15 Ad ſecundum argumentum negandum eſt quod pro Commiſſario curiæ in hac materia ſit conſuetudo fauorabilis, imò eſt conſuetudo in contrarium, vt patet ex illo teſtimonio prouincialium; ac diffinitorum prouinciæ, cui potius ſtandum eſt, quam vni, vel alteri particulari teſtimonio priuatorum. Præterea vide quæ ſuprà diximus *num.* 13. quot debeant concurrere vt vna conſuetudo ſit præſcripta, & poſſit aliam conſuetudinem tollere: teſtimonium enim illud prouincialium, ac diffinitorum teſtificatur de tempore antiquiore, & de ſemper quaſi: & illa conſuetudo, vt lector primarius præferatur Commiſſario curiæ eſt magis rationabilis, quam oppoſita, vt probauimus, vnde conſuetudo noua tam paucorum annorum, & minus rationabilis pro Commiſſario curiæ non poteſt derogare alteri antiquiori, & magis rationabili pro lectore primario. Ad id quod allegatur eodē 2. argum. quod in prouincia antiquiore iſtius regni eſt conſuetudo quod ſemper Commiſſarius præceſſit lectorem primarium quoad locum. Reſpondeo, tranſeat; ſed illud non concludit ita ſeruandum eſſe in iſta, & in aliis prouinciis in quibus viget conſuetudo contraria. Non enim eſt obligatio vt conſuetudines particulares vnius prouinciæ ſeruentur in alia, quando de talibus conſuetudinibus non datur lex vniuerſalis: de quo mille poſſunt afferri

ferri exempla in variis prouinciis ordinis P. N. Franciſci; quarum multæ particulares habent certas conſuetudines quæ non ſeruantur in aliis Quod confirmatur exemplo Eccleſiæ Catholicæ: nam in diuerſis regnis,& prouinciis multæ Eccleſiæ particulares ſeruant ſuas conſuetudines, quæ tamen non obligant in aliis Eccleſiis. Et Pater R. Generalis vt ſuprà vidimus hac de re conſultus reſpondit vt ſeruaretur conſuetudo iſtius prouinciæ. Et hoc confirmo ex cap. *Scit ſancta*,& cap. *Nouit. diſt.* 12. vbi Papa iubet quod ſeruetur conſuetudo cuiuſque Eccleſię,& quod non obligat vt conſuetudo ſeruata Romæ obliget in aliis Eccleſiis.

16 Ad tertium argumentum, quidquid ſit de antecedente,neganda eſt conſequentia:non enim valet,habet votum in Capitulo:ergo præcedit in loco.Non valet,quia vt dicunt Iuriſtę, à ſeparatis non fit illatio:ſunt autem valdè ſeparata, dare ſuffragium in Capitulo, & præcedere in loco,probo euidenter duobus exemplis in eodem Ordine Minorum. Primum eſt,Patres qui fuerunt olim Prouinciales non habent hodie votum in Capitulo, & tamen quoad locum præcedunt, & præferuntur omnibus,etiam diffinitoribus prouinciæ. Secundum exemplum; viſitatores Prouinciarum miſſi à Prælatis generalibus, non habent votum in Capitulo Prouinciali,& tamen quoad locum præferuntur omnibus fratribus illius prouinciæ. Sic ergo, licet lector primarius non habeat votum in Capitulo,tamen extra Capitulum poterit quoad locum pręcedere Commiſſarium curiæ habentem votum in Capitulo. Tertium adhuc exemplum ſit:quando quis in ordine priuatur voce actiua, & paſſiua,manet priuatus voto, vt patet,& tamen non priuatur præcedentia loci, vt patet:ac proinde ſunt valdè ſeparata habere votum in Capitulo,&

præcedere in loco, & proinde vnum non benè infertur ex alio.

CASVS VII.

De quodam Nouitio expulso post annum cum dimidio, eo quod non potuerint fieri illius informationes.

QVidam iuuenis ex Portugallia iuit in Brasiliam, & ibi suscepit habitum religiosum in vno Conuentu P.N.Francisci. In anno nouitiatus non potuit illi Prælatus facere informationes præceptas à Papa Sixto V. ob defectum testium, qui possent in Brasilia testificari de nato in regione tam remota qualis est Portugallia. Hoc non obstante Prælatus Conuentus vota Religiosorum Conuentus excepit in ordine ad professionem emittendam: suffragia illi dedit Conuentus. Expleto anno nouitiatus, non accesserunt informationes ex Portugallia, in qua iussæ sunt fieri. Post annum nouitiatus expletum Prælatus Conuentualis expectauit adhuc post sex menses informationes, quæ non sunt allatæ. Quo viso custos Prælatus illius custodiæ secum adduxit Nouitium in Portugalliam, sed vestitum habitu sæculari, habens tamen semper intentionem illum admittendi ad Ordinem factis informationibus, vel casus dubitatione consulta,

Peruenit ad Regnum Portugalliæ: Quæritur an post factas in Portugallia informationes, possit iste Nouitius admitti ad professionem non facto nouo anno nouitiatus?

1 Et quidem, quod oporteat nouum incipere Nouitiatum, tria possunt persuadere: primum est quia statutum Ordinis Minorum Segouiense in Latinis *tit. de Nouitiis*, ibi dicit, quod annus nouitiatus sit continuus: ait quod si Nouitius ex aliqua causa exeat à Conuentu cum habitu, vel sine illo, non computetur ei tempus nouitiatus, sed illum postea denuo incipiat. Secundò, quia iste Nouitius dimittens habitum Religionis videtur renunciasse iuri quod habebat ad nouitiatum, & professionem: fecit enim actum contrarium, & per solum factum potest aliquis renunciare, vt omnes Iuristæ admittunt. Tertiò, quia Concilium Trid. *sess. 25. cap. 16. de Regul.* præcipit, vt expleto anno nouitiatus, Nouitij aut admittantur ad professionem, si habiles inuenti fuerint, aut expellantur: iste verò post expletum annum cum dimidio quo stetit in probatione, nō est inuentus habilis per informationes: ergo debuit expelli. Si vero fuit expulsus, non potest admitti ad professionem absque nouo nouitiatu. Et quamuis Papa Clemens VIII. teste Quaranta, *in suo Bullario, ver.* Monasterium, *in fine statutorum* Clement. VIII. dispensauit quod existente causa, vel impedimento, possent Prælati dilatare professionem Nouitij sex menses vltra annum nouitiatus, vsque dum cessaret impedimentum; iste Nouitius iam excessit sex menses vltra annum, & iudex inferior non potest dispensare in termino tempori præfixo à Superiore.

2 His non obstantibus, sub censura dixi potuisse talem Nouitium statim in Portugallia emittere validam professionem sine nouo anno nouitiatus. Et antequam rationes pro ista conclusione adducam, do exemplum viuum, quod de facto in præsenti existit in hoc Regno in quodam Conuentu Monialium sanctæ Claræ, in

quod sunt duæ, vel tres Nouitiæ habentes tres annos Nouitiatus, ita vt vnaquæque sit Nouitia tribus abhinc annis, ob certum litigium ortum, super statu Conuentus an pertineat ad Ordinarium, an ad Prælatos Minorum: & propter dictum litigium non sunt admissę ad professionem: & nihilominus hoc non obstante, à nullo Superiore sunt expulsæ, & petente vna illarum licentiam à Collectore Apostolico ad profitendum, licentiam denegauit; sed non dixit vt expelleretur: & omnes tres expectant resolutionem litigij, vt eo finito profiteantur: nam in tali casu Nouitiæ carent culpa, & per ipsas non stat, quod idem currit in casu istius Nouitij. Quod si mihi dicas in Nouitiis fœminis hunc rigorem expellendi finito anno probationis, vel admittendi nō currere, ob declarationem Cardinalium, quam citat Sanchez *tom.2. Decal. lib.5.c.4.n.21.* affero exemplum in Nouitio masculo, teste Rodriguez qui *tom.2. Sum.c.8.n.3.in fine* refert, quod ex consilio aliquorum Doctorum Salmaticensium quidam Nouitius Ordinis Minorum expectatus fuit, vt professionem faceret vsque ad annum vigesimum ætatis suæ, quia tali ætate indigebat, vt posset disponere de certis bonis pro remedio matri suæ, cui Sanchez citato loco non contradicit, sed alia multa adducit fauentia ad hanc prolongationem anni Nouitiatus.

3 Nunc in particulari respondeo ad tres obiectiones positas *num.1.* ex responsione enim data circa illas probata manebit nostra conclusio, quod scilicet iste Nouitius non indigeat nouo anno probationis. Ad primum igitur argumentum dico, non obstare statutum generale citatum: nam ibi statutum solum intendit quod annus Nouitiatus sit continuus sine interpellatione; hic autem Nouitius non interpellauit Nouitiatum,

tum,imò illum continuum peregit,& ſex menſes vltra continuos. Vnde ſtatutum ſpecificat de Nouitio exeunte in anno Nouitiatus, iſte autem non exiuit in anno Nouitiatus,ſed poſt annum ac dimidium expletum, & continuum, illum nolentem exuerunt habitu Religioſo. Neque item obſtant verba eiuſdem ſtatuti dicentia, quod Nouitius ſtatim finito anno probationis, vel admittatur, vel expellatur:hæc enim ſunt verba Concilij Tridentini,& patiuntur ſuas declarationes, vt iam cœpimus dicere *n.* 1. & amplius dicemus in ſolutione ad tertium argumentum in contrarium.

4 Ad ſecundum argumentum dico, hunc Nouitium per dimiſſionem habitus Religioſi factam modo prædicto non renunciaſſe iuri quod habebat ad profeſſionem: non enim habitum dimiſit ſponte, & voluntariè, neque cum animo renunciandi, ſed fecit inuitus ex præcepto Prælati, vt patet; vt autem renunciatio valida ſit, requiritur omnino quod ſit voluntaria,non coacta. Sufficiat vnum capitulum iuris, quod eſt cap. *ſuper hoc,de renunciat.* vbi Papa iubet, quod ſi inueniatur quemdam,de quo ibi,renunciaſſe non ſponte, reſtituatur. Et addit Papa hanc rationem prudentiſſimam: quia ſcilicet difficile credi poteſt aliquem voluntariè renunciare beneficio pingui, anxiè acquiſito, & vnde pendebat ipſius ſuſtentatio. Quod in hoc nouitio habet locum: non enim de illo credendum eſt renunciaſſe voluntariè profeſſioni propter quam ſeruiuit in Nouitiatu integro anno cum dimidio, tolerando labores Nouitiatus, & vnde pendebat remedium ſuæ vitæ ſpiritualis,& corporalis. Vide gloſſ. ſupra citat. proximo cap. vbi multa dicit de renunciatione ſpontanea, *verb.* Reſignationis. Secundo probo exemplo omnino ſimili: nam quando Clericus per dimiſſionem habi-

tus clericalis, illum ſponteneè dimittit, debent ad hoc duæ conditiones concurrere: prima, quod præcedat trina monitio Prælati, ne dimittat, & habitum clericalem reſumat, & Clericus non reſumit, vt habetur cap. *contingit* 2. *de ſentent. excomm.* & tenent Doctores communiter, maximè Sylue. *Excommunicatio 6. n. 6. caſu 3.* Secunda eſt, quod in eo caſu, in quo Clericus amiſit priuilegium clericale ob dimiſſionem illius, poſtea ſi ſponte ſua habitum clericalem aſſumat, recuperat priuilegium clericale ſine noua diſpenſatione. Quæ omnia licet in diſſimili materia ſint diſpoſita, multum tamen iuuant ad caſum iſtius Nouitij, qui non ſponte habitum Ordinis dimiſit, nec Prælato monenti vt reaſſumeret, repugnauit, imò inuitus ſuſtinuit quando habitu Nouitij ſpoliatus fuit. Vltimo quod per iſtam dimiſſionem habitus inuoluntariam, Nouitius iſte non renunciauerit iuri quod habebat ad profeſſionem, faciunt quæ tradit Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 32. n. 5.* & 6. vbi ait duo præcipua. Primum eſt, quod ille qui primo diſpenſationem aliquam obtinuit, & poſt diſpenſationis Bullam, ſeu literas lacerauit cum animo illis non vtendi: non per hoc renunciauit validè diſpenſationi, & hoc non obſtante illa poſtea vti poterit, ſi voluerit (excipit ibi materiam voti, vel iuramenti.) Secundo dicit Sanchez, quod ſi vir, & fœmina conſanguinei inter ſe, obtinuerunt diſpenſationem vt matrimonium ad inuicem poſſent contrahere, & poſtea quiuis illorum contraxerunt cum aliis non conſanguineis non vtentes conceſſa diſpenſatione; ſi poſtea cum ambo hi vidui facti ſunt, voluerint inter ſe contrahere, poterunt id facere vtendo antiqua diſpenſatione, quia per matrimonium prius contractum non fecerunt validam renunciationem circa priorem diſpenſationem

obten

obtentam. Quæ etiam valdè faciunt pro casu istius Nouitij, ad probandum non renunciasse professioni per dimissionem habitus, maximè inuoluntariam.

5 Nec videtur obstare ratio adducta in contrarium, quia scilicet iste nouitius post annum probationis excessit spatium sex mensium, quem terminum temporis Clemens VIII. dicitur assignasse, vt vltra illum non posset professio dilatari: nam imprimis iudex potest aliquando prolongare tempus præfixum à lege: maximè quando nulla pœna apponitur transgredienti prædictum tempus, vt tenet Bartolus *lib. 2. n. 4. ff. de sent. & re iudicata.* teste Molina *l. 2. de primog. c. 14. num. 19.* & citat Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 24. num. 11.* & patet exemplo omnino simili. Nam licet cap. *Ex publico, de conuersione coniugat.* assignet duos menses, in quibus coniuges non obligentur consummare matrimonium, vt in his duobus mensibus possint deliberare de ingressu Religionis, nihilominus ille terminus duorum mensium à Papa præfixus, potest prolongari à iudice inferiori ex causa iusta, & illis tempus longius dare, vt tradit Sanch. *citata disp. 24. n. 12.* citans multos. Eodem ergo modo, licet Papa Clemens VIII. assignauerit solos sex menses ad dilatandam professionem post annum nouitiatus expletum: hoc non obstante Prælatus inferior ex iusta causa, & tam ex clara Epiicheia, qualis in hoc casu interuenit, poterat hoc spatium sex mensium prolongare, quoad vsque cesset impedimentum informationum in hoc casu deficientium, attento quod antea fieri non potuerunt, & quod Nouitius anno integro cum dimidio laudabiliter Ordini inseruiuit, semper aspirans ad professionem. Secundo probo, quia vt dicunt Iuristæ, tempus non currit ignoranti, vel impedito, *lib. 1. in fine, C. de annali excep.* & tenet commu

communis, maximè Couarruuias, *in Regula possessor. 3. part. num. 3.* & alij. At iste Nouitius erat legitimè impeditus, nec moraliter suum impedimentum informationum tolli poterat via humana ob distantiam regnorum, & viæ maritimæ, difficilisque nauigationis: ergo illi sic impedito non currebat spatium sex mensium à Clement. VIII. assignatorum. Et hoc quod legitimè impedito non currat tempus præfixum à lege, habetur expressè in iure canonico in casu omnino simili. Habetur casus in cap. *quia diuersitatem, de conces. præb.* in quo decernit Papa, quod quidam Archiepiscopus qui existens suspensus ab officio ob culpas, & non prouidit certa beneficia vacantia intra sex menses, sicut iubet prouideri Concilium Lateranens. ibi citatum. sub pœna quod non prouidens intra sex menses amittat ius illa amplius prouidendi. Respondet Papa, quod prædicti sex menses à Concil. Lateranens. assignati non habebant locum in hoc Archiepiscopo, quia cum esset suspensus, erat legitimè impeditus ad prouidenda beneficia illa; & sic finito tempore suspensionis poterat illa prouidere, & conferre. In quo capitulo gloss. *verb.* Suspensionis. dicit quod tempus non currit legitimè impedito, nisi quando fuerit negligens: & citat textus, & ponit exempla. Si ergo ille Archiepiscopus cum esset propter culpas suspensus, erat legitime impeditus, & sex menses assignati à iure illi non nocuerunt quin postea sublato impedimento suspensionis posset recuperare quod suum erat; isti Nouitio impedito ad profitendum, non nocebunt sex menses assignati à Clemente VIII. quin ablato impedimento informationum, possit postea vti iure quod habet ad profitendum. Probatur hoc ipsum, qnia in multis aliis textibus, & exemplis, si citatus, vt compareat, in tali die non compa-

ruit,

ruit, & poſt elapſum terminum comparendi, compareret, & probat ſe legitimè fuiſſe impeditum, auditur, & reſtituitur, vt inter alia tenet lex *fin. ff. de requirend. reis.* Vltimo probatur ex eo quod tradit D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 84. & 95. *art.* 1. *ad* 3. & habetur in l. *Pomponius. ff. de leg.* videlicet, quod lex non datur pro caſibus particularibus raris, & raro contingentibus, ſed pro contingentibus de ordinario. At iſte caſus fuit de raro, & præter opinionem contingentibus in materia profeſſionum, vt patet: ergo in illo non eſt ſtandum legi communi profeſſionum: ac proinde magis in illo ſtandum eſt Epiicheiæ, & Æquitati, quam legi, cum cauſa pia ſit fauere Nouitio, qui videlicet ſeruiuit per annum cum dimidio, & ad Religionem aſpirat: maximè cum iſta Epiicheia fundetur in tot textibus, & rationibus ſupra adductis. Et poteſt ad hoc videri Nauar. *conſ.* 42. *de Reg.* vbi refert, quendam Prælatum certæ Religionis miſiſſe Nouitium, qui ſex tantum menſes probationis habebat, vt iret extra Conuentum ad certum negotium peragendum, cumque negotij executio dilataretur commoratus eſt Nouitius extra Conuentum per ſex menſes cum habitu tamen Religionis: & quia negotium non erat concluſum, & Nouitius nolebat illud incompletum relinquere, & aliàs timebat tranſire annum Nouitiatus, miſit procuratorem ad Conuentum, in quo ſolum per ſex menſes fuerat in Nouitiatu, vt nomine ſuo profeſſionem emitteret: & reſpondet Nauarrum fuiſſe declaratum per congregationem Cardinalium prædictum Nouitiatum, & profeſſionem fuiſſe validam, vt teſtatur Nauarrus in fine dicti conſilij: dixi hunc caſum fuiſſe difficiliorem: nam ille Nouitius de quo Nauar. fecit profeſſionem in abſentia per procuratorem, & per ſex menſes Nouitiatus abſens

fuit

fuit à Conuentu per quod tempus non potuit Conuentus experiri mores Nouitij; quæ in hoc noſtro caſu non concurrerunt. Et proinde credo quòd idem declaraturi eſſent Cardinales in hoc noſtro caſu, ſi res ad eos delata fuiſſet.

6 Denique vt nullus hac de re maneat ſcrupulus, & vt conſulatur caſibus futuris, videndus eſt omnino doctiſſimus Sanchez *tom.2. Decal.lib.5. cap.4.* vbi multa diſputat ad hoc ſpectantia. Duo tantum ibi fuſiùs poſita refero. Primum eſt Nouitiatum ex triplici capite poſſe eſſe nullum, & irritum: primò, quia non fuit habitus in legitima ætate. Secundò, quia fuit factus extra Monaſterium, & ſine habitu Religionis. Tertiò, ſi non fuit continuus: & ibi ſimul explicat dubia occurrentia circa hæc tria capita. In hoc vero caſu nullus defectus ex illis tribus repertus eſt, & proinde fuit validus. Secundum quod ait Sanchez ibidem *num.34.* notatu dignum eſt, quod ſi Nouitius finito anno veri Nouitiatus, exiit ab ordine abſque licentia, & paulo poſt rediens iterum admitteretur à Conuentu, ſufficeret præterrtius Nouitiatus ad profitendum, dummodo non tanta interpellatio præceſſerit vt moraliter loquendo iam conditio perſonæ, vel ſtatus ordinis ſit mutatus. Quod ſimiliter in iſto caſu non interuenit, quia Nouitius nec ſponte exiuit, nec mora extra Conuentum facta mutauit conditionem perſonæ, neque ſtatum ordinis.

7 Aduerto vltimo, quod quando tot à nobis adductæ probationes non ſufficerent, vt talis Nouitius admitteretur ad profeſſionem abſque nouo Nouitiatu: ſaltem ſufficient ad probandum euidenter quod Prælatus Religionis qui illum habitu priuauit, obligabitur in conſcientia illum iterum recipere ad ordinem, & nouum

nouum Nouitiatum, vt eo finito, admittitur ad profes-
sionem factis informationibus. Datur enim inter No-
uitium, & Conuentum ferè contractus, per quem resul-
tat obligatio, vt si finito anno probationis Nouitius
reperiatur inculpatus, Conuentus se obligat ad illum
non expellendum. Ex parte item Prælati, qui istum No-
uitium exclusit, fuit non parua culpa, quia in Brasilia
poterat informationes facere cum testibus possibilibus
ibi repertis, absque eo quod illas facere iuberet in re-
gno Portugalliæ remotissimo: sicut idem Sixt. V. dispo-
suit in sua secunda Bulla circa Nouitios oriundos ex
terris longinquis: & hodie in Portugallia recipiuntur
Nouitij Angliæ, & Flandriæ, de quibus fiunt informa-
tiones solum in Portugallia modo possibili, & non ex-
pectatur vt veniant ex Anglia, vel Flandria: cum minus
distent à Portugallia, Anglia, & Flandria, quam Brasi-
lia. Culpa etiam fuit eiusdem Prælati Nouitium exuere
habitu Religionis, licitè enim, & securè poterat illum
secum adducere vestitum habitu Religionis, vt patet
ex casu supra citato Nauarri.

CASVS VIII.

De quodam Nouitio recepto ad chorum, seu clericatum: & in professione, est professus ad laicatum inuitus.

IN ordine quodam in India Orientali, quidam No-
uitius recepit habitum cum declaratione, quod
futurus erat ad chorum siue clericatum. Toto anno
proba

probationis in hoc ſtatu, & intentione permanſit faciens cæremonias cum cæteris Nouitiis receptis ad chorum. Tempore profeſſionis, Goardianus cauſatus quod ille eſſet illiteratus, & inſufficiens ad chorum, dixit illi, quod ſi vellet profiteri ad laicorum ſtatum, illum recipere vellet: ad chorum vero, nolle. Nouitius reclamauit dicens nolle ſe profiteri ad laicatum: & ſtatim veſtes ſuas ſæculares petiit. Volens exire ab ordine, veſtes illi denegatæ ſunt. Tandem metu reuerentiali, & moleſtia preſſus, vt Prælato ſatisfaceret, profeſſionem emiſit, declarante Goardiano quod eſſet futurus laicus. Ille vero, ante reclamauit, & proteſtatus eſt ſe ius ſuum proſecuturum. Facta profeſſione, per modum appellationis adiuit prouincialem Indiæ, qui cum diffinitorio protulit ſententiam quod talis erat profeſſus ad ſtatum laicorum. Appellauit ille ad R. Commiſſarium Generalem Hiſpaniæ veniens in Portugalliam, adduxit ſecum teſtimonium quinque fratrum, qui illum examinarunt ante profeſſionem, & iurarunt illum eſſe ſufficientem ad chorum, ſiue ſtatum clericalem, petitionem præſentauit prædicto commiſſario P. Generali, dicens ſe fuiſſe in India profeſſum ad ſtatum laicorum, &c. prædictus R. P. commiſit caſum Prouinciali prouinciæ Portugalliæ, qui in diffinitorio ſententiam protulit dicens, ſe illum examinaſſe, & inſufficientem reperiſſe ad chorum. Appellauit profeſſus & adiuit R. P. tunc Generalem, qui cauſam commiſit duobus aliis Prouincialibus Portugalliæ, & in commiſſione ambobus facta, dicit ſe illis cauſam committere eo quod nondum eſſet deciſa per Patrem Commiſſarium Generalem, de cuius foro erat iſte profeſſus. Expreſſit etiam dictus Pater R. Generalis in ſua commiſſione, quod ſi conſtaret ex teſtimonio facto, & ſcripto

in

in die suæ professionis apud Conuentum, quod professus sit ad chorum, ipsi duo Prouinciales illum ad statum clericatus restituant, &c.

Quæsitum fuit primo, an hi duo vltimi Prouinciales, possint de causa cognoscere, supposita falsa narratiua facta P. Generali, in qua dixit P. Generalis attento quod casus decisus non erat per P. Commissarium Generalem, cum aliàs constaret ex commissione illius fuisse iam casum decisum per Commissarium prædictum. Secundo quæsitum fuit an prædictus professus receptus prius ad chorum, & postea prædicto modo professus ad laicatum, habeat ius, vt restituatur ad statum clericatus.

1 Primo, quod duo Patres Prouinciales vltimi non possint cognoscere de causa, probatur, quia P. Generalis in sua commissione dicit, ideo se illis causam committere quod nondum esset decisa per P. Commissarium Generalem Hispaniæ. Quæ narratio fuit falsa; iam enim casus decisus fuerat à Ministro Prouinciali prouinciæ Portugalliæ, ex particulari commissione P. Commissarij Generalis Hispaniæ: & sic rescriptum P. Generalis datum Romæ, continet narratiuam falsam: & omnis expressio falsi in narratiua vitiat rescriptum, vt communiter Doctores dicunt, de quo multa Sanch. *lib.8.de Matrim.disp.21.num.31.* Secundo facit contra professum, quod P. Generalis in sua commissione dicit, quod si constiterit ex testimonio suæ professionis, quod fuerit professus ad clericatum, restituatur ad statum clerici, & ex suo processu constat, *fol.1.pag.1.* quod ille confessus est se fuisse professum ad laicatum: ergo debet declarari laicus ex vi huius rescripti P. Generalis. Tertio, quia licet inter istum professum, & Prouincialem recipientem illum ad chorum præcesserit, qua-

si contractus, vt esset futurus de statu clericorum ordinis, cum tamen ille postea consenserit profiteri ad laicatum, renuntiauit iuri quod habebat ad clericatus statum, & sic non potest conqueri, cum *per regulam iur. in 6.* scienti, & consentienti non fiat iniuria. Quarto quod hodie prædicti duo vltimi Patres prouinciales non possint cognoscere de causa ex vi illius commissionis, P. Generalis videtur probari, quia Prouincialis Indiæ, qui iudicauit illius professionem fuisse ad statum laicorum, debet hodie audiri, quia sua interest defendere causam suam, & assignare causam suæ sententiæ. Quinto facit contra professum quod prouincialis Indiæ in processu *fol. 6. pag. 2.* vocat illum fratrem laicum, quod clarè supponit nouisse prædictum prouincialem illum professum fuisse ad laicatum, & quod cum sua licentia mutatus est de statu chori ad statum laicalem. Sexto facit quod minister prouinciæ Portugalliæ in sua sententia testimonium perhibet, quod ipse illum examinauerit, & ad statum clericalem insufficientem inuenerit. Quamuis ergo in prima receptione ad habitum quasi pactum fuerit, quod futurus esset ad chorum, reperta tamen postea insufficientia, ac defectu illius, potuit Prælatus emendare errorem, reddendo illum ad statum laicorum: sicut quando post factum contractum reperitur error, quo antea cognito contrahentes non consentirent: possunt contrahentes recedere à contractu, vt tenet communis opinio in materia de contractibus. Vltimo confirmatur, quia vt tenet Sanch. *tom. 2 Decal. lib. 6. c. 7. n. 8.* cum Soto, Aragon, Petro Ledesm. & Azor ibi citatis, potest Prælatus professum ad chorum mutare ad statum laicalem, si iusta causa interuenit: satis autem iusta causa esse videtur in isto casu insufficientia istius professi ad

chorum

chorum ratione illiteraturæ, sicut dicitur.

2 Pro resolutione præmitto, quod sicut inter profitentem, & Conuentum acceptantem datur quidam contractus quo se adinuicem obligant professus, & Conuentus: ita Nouitium recipi ad chorũ, vel ad laicatum, est circumstantia, & ferè conditio apposita prædictæ receptioni, vel professioni, qua non extante receptio ad habitum non fieret. Est autem hæc conditio, vel circumstantia vt sit ad clericatum, vel laicatum, res æstimabilis, & ponderabilis: quod probo ex illis, quæ tradidi in meo *tom. 2. dubior. regul. ver.* Votum, *num.* 40. ex Soto, & Rodrig. ibi citatis, qui dicunt, quod si ego feci votum intrandi Religionem, cum animo expressoquod essem recipiendus ad chorum, & Prælati nolunt me recipere ad chorum nisi ad laicatum, non teneor intrare Religionem. Secundo dicunt ibi citati Doctores, quod si feci votum intrandi Religionem, non exprimens animo an ad chorum, an ad laicatum, & nihilominus scio linguam Latinam sufficienter vt possim recipi ad chorum, & tamen Prælati nolunt me recipere ad chorum, nisi ad laicatum, non teneor ad votum. Tanti æstimatur circumstantia essendi ad chorum, vel laicatum in receptione ad habitum, vel professionem. Præmitto secundo rem esse certissimam in iure, quod renunciatio facta metu; vel inuoluntaria est nulla, & irrita: omissis multis textibus sufficiat cap. *super hoc, de renunciat.* vbi Papa clarè dicit esse nullam renunciationem illam, quæ fit non solum per metum, & vim, sed etiam illam quæ fit præcedente aliqua molestia, & oppressione: & in ista professione de qua agimus vltra metum reuerentialem, præcessit oppressio facta Nouitio, per quam illi innouatum, & immutatum fuit, quod in receptione ad habitum fuit promis-

sum, quod futurus erat ad chorum; & illi aliàs volenti exire, vestes suæ sæculares denegatæ sunt: quæ satis indicant metum reuerentialem, & oppressionem, molestiámque præcedentem ante professionem.

3 Hoc posito dico, & quod prædictus professus sit restituendus ad statum clericalem, & quod Prouinciales duo vltimi potuerunt de causa cognoscere. Secunda pars istius conclusionis, amplius probabitur ex solutione argumentorum. Prima, quod scilicet debeat restitui ad statum clericalem, probatur ex fundamentis proximè positis *num.* 2. nam ille suscepit habitum cum pacto: conditione expressa quod esset futurus ad clericatum: & conditio vero apposita, & acceptata in contractu obligat contrahentes in conscientia, quando conditio non est turpis, neque impossibilis; & præterea, ex parte professi non est inuenta insufficientia ob quam excludatur à statu clericali, vt dicemus in solutione argumentorum: ergo tenentur Prælati ordinis illum restituere ad statum clericalem, ad quem sub pacto expresso receptus fuit. Secundum argumentum, seu fundamentum istius conclusionis est, quod non obstat illum in professione consensisse profiteri ad statum laicalem: hic enim consensus fuit coactus, inuoluntarius, & proinde nullus. Primo, quia præcessit oppressio, qua illum mutabant de statu clericali ad laicalem. Secundo, quia ob talem molestiam, & oppressionem petiit vestes sæculares, vt rediret ad sæculum, illíque denegatæ sunt: quæ clara & manifesta oppressio fuit, imo & violentia. Quæ tria manifestè indicant inuoluntarium consensum, imo & coactum, quo consensit profiteri ad statum laicalem, & proinde talis renunciatio fuit inuoluntaria, coacta, & nulla. Quod maximè confirmatur, quia, vt dicitur, ille protestatus fuit, quod

ius

ius sibi ademptum prosequi debebat, sicut fecit de facto. Tertio potest probari, quia iste professus in toto anno probationis fuit quasi in possessione status clericalis, semper enim in choro astitit cum cæteris Nouitiis destinatis ad chorum, & omnes illorum cæremonias, & obsequia præstitit anno integro. Et præterea finito anno probationis quinque Religiosi designati à Prælato, illum examinarunt de officio diuino, & de sufficientia ad chorum, & sub iuramento testati sunt illum esse sufficientem ad chorum: quæ omnia constant ex processu per instrumenta fide digna: neque in ordine Minorum fit alia maior diligentia quam ista. Nam paulo ante professionem destinantur à Prælato duo Religiosi, qui Nouitium examinent an sciat recitare diuinum officium. Si vero ambo examinatores dicunt esse sufficientem, admittitur statim ad professionem: in hoc vero examinando testificati sunt pro illo quatuor, vel quinque Religiosi iurati, quod esset sufficiens. De peritia vero in lingua Latina isti examinatores non examinant, quia id facit prius Prouincialis in prima receptione ad habitum. Et Prouincialis in prima receptione ad habitum, de latinitate illum examinans, acquieuit, illúmque admisit: vnde non potest illum iam ea de causa repellere, vltra alia quæ infrà ad hoc intentum dicemus. Addo quod Guardianus, qui admisit professionem, non poterat motu proprio mutare ad laicatum illum quem Prouincialis receperat ad chorum. Non enim potest inferior mutare legem, seu dispositionem superioris, maximè cum præiudicio tertij, vt patet ex cap. *quod super iis, de maiorit. & obed.* & ex Regula 33. *de reg. iur. in* 6. vbi dicitur, quod nemo potest mutare consilium in detrimentum alterius.

4 Neque obstat, quod Patres prouinciæ Portugalliæ

dixerunt in ſua ſententia, inſtrumenta adducta ex India à profeſſo erant magis de mero fauore, quam de iuſtitia: ſunt enim de mera iuſtitia, & non de fauore. Sunt enim teſtes iurati, & ratificati cum iuramento coram Prouinciali Indiæ, coram quo teſtificant ſub iuramento, dixerunt vera eſſe quæ antea dixerant. Imò teſtimonium illorum quinque fratrum de examine teſtificantium, validius eſt quam teſtimonium Prouincialis prouinciæ Portugalliæ, dicentis in ſententia quod ipſe illum examinauerit, & inſufficientem repererit: nam illi ſunt quinque teſtes, & Prouincialis vnus teſtis, & non iuratus: & præterea in rigore iuris teſtimonium prædicti Patris Prouincialis nihil valebat, quia cum eſſet iudex, non poterat eſſe teſtis, vt habetur expreſsè 4. *quæſt.* 4 *cap. Nullus.* Neque item obſtat quod dicit eadem lata ſententia, videlicet ex proceſſu, & inſtrumentis Indiæ conſtare quod ille profeſſus fuerit ad laicatum. Nam ex ſcripto profeſſionis poſito in libro Conuentus, ad quem ſolum librum Pater Generalis ſe remittit, non conſtat quod profeſſus fuerit ad laicatum: ſed ſolum refert quod fuerit profeſſus indiſtinctè. Si vero illi Patres id collegerunt ex confeſſione quam fecit profeſſus in ſua petitione prius coram Patre Commiſſario Generali, talis confeſſio illi non præiudicat, non enim fuit confeſſus quod eſſet profeſſus ad laicatum ſpontaneè & voluntariè, ſed narrauit factum ſicut geſtum fuit. Et ideo dicens in petitione quod fuerit profeſſus ad ſtatum laicalem, intellexit ſicut factum fuerat, videlicet inuoluntariè, & præcedente oppreſſione, & moleſtia, de quibus ſupra; & præcedente proteſtatione de ſuo iure proſequendo, &c. quæ omnia clarè indicant, confeſſionem illam poſitam in petitione, non eſſe confeſſionem approbatiuam,

uam, sed solum narratiuam, & querelantem, quæ proinde illi non nocuit, imò profuit: & hæc patebunt magis ex solutione argumentorum.

5 Ad primum igitur argumentum initio positum dico, potuisse duos vltimos Patres Prouinciales cognoscere de causa, non obstante quod in commissione illis facta Pater Generalis dixerit. Attento quod Pater Commissarius Generalis casum nondum decidit, cuius oppositum iam euenerat, & proinde narratiua fuit falsa. Moueor, quia non omnis narratio falsi vitiat rescriptum, vt tenet Sanchez citata *disput. 21. num. 32.* cum multis, & grauibus Doctoribus, quos citat, & sequitur, qui dicunt, quod tunc solum narratio falsi vitiat rescriptum, quando falsitas pertinet ad causam finalem, non vero si falsitas solum spectat ad causam impulsiuam. Et ex traditis à Sanchez *ead. disp. num. 8.* hæc clausula, quod non fuerit iudicatum à Patre Commissario Generali, fuit causa impulsiua tantum, non vero finalis. Quamuis enim Pater Generalis sciret esse iam casum decisum à Patre Commissario Generali, non omitteret concedere, licet concederet difficilius, quod est tantum causa impulsiua. Et dico quod Pater Generalis non negaret id quod petebatur, etiamsi sciret iudicatum iam à Patre Commissario Generali, quia imprimis tenebatur Pater Generalis id concedere, cum iste profectus ad illum recurreret, quasi per viam appellationis: & tenebatur deferre appellationi iustæ sibi interpositæ à parte appellante à iudicibus deputatis per Patrem Commissarium Generali inferiorem. Secundo, pro eadem etiam causa impulsiua, quod scilicet Pater Generalis, licet sciret iam rem iudicatam, adhuc tamen concederet recursum, licet difficilius, colligo, seu probo, quia non est credendum de Patre

Generali ſupremo Prælato, quod talem recurſum negaret venienti ad ſe ſubdito per modum appellationis ex tot mille leucis Indiæ Orientalis, & querelam proponenti de oppreſſione iniuſta ſibi facta in re graui: & ſic falſitas narratiuæ de non eſſe iudicatum, pertinet ad cauſam impulſiuam tantum, & non vitiauit reſcriptum. Facit etiam ad ſolutionem argumenti quod tradit Sanchez *cit. diſp. num.* 42. quod ſcilicet quando in ſcripto numerantur copulatiuè multæ cauſæ conceſſionis, licet aliquæ ſint falſæ, non vitiant conceſſionem, dummodo ſit vera cauſa illa principalis cui innititur reſcriptum, & in iſta commiſſione facta à Patre Generali duobus Prouincialibus, cauſa principalis cui innititur eſt vera, videlicet iniuſtitia, & grauamen iſti profeſſo exhibitum, & proinde licet aliæ cauſæ minores fuerint falſæ, vt quod cauſa nondum fuerit iudicata, non vitiarunt reſcriptum, maximè quod in caſu, quo cauſa foret iudicata per Commiſſarium Generalem poterat profeſſus appellare ſemper ad Generalem, tanquam ad ſuperiorem, ſicut de facto appellauit, ſi non verbo, ſaltem facto per arreptionem itineris ad ipſum Generalem, quod eſt appellare facto, vt ſuppono eſſe notum in iure.

6 Ad ſecundum argumentum dico, quod Pater Generalis in ſua commiſſione dicit tantum, quod ſi conſtiterit ex libro Conuentus vbi profeſſio ſcripta fuit, quod fuerit profeſſus ad chorum, reſtituatur, &c. confeſſio vero quam fecit profeſſus in ſua petitione quod fuerit profeſſus ad laicatum, non eſt liber ſcriptus profeſſionis in Conuentu, ad quem Pater Generalis ſe remittit, de qua confeſſione ſibi non præiudicante vide ſuprà *num.* 4. inſtrumentum ergo, ſiue teſtimonium factæ profeſſionis eſt in proceſſu *fol.* 7. *part.* 1. *in fine*, nec expri

exprimit quod professus fuerit, vel ad chorum, vel ad clericatum: sed solum dicit, quod emisit professionem: quem modum scribendi professionem in libro Conuentus aduerto continere mysterium; cum enim in libro Conuentus soleat exprimi, quod fullanus professus sit ad chorum, vel ad laicatum; de hoc professo in dicto libro professionum nihil est expressum ad quem statum profiteretur, quia nempe viderunt professum antea reclamantem, & protestantem: & proinde cum res esset litigiosa, noluerunt scribentes in libro professionum exprimere ad quem statum professus fuerit: sed rem postea iudicandam reliquerunt. Et quamuis Pater Generalis dixerit, quod si constaret professum esse ad chorum ex libro professionum, restitueretur, idque liber professionum non exprimat, id non nocuit professo, cum liber professionum, si non exprimit professum esse ad chorum, saltem non exprimit professum esse ad laicatum: & aliunde constat professum esse ad laicatum inuoluntariè, & coactum, quod ius non intendit tollere Pater Generalis.

7 Ad tertium argumentum dico, quod iste professus consentiens profiteri ad laicatum eo modo quo consensit inuitus, & protestatus, non renunciauit iuri quod habebat ad statum clericatus sibi promissum in receptione ad habitum, & per integrum annum nouitiatus acquisitum: nam consensus coactus, non est consensus, & renunciatio inuoluntaria, non est renunciatio, vt patet ex dictis *num.* 2. quibus addo, quod ibi saltem interuenit metus reuerentialis Nouitij erga Prælatum molestantem, & alio modo professionem dare nolentem. Si autem metus solus reuerentialis iuxta multos Doctor. potest annullare ipsam professionem, multò magis potuit annullare hanc circumstantiam,

professionis ad laicatum scilicet, vel Presbyteratum. Quod autem solus metus reuerentialis possit annullare professionem, dicunt graues Doctores recentiores à me citati *in 1. tom. Dubior. Reg. ver.* professio nulla, toto *num.* 12. & præter illos ibi citatos idem tenent Aloysius Riccius, & doctissimus Sayro citati à Barbosa *in Remission. ad Tridentinum, fol.* 146. *pag.* 2. in fine, quibus adde Brunorium in suis locis commun. *verb.* Matrimonium *num.* 4. cum aliis à se ibi citatis. Quod vero adducit idem tertium argumentum ex Regula iuris, quod scienti, & consentienti non fit iniuria, intelligendum est de consentiente liberè, & spontaneè non vero de consentiente coactè, & inuoluntariè, vt patet ex dictis *n.* 2. & iste professus, vt constat ex dictis, consensit in professione ad laicatum coactus, & inuitus, & proinde eius consensus fuit nullus.

8 Ad quartum dico, quod prouincialis Indiæ iam fuit citatus sufficientissimè: si enim ille iam de causa cognouit, & sententiam tulit, quæ maior citatio necessaria est? Iam enim iste professus coram prouinciali Indiæ litem mouit, & ipse cum diffinitorio sententiam tulit: & vidit processum, & nihil nouum in contrarium addidit, vel allegauit.

9 Ad quintum argumentum dico, quod non nocet huic professo, quod prouincialis Indiæ vocet hunc professum fratrem laicum: id enim fecit secutus informationem Guardiani, qui suo arbitrio immutauit statum professi nolens illum admittere ad clericatum eidem professo promissum in prima receptione ad habitum, quæ immutatio non potuit præiudicare professo inuito protestanti, & appellanti: addo quod dictus prouincialis Indiæ, indebitè vocauit istum professum fratrem laicum, cum ex libro professionis non

constet

conſtet quod fuerit profeſſus ad laicatum, vt dictum eſt in ſolutione ad ſecundum. Et proinde iſta vocatio laici poſita à prouinciali non præiudicat profeſſo; quia id prouincialis dixit narratiuè ex informatione Guardiani ſibi exhibita, in quo falli potuit prouincialis. Nam etiam Papa referens factum alienum poteſt falli, vt conſtat ex cap. 1. de renunciatione, cum dictis ibidem à Doctoribus: licet non poſſit falli narrando factum ſuum proprium, & in hoc ſemper illi credendum ſit. Vide Doctores ad citatum proximè capitulum.

10 Ad ſextum dico, non præiudicare iſti profeſſo, quod prouincialis Portugalliæ dixerit ſe illum examinaſſe, & inſufficientem ad chorum reperiiſſe, vide ſuprà dicta *num.* 3. poſt medium, & *num* 4. ante medium vbi copiosè ad hoc manet reſponſum. Quibus adde quod examen quinque fratrum circa hunc profeſſum, factum fuit à fratribus Conuentus vbi facta eſt profeſſio: in quos quinque fratres ſicut in arbitros compromiſit, à ſententia vero arbitrorum non poteſt appellari vt tenet communis ſententia: addo vltimo quod in ſufficientia ad chorum datur latitudo maioris, & minoris, nec requiritur quod ſit nimis litteratus: pro quo vide Hentiq. *tom.* 2. *lib.* 10. *cap.* 16. in fine, vbi ait poſſe Epiſcopum dare ordines ſacros Religioſo qui benè legit Latinè, & cantat, quamuis ſit minus literatus, & citat alios Doctores in gloſſa litera V. Et examinatores illi quinque iurant iſtum habere ſufficientiam ad chorum ſicut habent aliqui Religioſi in India: in quo verum dicitur. Nam in India ſæpius ad habitum recipiuntur grandæui milites, qui pertæſi militiam ad Deum conuertuntur, qui linguam Latinam neſciunt, & vix illam benè legunt, quorum ego vidi vnum, & tamen

tamen isti recipiuntur ad chorum, vel statum clericalem.

11 Ad vltimum argumentum ex Sanchez dico, quod illius dictum imprimis non facit legem. Secundo exemplum præcipuum quod adducit, est quando professus ad chorum suæ consolationis gratia, liberè petit, vt à statu clericatus mutetur ad statum laici, quod in hoc casu non concurrit, imò iste professus repugnauit, & reclamauit, vt constat. Secundò dicit Sanchez id fieri posse ob culpas professi, ob quas potest puniri cum hac mutatione status. Sed neque in hoc nostro casu interuenit culpa professi istius, imo neque insufficientia iuxta prædictos quinque testes iuratos. Adde quod Nauarrus ibi citatus à Sanch. tenet id non posse facere Prælatum. Et quidem in ordine P. N. Francisci id nunquam vidi fieri, vt professus ad chorum, etiam ob culpas mutetur ad statum laici, etiam si ille careat omnibus sacris ordinibus. Nam iste, etiam sine Ordine sacro tenetur ex vi Regulæ dicere horas canonicas per Breuiarium, & in præcepto Regulæ non potest Prælatus dispensare, ac proinde non poterit de professo ad chorum facere professum laicum deobligatum à dicendo diuino officio per Breuiarium.

In aliis Religionibus consulantur illarum Regulæ, & statuta

CASVS

CASVS IX.

De quibuſdam ſæcularibus, qui Religioſos duos ligauerunt, & carcerarunt ex mandato ſui gubernatoris ſæcularis.

GVbernator cuiuſdam Regni vltramarini longè diſtantis à Portugallia, reſidens in quadam vrbe, aſſociatus quibuſdam ſociis, & Miniſtris intrauit Conuentum quemdam Religioſum: ſocij ignorabant ad quid ingrederetur. Gubernator ſibi obuium Prælatum illius Conuentus manu apprehendit, & alium Religioſum, eóſque miſit deduci ad quandam nauem, ibíque ſub cuſtodia quaſi carceratos cuſtodiri: & declaratur, quod gubernator erat natura ſua iracundus, & habebat poteſtatem condemnandi ad mortem.

Quæſitum fuit primo an iſti, qui gubernatorem aſſociarunt, ignorantes illius intentionem, incurrerint aliquam cenſuram excommunicationis? Et declaratur quod iſti primi non concurrerunt actiuo influxu ad illam comprehenſionem.

Quæritur de illis, qui iubente gubernatore manus iniecerunt in Religioſos, eóſque ad nauem duxerunt, timentes ſibi aliàs punitionem à gubernatore infligendam, incurrerint aliquam cenſuram?

Tertio, an illam incurrerint illi qui in naui illos quaſi carceratos cuſtodiebant, quaſi in vinculis, qui erant milites ſubditi gubernatoris?

1 Ad primum quæſitum dico primo, illos qui gubernatorem aſſociarunt euntem, & intrantem Conuentum

uentum, ignorantes illius propoſitum, non incurrerunt aliquam cenſuram. Conſtat *ex Regula* 13. *de Reg. iur. in* 6. dicente: Ignorantia facti, non iuris excuſat. Hi vero aſſociantes ignorantes propoſitum illius gubernatoris habuerunt ignorantiam facti, vt conſtat: ergo excuſantur à pœna excommunicationis ibi impoſitæ: & alias comitabantur ſuum ſuperiorem in re quæ non erat declarata illicita. Maius dubium eſt, an hi iidem, poſtquam viderunt gubernatorem apprehendentem, & ligantem Religioſos, publicéque carcerantem, & proinde incurriſſe in canonem *Si quis ſuadente*, tanquam publicum clerici percuſſorem notorium, an inquam hi poſt hoc factum notorium incurrerint excommunicationem minorem ob communicationem cum notorio clerici percuſſore? Credo quod neque hanc incurrerint ob duas cauſas. Prima eſt, quia illi aſſociantes, vel erant domeſtici domus, vel familiares gubernatoris, vel ſaltem illius ſubditi eo quod ille in temporalibus erat velut prorex illius regni, ac proinde ratione obedientiæ, & ſubiectionis poterant cum illo communicare abſque incurſu cenſuræ, vt omnes communiter Summiſtæ docent in materia excommunicationis, quando explicant cauſas excuſantes illos qui communicant cum excommunicato notorio: dum explicant illa propria verba. *Vtile, lex, humile.* Secunda cauſa illos excuſans à cenſura eſſe potuit timor mali grauis ſibi probabiliter euenturi ſi ſuum gubernatorem iracundum, & potentem in communicatione vitarent.

2 Ob cauſam ſecundam proximè dictam, credo etiam quod illi qui de mandato gubernatoris manus iniecerunt in Religioſos, eoſque ad nauim duxerunt; ſi probabiliter, & vehementer timerent graue damnum

num ſibi inde euenturum ſi non facerent, credo quod non incurrerunt cenſuram aliquam. Moueor ad hoc credendum, quia cenſura poſita ab Eccleſia eſt lex poſitiua, vt patet: qui autem violat legem purè poſitiuam ob metum cadentem in virum conſtantem, non peccat, neque incurrit cenſuram: ergo iſti non incurrerunt. Maior & Minor ſunt claræ. Conſequentia benè deducitur, & ſupponit quod iſti ſic ligantes Religioſos ex mandato gubernatoris habuerint metum cadentem in virum conſtantem, quod ſic probo: nam ſciebant gubernatorem eſſe iracundum natura ſua, videbant etiam illum carcerare Religioſos non ſubditos: & à fortiori probabiliter timere potuerunt idem facturum gubernatorem circa ſui ipſius ſubditos, ſi mandatis illius non parerent, & quod illos carceri manciparet ſi non obedirent. Quod autem metus carceris ſit metus cadens in virum conſtantem, ſi immineat à viro potenti, & iracundo: eſt communis Doctorum, dum explicant cauſas ſufficientes ad incutiendum metum cadentem in virum conſtantem; quod ex illis colligo, & ex traditis à Sanch. *lib. 4. de matrim. diſp. 6. maximè n. 13.* vbi citans Baldum, Dec. Bero. Sigiſmundum Bertachinum, dicit, quod licet vir potens, & iracundus non faciat minas, ſi tamen aliquid præcipit vultu terribili, ſufficit ad cauſandum metum cadentem in virum conſtantem: multo magis vero præponderat timor carceris, & in gubernatore iracundo, qui hanc comprehenſionem Religioſorum probabiliter debuit præcipere vultu terribili, & iracundo. Et rem compendio reſoluens dico, quod metus cadens in virum conſtantem relinquitur iudicandus iudicis, vel prudentis arbitrio, vt tradit Sanchez *eod. lib. 4. diſp. 5. ad initium.* citans multos. Et quod in particulari metus carceris (quem iſti

isti timere poterant) sit sufficiens ad causandum metum cadentem in virum constantem, tenet Sanchez *cit. disp. 5. num. 9.* citans ad hoc multas leges, & Doctores, quando carcer est diuturnus, & atrox: & satis timere poterant talem carcerem, & iacturam aliorum bonorum, subditi in hoc non parentes gubernatori iracundo, & carceranti Religiosos non subditos.

3 Obiicis contra prædicta: nam Clericus, & persona Ecclesiastica de iure diuino, & naturali est exempta à iurisdictione sæculari, vt tenet Sotus *in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 2. concl. 5.* & probat Comitolus *lib. 1. Resp. Moral. quæst. 93.* citans multos, & multas rationes adducens. Ergo isti sæculares subditi gubernatoris, non poterant illi obedire in re, quæ est contra ius diuinum naturale, absque peccato mortali, & proinde absque incursione censuræ; & id quantumcumque incuteretur metus cadens in virum constantem: nam propter euitandum talem metum non licet violare legem naturalem etiam cum peccato veniali, quale est mendacium.

4 Ad hanc obiectionem multæ sunt responsiones. Prima est Soti, dicentis cit. loc. non constare expresse an Clerici sint exempti à potestate sæculari, de iure diuino naturali, licèt sit ad illud valdè conforme. Et Bellarm. *lib. 1. de Clericis, cap. 28. propos. 2.* solum ait esse de iure diuino, quod Clerici sint exempti à potestate sæculari in causis quæ sunt merè Ecclesiasticæ, vt sunt illæ, quæ pendent ex Euangelio, quales sunt causæ Sacramentorum, & similes: innuens quod in aliis non sunt de iure diuino naturali exempti, & Rodrig. *tom. 3. Summ.* verb. *Immunidad de la Iglesia, cap. 203. n. 1.* dicit, quod non est propriè de iure diuino immunitas Ecclesiæ in Testamento nouo, & loquitur de Ecclesia

mate

materiali pro refugio reorum: si vero Ecclesia materialis non sic est de iure diuino exempta, neque erit Clericus de iure diuino naturali exemptus; cum Clericus propter ipsius Ecclesiæ ministerium sit exemptus. Hoc dico de iure diuino propriè loquendo, seu primariò: & dato quod sit Clericus exemptus à dicta potestate de iure diuino, erit de iure diuino remoto, & non claro, in quo isti vincientes Religiosos ob metum cadentem in virum constantem potuerunt habere ignorantiam, vel excusationem. Addo quod poterant excusari credentes gubernatorem habere aliquam concessionem Papæ, vel iuris, vt tales Religiosos ob aliqua delicta vinctos mitteret ad suos Prælatos superiores. Quod posse facere iudicem sæcularem, constat exemplo Clerici reperti de nocte, in aliquo delicto, quem iudex sæcularis potest vinctum ducere ad suum Prælatum: & stante dubio an subditus principi teneatur obedire, tenetur obedire, vt omnes communiter dicunt. Secunda solutio est huius obiectionis; quod licet demus personam Clerici de iure diuino naturali esse exemptam à potestate sæculari, in tali casu peccarent isti vincientes Religiosos contra ius illud naturale, sed non incurrerent censuram excommunicationis ab Ecclesia positæ; quia hæc excommunicatio non est de iure naturali, sed de iure positiuo Ecclesiæ, quæ non obligat cum tanto periculo, qualis est metus cadens in virum constantem: & sunt diuersæ valdè res præceptum diuinum naturale de Clerici exemptione, & præceptum Ecclesiæ positiuum excommunicantis percutientem Clericum. Neque est res noua, vel impossibilis, quod aliquis peccet contra aliquod præceptum naturale, & tamen non incurrat censuram annexam illi peccato per Ecclesiam. Sic docet in terminis Suarez

tom.de censuris,disp.4.sect.8.n.19. diens, quod si vnus actus est prohibitus lege diuina naturali, & simul est prohibitus per Ecclesiam sub excommunicatione; in tali casu ille qui scit casum prohiberi per ius naturale, sed ignorat prohibitionem Ecclesiæ sub censura, si violet tale præceptum, peccabit mortaliter, sed non erit excommunicatus, ob claras rationes quas ibi adducit. Quod exemplum euidenter probat hanc nostram secundam responsionem: quia non minorem vim habet metus cadens in virum constantem ad excusandum à censura Ecclesię (qualem metum suppono hos habuisse) quam habeat ignorantia ad excusandum ab eadem censura Ecclesiæ.

5 Ex his patet responsio ad tertium; dico enim neque illos, qui in naui custodierunt Religiosos vinctos, incurrisse censuram canonis, propter eundem metum cadentem in virum constantem: imo addo hos custodes nauis cũ maiori probabilitate potuisse sibi timere malum inferendum ab iracundo gubernatore, quam alij præcedentes, videlicet manus iniicientes in Religiosos: nam à simili, maior pœna imponitur custodi carceris, qui soluit vinctum positum in carcere per ministros iustitiæ, quam minister iustitiæ, qui non apprehendit delinquentem: ille enim punitur pœna mortis per leges regni, non vero iste secundus. Cum ergo custodes in naui essent sicut custos carceris, maiorem indignationem gubernatoris iure timere potuerant, si Religiosos soluerent, quam priores qui vinctos illos ad nauem deduxerunt.

6 Post responsiones datas ad singula dubia proposita: nunc pro maiori corroboratione dictorum adduco vnum, vel alterum exemplum, & sit primum exemplum Nauarri *qui lib.5.consiliorum.tit. de sententia excommu-*

communicationis, consilio 31. dicit Christianos captiuos apud Turcas, qui ibidem Turcarum iussu Triremes fabricant, vel in illis remigant, scientes quod in illis triremibus Turcæ inuadunt, & spoliant, & occidunt Christianos, nihilominus Christianos illa duo facientes non peccare mortaliter, neque incurrere censuram Bullæ Cœnæ positam contra iuuantes Turcas contra fideles, quia id faciunt propter metum verberum, vel mortis à Turcis inferendorum. Ratio præcipua Nauarri est, quia fabricatio Triremium, vel remigatio in illis non sunt actus intrinsecè mali, cum possint licitè fieri, & cohonestari fine licito: & captiui illa duo facientes faciunt illa ad bonum finem, id est ad euadendam mortem, vel durissima verbera. Non enim tenetur captiuus fabricare, vel remigare ad finem intentum per Turcas. Idem videtur posse applicari ad nostrum casum. Nam apprehendere Religiosos, vel illos custodire in naui, non sunt actus intrinsecè mali: possent enim aliàs licitè fieri, si ex iussu superioris Prælati aliquis illos apprehenderet, vel custodiret, vt Prælatus superior ob culpas puniret: cum ergo hi actus vinciendi, & custodiendi Religiosos non sit actus intrinsecè malus, potuit fieri à prædictis gubernatoris subditis ob finem licitum, & bonum, videlicet ad euadendum malum carceris, & bonorum temporalium iacturam inferendam à gubernatore iracundo illa duo præcipiente: & citat Nauar. pro se D. Thomam, Innocent. Adrianum. Secundum exemplum sit Cordubæ citati à Sanch. *tom. Decal. lib. 1. cap. 7. num. 18.* Neque dissentit ibi Sanch. Exemplum vero Cordubæ *est in Sum. q. 137. dubio 2.* vbi dicit Nauclerum Cymba transuehentem duos qui vadunt ad duellum perpetrandum, vel alium tertium interficiendum, non

peccare m. si graue damnum subiturus sit non transuehendo:& potest etiam dari tertium exemplum positum à Sà *in aphorism.* verb.*peccatum*,*n.*9.non reprobatum à Sanchez citato loco.Exemplum Sà, est,fas esse admouere scalam furari volenti, dare ensem paranti alium occidere,vel offendere vbi occidendus existit,quando iusta causa vrget, dummodo causa vrgens sit proportionata his damnis: & alia ibi dici Sanchez citato *numer.*18.& 19. quæ iuuant ad responsiones datas à nobis. Et in eodem *n.*18.in medio citat Sanchez multos, & graues Doct.Recentiores,qui dicunt,id quod primo diximus ex Nauar.non peccare,scilicet Christianos captiuos illa duo supradicta facientes: & licet ibi Sanch. citet Nauarrum pro opinione contraria *in Sum.*tamen *in lib consil.*à me citato in loco,asserit quod ego supra ex illo dixi in primo exemplo.

CASVS X.

De quodam Religioso translato de vno ordine ad alium strictiorem.

QVidam Religiosus professus in certa Religione approbata petiit licètiam à suo Prælato transeundi ad aliam Religionem clarè strictiorem & perfectiorem,sed illam non obtinuit. Ille denegata licentia intrauit ordinem strictiorem, habitúmque Nouitiatus recepit, ac de præsenti est Nouitius. Prælatus ordinis relicti accusat, & allegat ad ipsum reuocandum, quod sua Religio relicta gaudet priuilegio cuiusdam tertiæ Religionis, cui tertiæ conceditur ne Religiosi illius

illius possint transire ad aliam Religionem etiam strictiorem nisi prius petita, & obtenta licentia sui Prælati: quo priuilegio gaudet illa Religio vnde iste exiuit, per communicationem priuilegiorum: & ex consequenti per dictum priuilegium voluit illum reuocare, quia licet petierit licentiam, tamen non obtinuit.

Quæsitum est primo, an dictum priuilegium concessum illi tertiæ Religioni ad non exeundum nisi prædicto modo, faueat huic Religioni vnde prædictus exiuit sine licentia obtenta, vt possit proinde Religio relicta illum reuouare?

Quæritur, an si, non obstante tali litigio, Nouitius professionem emittat in illa Religione strictiori, professio teneat, ita vt non possit reuocari à prima Religione?

1 Ad primum dubium dico, quod Religio *illa*, quæ communicat in priuilegiis cum alia, virtute alicuius priuilegij, quod participat, potest agere, ac lites mouere, vel se defendere contra quamcumque aliam Religionem. Declaro sic. Concessit Papa priuilegium Ordini D. Augustini ad certam materiam: Ordo sancti Francisci per priuilegium communicationis participat illud priuilegium Ordinis Augustinorum; potest Ordo D. Francisci illo priuilegio vti, & virtute illius agere, vel se defendere contra omnes alios Religiosos. Ratio principalis est, quia priuilegium quod per communicationem conceditur Religioni D. Francisci, v. g. ita est factum proprium Religionis D. Francisci, ac si eidem primo, & immediatè fuisset concessum. Constat hoc clarè ex compendio Mendicantium in *verb.* communicatio priuilegiorum. §. 12. 22. & 30. in quibus tres Sum. Pontifices concedentes tribus Religionibus, de quibus ibidem, vt communicarent, vel

participarent aliarum Religionum priuilegia; subdunt, vt illis priuilegiis vtantur, *ac si ipsis specialiter concessa fuissent.* vel hoc modo: *Velut si prædicto Ordini nominatim concessa fuissent.* Sic etiam sentit Cordub. *Addit. ad compendium* citato verbo, pro vt citat Capucin. citato verbo. Tenet idem Rodrig. *tom. 1. qq. q. 55. art. 21.* Ratio Cordubæ est ferè illa ducta ex compendio: nam Religio habens hoc priuilegium participatum, iam habet illud factum proprium, & ex æquo illud habet ac Religio cui primo fuit concessum: ergo per illud agere poterit contra quamcumque aliam Religionem, etiam si sit illa cui primo fuit concessum. Neque hoc est priuilegiatum agere contra pariter priuilegiatum, vt Rodriguez explicat citatato *art. & clarius. eodem tom. q. 10. art. 11.* explicans quid sit priuilegiatum agere contra pariter priuilegiatum. Ex hoc patet responsio clara ad primum quæsitum, ac dicendum quod ista Religio vnde exiuit iste Pater per priuilegium participatum tertiæ Religionis posse agere contra Religionem quæ illum recipit: & hoc verius erit si prædictum priuilegium ne Religiosus exeat nisi obtenta licentia, imponat censuram aliquam aliàs exeunti, vel Religioni aliàs illum recipienti: vel annullet professionem in ordine ad quem transiuit: dicens quod derogat iuri communi in cap. *licet, de Regul.* mox citando. Ac proinde tenor priuilegij inspiciendus est.

2 Tota dubitatio est circa secundum dubium, an videlicet, si iste Pater sic translatus non obtenta licentia, durante lite, vel non mota lite professus fuerit in ordine ad quem se transtulit, professio & translatio validæ sint. Ad quod primo respondeo, quod si tenor priuilegij dicat, translati aliàs professionem non obtenta licentia fore nullam: tunc dubium non esse, fore professio

fessionem nullam, quia Papa potest derogare iuri communi capitis *licet, de Regul.* Et facere sic transfatum inhabilem ad profitendum in secunda Religione. Dico secundo, quod si Papa in priuilegio imponat censuram transeunti non obtenta licentia, absque dubio illam incurret transiens non obtenta licentia. Tota dubitatio est, an si priuilegium non annullet professionem transeuntis sine obtenta licentia, sed solum prohibeat sub censura, & nihilominus aliquis transeat non obtenta licentia, & profiteatur in secunda Religione, professio, & translatio validæ sint.

3 Nauarrus *tom. de consilijs, tit. de Regul. concess. 59. primæ impressionis. & 52. impressionis secundæ. n. 3.* ad tertiam quæstionem innuit clarè, quod prædictus Religiosus si petiit licentiam, etiamsi non obtinuerit, non obstante simili priuilegio in contrarium, posse profiteri in ordine ad quem transiuit. Idem clarius tenet Azor *tom. 1. lib. 12. c. 14. q. 4.* Et rationem assignat, quia tale priuilegium solum conceditur vt constet, quod transitus non fiat temerè, vel leuiter; aut cum cœnobij, & ordinis prioris incommodo: si ergo nihil ex his duobus interueniat, proculdubio translatio erit valida, & proinde professio in secundo ordine valebit. Habet hæc opinio magnum fundamentum in iure: nam in capitulo *licet, de Regul.* videtur id definitum, vbi resoluit Papa, quod licet quædam Religiones, de quibus ibi, priuilegium habuerint à Sede Apostolica, ne professus in sua Religione possit transire ad aliam etiam strictiorem, & nihilominus aliquis Religiosus licentiam petierit transeundi ad aliam clarè arctiorem, non obstante quod Prælatus licentiam deneget, poterit licitè transire. Vbi Papa in medio capituli ponit hæc verba. *Quocirca nouerint vniuersi, quibus huiusmodi priuile-*

gium est cõcessum, se ad concedendam licentiam transeundi taliter postulantibus de iure teneri. Vbi vides non solum esse hoc fundatum in iure, sed de iure teneri Prælatos dare petitam licentiam, non obstante tali priuilegio. Quod autem si quis trãseat ad alium ordinem strictiorem, petita & non obtenta licentia, & ibi profiteatur, sit professio valida, si priuilegium sui ordinis relicti non annullet expressè professionem, & deroget expressè prædicto iuri communi, probatur clare: quia Summi Pontifices in suis Bullis quantumcumque rigorosis, & quibuscumque reuocatoriis munitis, nunquam censentur derogare iuri communi nisi id exprimant. Nam correctio iuris odiosa est, & nullo modo admittenda nisi exprimatur, vt Doctores communiter dicunt, & colligi potest à simili ex iis quæ tradit Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 26. num. 7.* Et præterea, quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent, vt habetur cap. *dilectus, il 2. de præbend. & dignit.* de quo patent multa exempla, hoc sufficiat: præcipit Concilium Tridentinum ne Parochus matrimonio aliquos iungat, nisi præcedentibus denuntiationibus; si tamen absque illis ad matrimonium admittat, tenet factum contra prohibitionem Ecclesiæ, vt tenet Sanchez *lib. 3. de matrim. disp. 5.* maximéque ibi videndus in solutione 4. argumenti, licet aliàs Parochus peccet, & puniendus sit. Ergo à simili, licet vna Religio habeat priuilegium prohibens sub censura ne Religiosus illius exeat ad aliam; si tamen tale priuilegium non annullet professionem factam in ea strictiore ad quam transiuit, iurique communi deroget, quidquid sit de peccato, & censura, factum tamen tenebit. Dato autem, quod priuilegium prædictum excommunicet aliàs, seu alio modo transentem, si aliàs non annullet, tenebit professio

feſſio excommunicati: nam profeſſio excommunicati: etiam declarati, valida eſt, vt tenet, ac probat copiose Sanchez *tom.2. Decal. lib.5.cap.4.* Quod autem iuris correctio vitanda ſit, vt paulo ſuprà dixi, adeo verum eſt, vt dicat Sanchez *lib.1.de matrim. diſput.17. num.6.* cum quinque, vel ſex grauiſſimis Canoniſtis ibi citatis, quod recedendum ſit à propria verborum ſignificatione, ne detur iuris correctio. Poptet hæc omnia, hæc opinio Azorij, & Nauarri eſt ſatis probabilis, neque ego condemnarem illum, qui illam ſequeretur in praxi.

4 Verum diſputandi gratia, & vt omnia referamus ad hoc ſpectantia, contrariam opinionem tenet Rodrig. *tom 3.qq.quæſt.52 art.20.* Relicto Nauarro quem citat, & ibidem citat Rodrig. priuilegium Eugenij IV. conceſſum Patribus Benedictinis in Hiſpania, per quod prohibet ne fratres illius Ordinis poſſint tranſire ad alium Ordinem ſine licentia Reformatoris, vel Abbatis Conuentus: & declarat quod licentia debet eſſe petita, & obtenta. Iuxta quod priuilegium ait ibi Rodrig. quod in noſtro caſu non valet translatio Religioſi ad alium Ordinem petita ſolum, & non obtenta licentia, vt olim licebat per cap. *licet, de Regular.* ſupra citatum. Et ponit ibi Papa excommunicationem reſeruatam illius Religioſis qui aliter exierint, & Prælatis alterius Ordinis, qui illos receperint. Addit Papa quod prædictam cenſuram incurrant detentores talis Religioſi indebitè tranſlati, ſi requiſiti à Patribus Benedictinis intra triduum illum detentum non reddiderint, Ex quibus vltimis verbis colligo, mentem Papæ eſſe profeſſionem talis in ordine ad quem tranſiit, non valere: cum enim iubeat vt Religio detinens illum ſtatim reddat Benedictinis, nec diſtinguat de ſtatu quem

sam habeat, nec si diuturno tempore, vel paruo sit apud illos Religiosos detentores, videtur velle, quod in quocumque statu sit, siue professus secundo, siue non professus, possit repeti, quia cum lex non distinguit, neque nos debemus distinguere: ac proinde professio emissa non valet facta contra modum assignatum in Religione ad quam transiit. Secundo potest probari ex iis quæ tradit Sanchez citato *lib. 3. de Matrim. disp. 5.* In solutione ad quartum, vbi ait, illud commune dictum Iuristarum, quod multa facta contra legem valent, esse limitandum quod non valeat factum contra legem, quando in tali lege assignatur forma essentialis seruanda in actu: si enim tunc fiat contra legem, factum non tenet. At illa priuilegia particularia concedentia ne Religiosi transeant ad alium ordinem nisi petita, & obtenta licentia, assignant formam essentialem seruandam in translatione Religiosi ad alium ordinem vt patet: ergo non seruata hac forma translatio, & professio non valent. Tertio probo, quia de ratione priuilegij est, vt aliquid speciale concedat, vt Iuristæ communiter dicunt, aliàs non esset priuilegium: sed si istud priuilegium Patrum Benedictinorum non concederet vt esset nulla translatio Religiosi non obtenta licentia, nihil noui concederet: ergo non est dicendum oppositum. Probo minorem, quod nihil noui concederet si non annullaret translationem, & professionem. nam ius commune in dicto cap. *licet.* id concedit Religiosis vt si licentiam petierint, etiam si non obtineant, licitè, & validè transeant: ergo aliquid vltra debet dictum priuilegium operari, vt scilicet non obtenta licentia, translatio nec liceat, nec valeat. Quarto efficaciter probo: quia quando duæ leges sunt oppositæ, secunda reuocat priorem, vel illam corrigit, vt fusè, &

effica

efficaciter probat Suarez *tom. de legib. lib. 6. c. 27. à n. 10.* cum multis citatis: sed hæ duæ leges sunt oppositæ, prima scilicet contenta in c. *licet*, dicens quod possit transire Religiosus petita, licet non obtenta. Secunda vero lex contenta in illo priuilegio dicit non posse transire nisi obtenta licentia: ergo cum sint oppositæ, secunda posterior contenta in priuilegio, reuocat, vel restringit illam priorem contentam in cap. *licet, de Regul.* potuit enim Papa subsequens derogare iuri communi capituli *licet:* cum Papa successor possit abrogare legem prioris. Neque opus est vt Papa derogans iuri communi se illud dicat de facto derogare, si per factam legem contrariam, & incompatibilem illi facto ipso derogat, quia cum princeps sit, præsumitur omnia iura habere in pectore: & Proinde scire cuinam iuri deroget, aut velit derogare sua lege oppositæ iuri communi. Vltimo facit ad hoc intentum quod tradit Rodrig. *tom. 1. qq q. 9. art.* 3. vbi citans vnam gloss. iur. dicit esse communem opinionem iuris peritorum, valere priuilegium, etiam si non faciat mentionem iuris, cui contradicit: ergo hoc priuilegium cõcessum Religioni ne suus subditus transeat ad aliam nisi obtenta licentia, erit validum etiam si non faciat mẽtionem citati capituli *licet, de Regular.* per quod conceditur transitus petita, licet non obtenta licentia.

5 Ad maiorem adhuc materiæ explicationem aduerto, quod vltra priuilegium *num. 4. præcedente* citatum concessum Patribus Benedictinis ne sui Religiosi transferantur nisi petita, & obtenta licentia, idem priuilegium concessit Paulus V. Patribus Carmelitis Discalceatis, pro vt refert Sanchez *tom. 2. Decalogi, lib. 6. cap. 7.* qui ibidem refert, idem priuilegium Carmelitarum concessisse Gregor. XIII. Patribus Societatis

tis Ieſu, cum clauſula ne alij Religioſi communicantes in priuilegiis cum eiſdem Patribus Societatis prædictæ, poſſent in hoc priuilegio communicare. Vide tamen quod ego dixi in Epitome eiuſdem Sanch. *ad citatum cap.* 7. vbi aduerto, quod licet prædictus Summus Pontifex prohibuerit ne cæteri Religioſi communicarent in hoc priuilegio prout cõceſſo Patribus eiuſdem Societatis cum clauſulis ibi poſitis à Sanchez, non per hoc videtur prohibuiſſe, quin cæteri Religioſi poſſint communicare in eodem priuilegio quatenus conceſſum fuit Patribus D. Benedicti, & Patribus Carmelitis Diſcalceatis. Vide *in citat. Epitome.*

CASVS XI.

De duobus Religioſis citatis, quibus non eſt datum tempus ſufficiens, nec locus commodus ad reſpondendum.

PRæſentem caſum mihi oblatum volui breuiter hic apponere, ad tollendum certum abuſum in aliqua Religione inueteratum.

Primus eſt. Quidam Prælatus Prouincialis quendam Religioſum poſt viſitationem culpatum inueniens coram ſe vocauit, & illi capitula culparum non leuium obtulit in ſcriptis, per obedientiam iniungens vt intra ſpatium 24. horarum ad illa capitula reſponderet. Quæritur an ſubditus queri poſſit de paruo tempore ſibi aſſignato ad reſpondendum: & poſſit proinde ob hanc cauſam à Prouinciali appellare?

Secun

Secundus casus fuit. Visitauit Prouincialis quemdam Conuentum: finita visitatione Prælatus Conuẽtus timens se in visitatione de aliquibus defectibus à fratribus delatum, petiit à Prouinciali vt sibi copiam faceret de Capitulis culparum suarum, vt ad illa responderet. Prouincialis dixit nihil contra illum in visitatione resultasse, illúmque proinde iussit esse quietum, exiit Prouincialis à Conuentu: & post quatuor menses existens Prouincialis in alia vrbe longe distante vocauit ad se prædictum Prælatum localem, & illi exhibuit capitula grauium culparum, præcipiens illi vt ad obiecta responderet intra spatium 24. horarum, negata illi licentia exeundi à Conuentu pro consilio capiendo. Respondit ille ad obiecta prout potuit: protestatus vt certi testes à se allegati reciperentur in sui defensionem, qui testes erant absentes, videlicet in illo oppido sui Conuentus. Prouincialis citatos testes non vocauit, & contra illum sententiam tulit priuationis officij sui. Appellauit subditus: superior iudex appellationis, iussit vt Prouincialis ad se mitteret processum. Prouincialis confusus, processum non misit, sed vocauit ad se subditum appellantem in secreto, & verbis importunis, ac molestis ferè, obtinuit, vel coëgit vt subditus renunciaret appellationi factæ, & de facto renunciauit. Quæritur an Prouincialis in aliquibus errauerit, & an subditus ille prosequi possit appellationem positam, non obstante quod illi renunciauerit modo prædicto.

1 Ad primum quæsitum respondeo abusum esse intolerabilem ab aliquibus Prælatis intrusum, qui subditis culpatis in re graui culparum capitula exhibentes, eisdem præcipiunt vt respondeant intra spatium 24. horarum. Probo hoc esse intolerabile primo ratione

ne naturali : nam licet Religiosi, maximè Minoritæ, priuilegium habeant à Bonifacio VIII. concessum, ne obligati sint ad seruandos apices iuris in suis processibus : in eodem tamen priuilegio mandat Papa, vt teneantur seruare substantiam iuris canonici, & naturalis: at de substantia iuris est dare reo tempus sufficiens ad se defendendum, sicut est pro se citare testes, consulere doctos, quærere scripturas sibi necessarias, & multa alia concernentia ad suam defensionem, quæ non possunt aduerti, neque considerari in tam breui spatio, quale est 24. horarum. Cum igitur assignato tam breui spatio defensionis denegetur illi copia commodæ naturalis defensionis, sequitur, quod Prælatus tale spatium 24. horarum tantum assignans, non seruat substantiam iuris. Confirmatur exemplo sæcularium, quorum causæ aliquando durant per annum, & hoc in rebus quæ non sunt tanti momenti, quanti sunt aliquando illæ pro quibus aliqui Prælati iubent subdito respondere intra horas 24. Nunc probo hoc esse abusum iniustum, ex iure canonico. Et imprimis habetur clarè in cap. 1. *de dilationibus*, vbi Papa decernit merito quosdam Religiosos appellasse à duobus iudicibus delegatis Sedis Apostolicæ, qui citatis Religiosis vt responderent in certa causa: (sunt verba Papæ) *Terminum sibi nimis breuem peremptorium statuerunt.* vbi gloss. *ver.* peremptorium, citat alios multos textus, ex quibus ostenditur dandum esse reo tempus commodum ad respondendum. Idem habetur in cap *legitima, de appell.* vbi glossa *ver.* competens, dicit quod erit locus appellationis si tempus competens non assignetur. Idem habetur in cap. *Hortamur* 3. *quæst.* 9. vbi Papa Pelagius instruens iudices in modo procedendi, ait. Et competentem legibus, & veritati terminum detis. Quod si obiicias

obiicias aliquando iudices Eccleſiaſticos ſub cenſura excommunicationis mandare vt ſcientes de tali materia vadant denunciare intra ſpatium 24. horarum, vel quid ſimile? Reſpondetur de ordinario non id præcipere niſi intra ſpatium trium dierum, aſſignando vnum diem pro quauis monitione prærequiſita: quod ſi aliquis iudex aliquando iubeat denunciare intra 24. horas, poterit id facere ſi negotium periclitetur propter moram: at denunciare eſt nimis diuerſa res à defenſione: nam vt aliquis denunciet non indiget tempore magno, cum ſolum debeat dicere coram iudice id quod ſcit, & ad hoc non indiget conſultore, ſcripturis, teſtibus, & ſimilibus, & proinde minus tempus illi neceſſarium eſt. Qui vero ſe debet defendere in iudicio, indiget illis omnibus proxime dictis, & multis aliis, & proinde longius illi tempus, & commodum concedendum eſt.

2 Circa ſecundum quæſitum multi veniunt defectus annotandi ex parte iudicis, quos refero, & aduerto ſummariè. Primus eſt, quod fuerit vſus dolo, tum dicendo primo Prælato locali poſt viſitationem nullam de illo ſe querelam habere: tum ſecundo vocando illum poſt quatuor menſes ad locum diſtantem, vbi commodam defenſionem non habebat. Quomodo autem à iudice poſſit committi hic dolus, & quomodo propter dolum poſſit ab officio amoueri, vide Rodrig. *tom.* 2. *qq. Regul. q.* 29. *art.* 3. §. *At pro explicatione.* vbi inter varios modos doli qui poſſunt concurrere in iudice, dicit. Illum iudicem dolum committere, qui callide tacet nolens reſpondere querelis, aut in aliquibus mendacio, aut arte verborum diſſimulat.

3 Secundus defectus ſubſtantialis iſtius Prælati fuit, præcipere reo, vt intra 24. horas reſponderet Capitulis

culpa

culparum grauium, absque tempore commodo se defendendi, de quo sufficienter supra *n.* 1

4 Tertius defectus fuit, citare reum ad locum remotum, & distantem, in quo reus non habebat commodam defensionem, & testium productionem. Et quod commoditas loci sit necessaria ad defensionem naturalem, probatur ex eo quod dicitur in iure, reum non teneri comparere si citetur ad locum non tutum, vt habetur in c. *Ex parte* 10. *de appellat.* cum glossa verb. *Periculosum.* & c. *Sine de coniug.* 33. *q.* 2. locus enim in quo reus caret testibus quos habet in loco vbi habitat, non est locus tutus.

5 Quartus defectus hic interuenit, quod Prælatus iste non vocauit testes illos distantes, quos reus allegauit in sui defensionem. In hoc enim errauit Prælatus iste contra substantiam iuris denegans reo principalem partem suæ defensionis: constat enim ex tela iudicij in titulo *De testibus*, & tit. *De probationibus*, quod præcipua defensio rei consistit in productione testium: cum ergo iste Prælatus oblatos testes à reo vocare noluerit, processit contra substantiam iuris, & ob hanc solam causam, & grauamen potuit reus ab illo appellare, illiúsque sententia fuit nulla.

6 Quintus defectus fuit ex parte iudicis, quod post latam sententiam, induxit, & sollicitauit reum precibus importunis, vt desisteret ab appellatione Hoc enim in rigore fuit vim facere suo modo ne subditus vteretur iure suo claro quod habebat ad appellandum, & se defendendum. Vnde ista desistentia, siue renunciatio appellationis iam factæ fuit renuntiatio nulla, eo quod fuit clare inuoluntaria: pro quo vide quæ suprà dixi in hac secunda parte, casu 8. de Nouitio, qui receptus ad statum clericatus, postea inuitus consensit

profi

profiteri ad ſtatum laicalem: circa quod oſtendimus renunciationem inuoluntariam non valere. Et pro hoc caſu inſuper addo, quod cum iſte Religioſus ſic renuncians maneret læſus in fama, potuit non obſtante ſua renunciatione petere reſtitutionem, & iudex tenetur illum admittere ad appellationem proſequendam, ob nullitatem renunciationis. Pro quo facit: quod nemo poteſt renunciare iuri ad ſe defendendum; ſi vero illi renunciet in cauſa criminali, qualis eſt iſta, poteſt reuocare, vt tenet clarè Bajardus *in Addit. ad Iul. Clar. quæſt. 49. num. 62.* & citat Angelum Marſil. & Franc. cum vna gloſſa iuris ciuilis. Idem tenet Vmbertus *in pract. Inquiſit.* verb. *Defenſiones, §. Nota etiam quod.* addens, quod ſi reus faciat talem reuocationem, non poterit iudex procedere ad executionem: & citat Angelum in l. *pactum inter hæred.* ff. *de pactis.* Adde quod ſicut mihi dictum eſt, quando iſte Religioſus fecit renunciationem prædictam coram Prouinciali, iam ſuperior ipſius Prouincialis acceptauerat appellationem, eáque ſic acceptata ab illo, iam non poterat illi renunciare inſcio eodem ſuperiore.

Probatur ex cap. *quamuis conſtituto. de elect. in 6.* vbi dicitur quod partes non poſſunt deſiſtere ab appellatione, poſtquam fuit Papæ præſentata: & iſte Religioſus iam habebat epiſtolam ſuperioris acceptantis, & petentis proceſſum.

CASVS XII.

De quibuſdam Clericis obligantibus hæredes defuncti, & ſepulti apud Religioſos, vt faciant tot officia, & legata apud ſe, quot fiunt apud Religioſos.

IN Inſulis Tertiariis fuit intruſa conſuetudo, quod ſi aliquis eligit ſepulturam apud Conuentum Religioſorum, Clerici obligant hæredes, vel executorem teſtamenti vt tot officia, & legata iubeant fieri in Eccleſia ſua Parochiali, quot facta ſunt in Conuentu, inquo fuit ſepultus. In quo Conuentus valdè damnificantur, quia multi ea de cauſa ſæculares non eligunt ſepeliri apud Religioſos, ob grauamen inferendum ſuis hæredibus: eſt etiam grauamen hæredum, qui coguntur duplicare officia, legata, oblationes, & ſimilia.

Quæritur an poſſint Vicarij, Parochi, vel Clerici obligare hæredes defuncti ſepulti apud Religioſos ad ſupra dicta.

Primo, Reſpondeo omnino, quod non poſſunt, & contra facientes inferunt violentiam claram, & committunt iniuſtitiam. Probo primo, quia cum iſta obligatione impoſita deterrent homines clarè à ſepultura liberè eligenda vbicumque voluerint: ius enim ſepulturæ liberum eſt, vt patet ex toto titulo de ſepulturis in iure: quod autem per impoſitionem huius obligationis deterreantur, & fere priuentur homines libertate ſepulturæ, conſtat ex claro grauamine dandi Eccleſiæ Parochis, illa omnia ſupradicta, quæ defunctus non legauit, imò dare noluit. Redundat etiam in claram,

tam, & magnam læsionem Conuentuum pauperum, maximè Franciscanorum, qui ob talem obligationem impositam à Clericis, amittunt eleemosynas sepeliendorum apud se, ex quibus sustentantur. Quæ causa siue molestia sufficiens fuit vt D. Papa Clemens VIII. concesserit priuilegium, fecerítque Decretum huic nostro casui valdè fauorabile, quod habetur apud Rodrig. in suo Bullario *fol.* 1225. quod sic habet. Informatus Papa quod Rectores, & Parochi in India Occidentali petebant maiores eleemosynas propter fideles sepultos apud Conuentus D. Francisci, quam petebant pro defunctis apud Ecclesias Parochiales: mandat Papa prædictis Parochis sub pœna excommunicationis ne talem exactionem eleemosynæ faciant: & assignat Papa hanc rationem, vel illam illi oblatam à petentibus, assignat pro causa sui mandati. *Plerique* (ait Papa) *Christi fideles ob difficultatem ius adeo oneroſum perſoluẽdi*, &c. & paulò post subdit hæc verba. *Quo fit, vt Eccleſia huiuſmodi mortuorum ſepulturis, & conſequenter eleemoſynis in dies fieri conſuetis propemodũ priuentur*, &c. Quo nihil clariùs ad nostrum casum dici potuit. Vnde ego sic argumentor: Fratres omnes Minoritæ, & proinde commorantes in Insulis supradictis gaudent hoc priuilegio, prout est notorium: & dato quod illud non sit priuilegium, sed nuda iuris Papalis dispositio: constat quod vbi est eadem ratio, est eadem iuris dispositio, cap. *dudum, il* 2. *de elect.* & c. *cum dilecta, de confirm.* vtili, vel inutili, & l. *illud. ff. ad* l. *Aquil.* de quo latè, & optimè Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 42. *num.* 4. ergo cum exactio Clericorum in Insulis citatis quoad prædicta, habeat omnimodam rationem, & similitudinem cum exactione Parochorum apud Indiam Occidentalem circa sepultos apud Franciscanos, erit vtrobique

eadem legis disposítio Clementis VIII. & proinde mandatum D. Papæ Clementis VIII. Proximè citatum practicandum est circa Clericos, & Parochos Insularum Tertiariarum. Secundo principaliter probatur, quia legatum, & oblationes debent esse voluntariæ: patet ex diffinitione legati, qua definitur esse donatio facta per mortem defuncti, at de intrinseca ratione donationis est vt sit voluntaria, est etiam de intrinseca ratione eleemosynæ vt sit voluntaria, vt patet: idem est in oblatione, cuius intrinseca ratio, imo & etymologia petit vt sit voluntaria: ex his constat quod non possunt Clerici Insulani petere hæc duplicata officia in sua Ecclesia fieri, quia nec ratione legati: nec ratione eleemosynæ, nec ratione oblationis illa possunt exigere, cum defunctus ea non legauerit, neque hæres ea dare velit voluntariè, & repugnat naturæ illorum trium vt exigantur coactè. Tertio, ista consuetudo exigendi vt in Parochia fiant duplicata legata vel officia, saltem indirectè impedit libertatem ne fideles liberè eligant sepulturam vbi voluerint, propter onerosum grauamen hæredum vt suprà tetigimus: ergo propter hanc solam causam non est rationabilis, nec proinde toleranda: probatur consequentia per illa, quæ optimè, & appositè tradit Panorm. in cap. *dudum, de elect.* vbi citat vnam glossam dicentem, quod prohibitus directè aliquid facere, prohibetur etiam indirectè illud facere. Quarto probatur ex praxi generali Ecclesiæ, saltem in isto Regno Portugalliæ, in quo nunquam practicata est talis consuetudo, de qua est præsens quæstio: consuetudo vero regni, vniuersalis, & rationabilis præuarere debet, potius quam illa particularis, & irrationabilis, & læsiua proximi in Insulis intrusa. Quinto adduci potest pro hoc casu, ille alius casus adductus à

Sylvest.

Sylueſt. *verb. immunitas Eccleſiæ* 3. *quæſt.* 9. & verb. *ſimonia, quæſt.* 11. in fine, vbi ait, quod ſi Capitulum, vel collegium faceret ſtatutum, quod decerneretur, ne aliquis Parochianus vocaret Religioſos ad ſepeliendum ſuum defunctum, niſi etiam vocauerit ipſum Capitulum, pro eodem defuncto aſſociando, vt eidem Capitulo aliqua eleemoſyna inde donaretur, dicit Sylueſt. quod tale ſtatutum eſſet contra libertatem Eccleſiaſticam, & proinde iniuſtum: quia priuat Religioſos illa aſſiſtentia, & commodo aſſociandi funeralia. Et addit Sylueſt. quod tale ſtatutum eſſet ſimonia negatiua: id eſt, quia non vult concedere ius illud quod habent Religioſi in re ſpirituali, videlicet ſepeliendi mortuos, niſi ipſis Clericis aliquid temporale cõcedatur, vt illud ius Religioſis permittant. Quæ omnia facilè, & ſuauiter applicantur ad noſtrum caſum. Nam cum iſta obligatione quam Parochi Inſulani imponunt hæredibus defuncti impediunt ſaltem facto, & indirectè ne Religioſi ſepeliant defunctos in ſuis Monaſteriis, ad quod habent priuilegium, & libertatem: & præterea impediunt ne Religioſi vtantur iure ſuo ſpirituali in ſepeliendis defunctis, niſi ipſis Clericis detur aliqua eleemoſyna quæ non eſt eleemoſyna, cum ſit coacta, vt diximus. Vltimo poteſt hoc confirmari per id quod dicit D. Gregorius Papa in cap. *vendentes* 1. *q.* 3. vbi loquens de ſimoniacis, quorum alij vendunt ſpiritualia, alij vero illa emunt: ait ſanctus Papa, quod eſt ſimonicus ille qui non vult ſoluere proximo quod iuſtum eſt, & rem iure debitam facere contemnit abſque pretio dato: at de iure debito eſt vt quiſque liberè, & ſine pretio dato eligat ſepulturam vbi voluerit, & proinde non poteſt obligari ad aliquid propter hoc ſoluendum.

2 Neque obſtat contra hoc Clericorum ratio, qua

dicunt se prædictam obligationem defuncti hæredibus imponere propter laborem quem passi sunt Clerici in vita pascentes illum defunctum suum Parochianum pastu spirituali, sacramenta administrando, docendo, & prædicando, quia dignus est operarius sua mercede iuxta Euangelium. Non obstat, quia prædictus labor Parochi in pascendo suo Parochiano sepulto apud Religiosos, ex Decreto Ecclesiæ, & ex iudicio Ecclesiæ sufficienter compensatur per solutionem quartæ funeralis, quam iubet Ecclesia solui Parocho ex delatis cum defuncto suo Parochiano sepulto apud Religiosos: vt constat ex multis textibus iuris, & in particulari habetur in cap. 2. *de sepult in 6.* vbi Papa dicit, quod defunctus sepultus extra suam Parochiam *soluat canonicam portionem illi Ecclesiæ, in qua consueuit audire diuina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta,* Sic ibi. Quasi dicat, quod prædicta quarta canonica soluitur Ecclesiæ Parochiali propter laborem Parochi in prædicto pastu spirituali perpessum. Si ergo Ecclesia taxauit solutionem laboris Clerici Parochi cum dicta quarta funerali, quo iure potest Parochus vltra istam Ecclesiæ taxam, pro suo labore petere, & exigere, vt tot officia, & legata fiant in sua Ecclesia Parochiali, quot defunctus fieri iussit in Monasterio suæ sepulturæ. Iam vero ex praxi Ecclesiæ, & ex mox citandis, quarta pars funeralis non debetur ex officiis, vel Missis, vel candelis, quæ defunctus reliquit Monasterio in quo sepelitur, vt expressè docet Rodriguez *tom.* 1. *qq. q.* 39. *art.* 2. & Miranda *tom.* 2. *Manual. q.* 48. *art.* 7. vbi dicunt, quod quarta funeralis nec de officiis, neque de Missis relictis Ecclesiæ sepulti debet solui Parocho, sicut praxis, & generalis consuetudo obseruat, sed solum de illis quæ cum corpore defuncti deferuntur,

tur, quale est vinum, triticum, oleum, & similia: at vero officia, & Missæ non deferuntur cum corpore defuncti. Et confirmatur amplius, seu declaratur: nam dato, & non concesso, quod de officiis, & Missis relictis Conuentui soluenda esset quarta funeralis, non esset soluenda in æquali portione, vt isti Parochi prætendunt. Declaro sic. Reliquit defunctus vnum officium defunctorum dicendum pro anima sua in Conuentu Fratrum, & viginti Missas: demus per te, quod istæ missæ, & officium debeant quartam funeralem Parocho (quod citati Doctores negant) demus tamen ita esse: eo dato, non debetur Parochiæ, nisi quarta pars illius officij, & quarta pars illarum Missarum. Vos autem ô Parochi petitis aliud integrum officium, & alias viginti Missas, quod non est quarta funeralis, sed tantumdem quantum relictum est Ecclesiæ Regulari vbi est sepultus defunctus: & addit Rodrig. cit. loco, quod sic declarauit Pius V. non deberi quartam funeralem, nisi de illis quæ portantur cum corpore defuncti, non vero de Missis, officiis, & similibus. Et quamuis Clemēs V. in Clement. *dudum, de sepult.* dicat, quod Religiosi soluant quartam funeralem, *de obuentionibus omnibus, tam funeralibus, quam quibuscumque, & quomodocumque relictis.* Tamen consuetudo tot postea annorum introduxit licitè ne soluatur quarta de officiis, & Missis, accedente declaratione Pij V. & authoritate Doctorum: & fauet Concil. Trident. *sess. 25. cap. 13. de reform.* vbi in soluenda quarta funerali, vel non soluenda dicit standum esse consuetudini quadraginta annorum: & ista consuetudo de non soluenda quarta de Missis, & officiis durat in praxi Ecclesiæ plusquam prædictum spatium annorum.

3 Et adhuc ad hoc intentum inseruire potest caput

vnicum, *de plus petionibus*. in quo Papa Gregorius IX. ait, quod puniatur ille qui petit quod sibi non debetur; & constat ex omnibus supradictis, quod isti Parochi Insulani petunt quod sibi non debetur. Neque fauebit his Parochis, si dicant esse pro illis consuetudinem quadraginta annorum, vel præscriptam, vt sic obligent hæredes defuncti ad prædicta: nam consuetudo contra bonum proximi non potest præscribi, quia est irrationabilis, vt inter alios tenet & probat Suarez *tom. de leg. lib. 7. capit. 4. num. 4. & seqq.* at ista consuetudo, seu corruptela Parochorum, est clarè contra bonum proximi, videlicet hæredum defuncti, & Religiosorum, quibus grauamen clarum infertur, iuxta prædicta: ac proinde non potest præscribi; & pro maiori confirmatione refero mihi dictum esse, quod in eadem Insula bis iam iudicatum est in tribunali Episcopi iuxta hanc nostram opinionem. Vide infrà in hac 2. parte, casum 26. pendentem ab isto 12.

Vltimo pro isto casu aduerto, nouissimè declaratum fuisse ab Illustriss. DD. Cardinalibus Romæ, non teneri hæredes defuncti sepulti apud Regulares, facere celebrari tot Missas, vel officia in Ecclesia Parochiali Clericorum, quot celebrata sunt in Ecclesia Regulari vbi defunctus sepultus est. Ita habetur *in Declationibus Cardin. & Rotæ*, impressis Madriti anno 1627. de mãdato Nuncij Apostolici Hispanię *fol. 44. pag. 2. §. Y. que los hederos*

CASVS

CASVS XIII.

De quadam Bulla Domini Papæ Gregorij XV. in qua aliquam superintendentiam concessit Episcopis super Moniales subditas Regularibus

DOminus Papa Gregor. XV. per particularem Bullam concessit, ac decreuit, quod Episcopi in aliquibus rebus possent, ac deberent se immittere circa regimen Monialium subditarum Prælatis Regularibus, Inter alia, præcipua hæc fuerunt. Primum, ne Prælati Regulares possent assignare Monialibus confessorem ordinarium, vel extraordinarium (id est alleuiador) nisi prius prædicti confessores fuerint approbati per Episcopum, approbatione particulari, excepta priori approbatione, qua approbantur generaliter ad confessiones sæcularium audiendas. Secundum fuit, vt procuratores Conuentuum Monialium, siue sint fratres, siue sæculares, teneãtur quotannis ratiocinium reddere coram Episcopo de redditibus singulis, & expensis Conuentus. Tertium, vt existente causa, possit Episcopus monere Prælatum Regularem, vt ab officio amoueat confessorem, vel procuratorem Conuentus Monialium idque Prælato non exequente, possit illos Episcopus amouere. Quartum, vt Episcopi possent assistere in electionibus Abbatissarum, & Prælatorum subditarum Regularium, & in illis præsideat. Quod ferè moraliter nunquam per seipsos facere possent: sed deberent ad hoc deputare Clericos delegatos.

Pralati Religionum habentes sub se Conuentus

Monialium, tanquam experti in hac materia, attendentes inconuenientia, & incommoda resultantia ex prædictis concessionibus & Decretis, omnes vnanimiter Olyssipone congregati, tractare cœperunt de supplicatione facienda Summo Pontifici pro impedienda executione prædictæ Bullæ, vnicuique Religioni cõmendatum est vt particulares rationes excogitaret Pontifici maximo offerendas pro dicta supplicatione impetranda. Mihi iniunctum fuit à Prælato; vt de meo tenui ingenio proferrem quæ sentirem: & vt Prælato parerem dixi sequentia. Quæ fortè poterunt in posterum pro similibus casibus deseruire.

Rationes communes ob quas non conuenit obseruari prædicta Decreta,

1 ANtequam primam rationem in genere assignem, ob quam non expediat supradicta Decreta obseruari, suppono vt certum in iure naturali, neminem deiiciendum esse à gradu, & statu honorifico, quem habet, nisi prius audiatur. Sufficiat pro hoc totus titulus *de restitut. spoliat.* maximè ibi cap. *in literis.* vbi Papa dicit quod secundum leges ciuiles, etiam latro est prius restituendus, & audiendus, quam re possessa spoliandus. Cum igitur regimen Monialium à tot Pontificibus tot Religionibus concessum, sit officium honorificum quod possident, conueniens videbatur, vt ante hæc Decreta per quæ Prælatis Religiosis prædictum regimen vel adimitur, vel restringitur, ferè cum illorum infamia, prius monerentur, vel audirentur, vt de suo regimine redderent rationem. Priuilegia enim quæ principes sæculares concedunt subditis, illa eisdem non auferunt nisi ob culpas, eósque prius audien-

do.

do. Secundo constat etiam ex cap. *Si quãdo, de rescript.* quod si aliquando Papa iubet alicui, v.g. Episcopo, vt aliquid faciat, si ex illo quod Papa præcipit resultat aliquod scandalum, vel inconueniens, quamuis id Papa iubeat sub censura excommunicationis, potest nihilominus is cui mandatur, non implere, & ad Papam rescribere, assignando rationes, ob quas non expediat tale mandatum executioni mandare; quod vocant Doctores supplicare, vel facere supplicationem Papæ. De qua supplicatione, quomodove sit facienda Summo Pontifici, tractat Suarez *lib. 4. de legib. cap. 16. à num. 5.* Tertio, & suppono posse contingere, vt Papa licet aliàs non possit errare in illis quæ Doctores Catholici docent; tamen potest aliquando aliquid concedere propter nimiam importunitatem precum, vel propter falsam sibi porrectam informationem. Et quod attinet ad concessa per importunitatem, habetur expresse in cap. *quia per ambitiosã, de rescript. in 6.* vbi Papa ponit hæc verba: *Per ambitiosam importunitatem petentium tam nos, quam nonnulli prædecessores nostri indulgentias perpetuas multis concessimus*, &c. & paulò infra ponit hæc verba: *Nos volentes emendare præterita*, &c. vbi glossa verb. *Importunitatem.* multa citat ad intentum, quæ ibi videas. Quod potuit contingere in hoc nostro casu, vt videlicet aliqui à Summo Pontifice prædictam Bullam impetrarent, tum ob importunitatem. tum ob falsam informationem propositam Summo Pontifici, vt sæpè fieri solet: sed ille tandem emendat præteritum, vt in hoc casu emendauit, non procedendo ad executionem, propter exhibitam supplicationem. Quo vero sciatur fundamentum supplicationis tunc exhibitæ, & appareat bona fama regiminis Regularium circa Moniales sibi creditas, & prouideatur casibus futuris, accedo ad rationes

rationes communes pro Bullæ prædictæ executione impedienda per ſupplicationem.

2 Primo. Prælati Regulares per priuilegia Pontificis ſunt in poſſeſſione honorifica gubernandi Moniales ſuas abſque illis reſtrictionibus, & delegationibus factis Epiſcopis: & prætendunt probare quod in illarum regimine non commiſerint culpas, ob quas ſibi nunc imponi debeant prædictæ reſtrictiones, & aſſignari Epiſcopos aſſiſtentes, ſiue ſuperintendentes in regimine: ergo, cum neque princeps ſæcularis priuet ſuos ſubditos conceſſo priuilegio niſi ob culpas, & demerita, congruum eſt, vt Summus Pontifex omnium benigniſſimus non priuet Prælatos Regulares priuilegio illo honorifico gubernandi Moniales ſine illa aſſiſtentia, & ſuperintendentia Epiſcoporum abſque culpis probatis, illiſque prius auditis. Et confirmatur hoc argumentum: nam ſi, quando Papa dat aliquod reſcriptum gratiæ, vel iuſtitiæ, ſolet apponere clauſulam, *Si preces veritate nitantur*, & hoc quando agitur de commodo, vel præiudicio vnius tantum: à fortiori hoc debet in hoc caſu intelligi, quando talis Bulla à Domino Papa impetrata eſt (fortaſſe per illos qui Religioſis non ſunt bene affecti) & debuit intelligi clauſula, ſi preces, vel informationes, veritate nitantur, vbi concurrit fama, & honor tot Religionum. Secundo, quia iuxta Regulam 16. *de regul. iuris in* 6. priuilegium principis debet eſſe manſurum: & hoc priuilegium gubernandi Moniales abſolutè, abſque his reſtrictionibus tot ab hinc annis Religioſis Prælatis conceſſum, & heri in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *de Regul.* per tot capita confirmatum, hodie ſic illis reſtringitur, vt in parte laudabilius illis foret in totum ab illarum regimine abſtinere, quam cum tot reſtrictionibus, & ſubiectionibus

nibus ad Episcopos acceptare. Tertio, intentio principalis præsumpta istius Bullæ, ac restitutionum, cognoscitur esse quod Dominus Papa fuit informatus Prælatos Regulares malè procedere in regimine spirituali, ac temporali Monialium, ideóque eosdem subdit Episcopis in certis rebus hic designatis, innuens melius, ac vigilantius Episcopos super illis fore prouisuros, & maiori cum zelo Monialium negotia prospecturos: nos autem probare intendimus non sic esse: sed aliquando oppositum euenire. Sufficiat nobis ad hoc, vnum exemplum in Monialibus sanctæ Claræ. Hæ in prima sua fundatione erant subiectæ gubernationi vnius Cardinalis, qui per se raro, & per visitatores delegatos illas visitabat, & electiones faciebat. Currente vero tempore constitit, quod illud regimen Monialibus non conueniebat; & quod melius illis erat gubernari per Generalem, & Prouinciales Ordinis Minorum. Quibus de causis motus Eugenius IV. prædictarum Monialium regimen abstulit à dicto Cardinali, & illud commisit Prouincialibus Ordinis Minorum, eorúmque Generali. Sic refert Rodriquez *tom.* 1. *qq. Regul. quæst.* 13. *art.* 8. citans librum monumenta Ordinum & addit. ibidem quod fuit hoc confirmatum per quandam reuelationem factam super eodem casu, quæ ibi videri potest. Et hoc ipsum confirmo duobus motiuis claris. Si Euangelium Christi Domini, & tot Concilia obligant, vt Prælatus cognoscat ex vultu oues proprias, & obligat Concilium Tridentinum ea de causa, vt Episcopi per se singulis annis visitent proprias oues; melius ad vnguem hoc exequuntur Prouinciales Minorum, qui singulis annis visitant per se ipsos Conuentus Monialium, & per se ipsos assistunt illarum electionibus, quæ duo Episcopi per se ipsos nunquam

nunquam faciunt, cum nunquam assistant electioni Conuentuum longè distantium, neque illos per se visitent, sed per Clericos delegatos, de quibus non est sperandus tantus zelus, quantus de Prouinciali, qui ob similitudinem habitus, & fraternitatis maiori compassione Monialium defectus debet emendare. Secundum motiuum est. Prouinciales Regulares finito triennio expectant Syndicantem rigorosum, qui totam Prouinciam visitat inquirens defectus Prouincialis ad illos puniendos: ideóque ex timore reddendæ rationis magis studeant, ac scrutantur Bullas Apostolicas, & motus proprios Sum. Pontificum circa Monialium regimen præcipuè explicatos à Doctoribus, ac Scriptoribus Religiosis istius temporis, quam super hoc inuigilent Episcopi, neque ipsorum officiales in aliis negotiis toti occupati, maximè non timentes Syndicantem, qui de illorum defectibus in regimine veniat inquirere. Ac proinde commodius regimen sperari poterit cæteris paribus à Prælatis Regularibus circa Moniales sui Ordinis, quam ab Episcopis exteris, vt ita dicam. Ad cuius confirmationem facit optimè, quod Vrbanus IV. Author secundæ Regulæ sanctæ Claræ, in illius confirmatione dicit se illarum regimen committere Cardinali protectori Ordinis Minorum, qui easdem Moniales visitabat per Fratres Minores de ordinario: & assignans Papa causam, quare huic potius Cardinali protectori Fratrum Minorum illam curam demandaret, subdit: ne Moniales essent differentes in diuersis modis viuendi, videlicet, si gubernentur ab alio nesciente mores, & vitam Fratrum Minorum, quos fundauit idem Pater Franciscus, qui fundauit Ordinem sanctæ Claræ. Quod adhuc clariùs expressit Bonif. VIII. in Bulla per quam concessit Monialibus

sanctæ

ſanctæ Claræ Vrbaniſtis, priuilegia Fratrum Minorum apud Bullarium Rodrig. *fol.* 110. *col.* 2. vbi ibidem Bonifacius fauens, & concedens illis dicta priuilegia, & citans prædicta verba Vrbani IV. proximè citata, inquit Bonifacius cum dicto Vrbano, ſe prædictis Monialibus illa ibi concedere: *Ne ſub diuerſorum Magiſterio, viuendi modos incurrere valeatis differentes.* Id eſt, ne gubernatæ ab Epiſcopis, quaſi diuerſis Magiſtris, diſcerent mores diuerſos ab illis, quos Fratres obſeruant fundati ab eodem P. N. Franciſco: eſt enim diuerſum Magiſterium traditum ab Epiſcopo, & à Prouinciali eiuſdem Ordinis.

3 Quarta ratio principalis in communi eſt. Nam Papa in iſta Bulla circa multa, ſubiectos facit Epiſcopis Prælatos Regulares, vt mox videbimus, & proinde eoſdem ſubdit Vicario Generali Epiſcopi, & aliis Clericis, quorum miniſterio Epiſcopus vti debet in caſibus ſibi in hac Bulla Commiſſis: iam vero iſta ſubiectio Regularium, ac dependentia ab Epiſcopis, & Clericis, eſt clarum fomentum, ac ſeminarium diſcordiarum, ac litium quæ inter Clericos, Epiſcopóſque quotidie naſci debent circa Prælatos Regulares. Satis hoc poteſt probari, ac ſperari, attento cap. *Nimis inique*, & cap. *Nimis praua*, de exceſſibus Prælatorum, vbi Papa Gregorius IX. quadringentis ab hinc annis refert pluſquam viginti grauamina grauia, quæ Epiſcopi Religioſis inferebant ſuper materia iuriſdictionis; & hoc in materia ſuper quam Epiſcopi non poterant ſe ingerere, ob quæ grauamina Eccleſia motiuum accepit eximēdi Religioſos à iuriſdictione Epiſcoporum, ſicut de facto exemit. Si ergo iam tūc Epiſcopi ſic grauabāt Religioſos in materiis in quibus non poterant: quid ſperādum eſt eos facturos per commiſſionem illis conceſſam in hac

hac Bulla, per quam in tribus, vel quatuor rebus grauibus possunt se ingerere super regimine Prælatorũ Regularium? Potest etiam hoc colligi ex motu proprio Pij V. qui incipit, *Etsi mẽdicantiũ.* in quo concedens multa priuilegia ordinibus Mendicantibus, reddens causam, quare illis tot exẽptiones concederet, ait: *quia Episcopi, & Archiepiscopi Decretis Concilij Tridẽtini in prauum sensum distortis, Religiosos variis incommodis afficere, & perturbationibus conantur, eorúmque priuilegiis non modicum afferre grauamen.* Sunt verba tanti Pontificis. Si ergo Episcopi malè intelligentes Decreta Tridentini Concilij sic Religiosos grauant, & molestant; quid sperandum est de illis per hanc Bullam factis superintendentibus Prælatorum Regularium? Non loquor inuidiosè, nec calumniãs, neque dico rem nouam, sed dictis iam quadringentis abhinc annis à Doctore tam pio, sancto, & pacifico, qualis fuit D. Bonauentura, hîc tractans quod de ordinario Clerici sæculares non sunt benè affecti erga Religiosos, *in tract. Apologetico contra impugnatores Fratrum Minorum, in resp. ad 10. q.* dicit: *Quod ex voluntate Clericorum, vix vnquam in Ecclesia posset Fratres Minores diu morari, dum aut per se, aut incitati per alios, eiicerent nos de Parochiis suis plusquam hæreticos, vel Iudæos: idem repetit in respons. ad q. 22. §. quamuis autem.* Hæc est opinio D. Bonauenturæ tanti, ac tam pij Doctoris circa animũ, quem vtplurimum gerunt Clerici erga Religiosos: vnde non videri potest temerarium, timere quod ex cõcessis per istam Bullam timeri possint scandala, lites & iurgia inter Clericos, ac Religiosos, propter citatas rationes, & alias ab aliis assignandas: *cum medicina inuenta sit non ad saueiandum, sed ad sanandum,* teste D. Bonauentura tract. *cur Fratres Minores prædicent, tom. 7.* suorum operum: & præterea

ibidem

ibidem addit, quod *Medicina non ſicut expedit porrecta ægroto, lædit potius quam ſanat.* Sequitur quod medicina iſtius Bullæ ſanctiſſ. D. Gregor. XV. non expediat, cum potius læſionem, quam remedium allaturam eſſe poſſimus timere. Sub cenſura eiuſdem ſanctiſſ. D. & Matris Eccleſiæ.

Reſponſiones particulares ad particularia Decreta Bullæ.

4 NVnc in particulari rationes adduco circa particularia Decreta Bullæ, non conſiderando omnia, ſed præcipua illa quatuor ſupra in principio propoſita. Quod attinet ad primum, ne Prælati Regulares poſſint aſſignare Monialibus confeſſorem ordinarium, vel extraordinarium ſine aſſenſu, & particulari approbatione Epiſcopi: dico primo, ex hoc Decreto oriri graues moleſtias, & inconuenientia. Inprimis enim valdè moleſtum eſt, quod cum iuxta Tridentinum teneatur Prouincialis aſſignare Monialibus confeſſorem extraordinarium in ſingulis quatuor, vel ſex menſibus, quem vocamus Alleuiatorem, idque facere debeat in ſexdecim Conuentibus Monialium iſtius Prouinciæ valdè diſtantibus, valdè inquam moleſtum eſſet, & intolerabile, quod ſingulis vicibus, & ferè quotidie hi confeſſores extraordinarij, cum multis expenſis deberent adire Epiſcopos pro impetranda licentia ad Monialium confeſſiones excipiendas. Et dico faciendas fore multas expenſas, quia Prouinciales propter expenſas vitandas deſignant hos Alleuiatores ex Conuentu Fratrum propinquiori monaſterio Monialium. Si vero iſti adire deberent prius Epiſcopum, aliquando deberent conficere iter viginti leucarum, cum

expensis,& labore non paruis. Secunda ratio est, quia Prælati Regulares communiter, saltem in nostra Religione, per statuta generalia, non assignant Monialibus confessores,nisi illos Religiosos qui per Episcopos approbati sunt ad audiendas confessiones sæcularium, etiam viuorum. Cum ergo Prælati dent Monialibus pro confessoribus illos tantum qui iam sunt approbati ab Episcopo, & possunt audire confessiones virorum, qui vt plurimum grauiora habent, ac difficiliora peccata, satis sufficienter, & abundè prouidere videntur Monialibus circa confessores assignandos, cum illæ vt plurimum fœminæ, & sanctæ confessore doctiore non indigeant. Tertio cum Episcopus vt plurimum notitiam non habeat, neque dum ex vultu, & auditu cognoscat hos confessores crebro mittendos à Prouincialibus quarto quouis mense, quid opus est, vt hi Episcopi nouam approbationem expectent? nisi fortè velis,vt Episcopi quarto quouis mense de illorum sufficientia, vita,& moribus inquirant? quod esset onus intolerabile. Confirmatur ex communi Episcoporum praxi, & Doctorum opinione dicentium minorem sufficientiam, ac literaturam requiri in confessore ad audiendas confessiones fœminarum, & rusticorum, quam mercatorum, & similium, qui grauioribus negotiis implicantur. Iam vero de moribus, & vita confessoris mittendi ad Moniales melius testificari poterit Prouincialis, qui nosci ex vultu oues proprias, quam Episcopus,qui illos confessores fortassis non vidit aliquando, imò nec de ipsis audiuit. In quorum etiam probationem facit,quod hodie in mea Prouincia quando hæc scribo,in tribus Conuentibus Monialium sunt assignati tres Patres pro confessoribus,qui fuerunt lectores Theologi iubilati: vt hinc colligi liceat quantum

tum Prælati Regulares inuigilent circa ſufficientiam confeſſorum Monialium.

5 Quod attinet ad ſecundum, de ratiocinio reddendo Epiſcopis ab œconomo Monialium, vel illi cui Epiſcopus delegauerit tale ratiocinium: in hoc particulari hoc inconueniens aduerto: nam iſte deputatus ab Epiſcopo pro excipiendo ratiocinio, poterit plerumque annuere procuratori Monialium ad diſſimulandos defectus, poterit etiam eſſe homo modici zeli, qui lucro, vel ſpe lucri ductus aliquid diſſimulet, vel expectet. Præterea iſti deputato ab Epiſcopo tempore quo ratiocinia excipit, ſemper ſunt cibaria miniſtranda, & in fine præmium aliquod exhibendum, quod redundat in diſpendium, & expenſas Monialium. Præterea ſemper Prælati Regulares ab œconomo Monialium ratiocinium petunt per alium Religioſum expertum ſine expēſis, vel per aliquem ſæcularem boni zeli. Si vero dicas inter Prouinciales deputatos ad ratiocinia ſumenda, & procuratorem Monialium pactum, vel fraudem poſſe intercedere: quis dubitat, quin eadem fraus, & pactum poſſit intercedere inter ratiocinatorem deputatum ab Epiſcopo, & inter procuratorem Monialium? Quod ſi obiicias, ſanctiſſ. D. Papam hoc remedium aſſignaſſe, quia ſciuit per informationem, vt plurimum Conuentus Monialium, qui amplos habens redditus ad nimiam paupertatem eſſe redactos. Dico imprimis hoc non eſſe mirandum, cum id videamus vt plurimum in domibus ſæcularium multorum, qui cum redditus habeant opulentos, viuunt hodie in maiori paupertate quam ſui progenitores, cum tamen illi œconomos habeant ſuæ rei familiaris vigilantiſſimos, & ipſi Domini ſuper œconomos ſeduli inuigilent. Cuius cauſa vniuerſalis reddi poteſt, quoniam rerum

pretia excreuerunt ; Monialium etiam numerus adauctus est, & possessiones illatum immobiles, vt plurimum sunt in tritico annuali, vino, & oleo, quorum si est abundantia in hoc anno, pretium vilescit : si est penuria, ac sterilitas, coguntur aliquando eadem emere magno pretio pro Conuentus sustentatione; sicut ego ex certa scientia scio de aliquibus Conuentibus Monialium meæ Prouinciæ.

6 Quod attinet ad tertium, posse videlicet Episcopum existente causa monere Prouincialem, vt confessorem, vel procuratorem Monialium ab officiis amoueat, sin minus ipse Episcopus id facere possit: hic militant particularia, & grauia pericula, & inconuenientia. Sæpè enim continget Episcopum informari ab aliqua persona, maleuola, irata, & non benè affecta ad confessorem, vel procuratorem, idque sine fundamento, sed ex appetitu, & vindicta, cuius informatione ductus Episcopus ex abrupto monebit Prælatum, vt confessorem amoueat cum magna infamia. Quod maximè timeri potest in Monialium informationibus, quæ cum fœminæ sint natura sua inconstantes, vindicatiuæ & à confessoribus aliquando merito reprehensæ pro salute animarum suarum, solent sæpè in similes querelas contra illos insurgere: idque vel per se ipsas faciunt, vel per consenguineos indiscreto fauore illis fauentes: eandémque falsam informationem aliquando facere solent sæculares contra confessores Monialum eo quod dicti confessores sæcularium amicitias cum Monialibus prohibeant : testis sum ego oculatus, qui cum essem Prouincialis accepi epistolam cuiusdam sæcularis subscripram mentito proprio nomine, in quo protestabatur vt certus confessor Monialium amoueretur ab officio, alioqui graue illi damnum euenturum. Monui

nui ego per epistolam secretam confessorem vt sibi caueret, & vitam emendaret, si quid emendandum haberet; post aliquos menses ad illam ciuitatem accessi, & facta inquisitione in genere, neque contra confessorem aliquod delictum resultauit, neque aliquis accusator apparuit. Aliam similem epistolam cœpi scriptam contra vnum procuratorem Monialium. Et denique scio Moniales faciles esse ad huiusmodi querelas, & informationes formandas. Quot ergo iurgia, quot pericula infamandi nascerentur si Episcopus his informationibus particularibus, & articularibus mulierum, & inuidorum ductus possit adigere Prouincialem, vt confessorem positum in officio honorifico sine forma iudicij priuaret officio cum infamia? Certè in Religione, vt confessor Monialium extra tempus ab officio amoueatur, prius citatur, culparum Capitula illi exhibentur, vt respondeat: dantur etiam aliæ defensiones, quia dedecus illi magnum foret si priuaretur officio sine culpis, sine citatione. At quis non videat fore præter ordinem iuris vt ad solius Episcopi dictum, vel monitionem confessor Monialium priuetur: maximè cum ex illius amotione sic facta resultare possit etiam infamia Monialium, aliquibus iudicantibus quod fortè ob culpam aliquam intra Conuentum illarum commissam à dicto officio expellebatur. Adde quod dato quod talis confessor haberet aliquod delictum, si tamen est secretum, & non diffamatum tolerandus est, & non puniendus in publico, vt omnia iura proclamant. Vide etiam ad probationem istius, inconuenientia adducenda in §. *seqq* ad 4. Decretum istius Bullæ maximè ex Henriquez ibi citando.

7 Quod attinet ad 4. quod possit, ac debeat Episcopus assistere vt præses in electionibus Prælatarum, quæ

subduntur Regularibus, simul cum Prælatis illarum; multo maiora hinc emergent pericula discordiæ, & inconuenientia, quam ex omnibus præcedentibus Decretis: probo euidenter multis exemplis, & rationibus. Primo imminet periculum schismatum, & seditionum, seu diuisionum inter Moniales: Episcopus enim, vel Clericus eius nomine præsidens electioni inclinatus ad vnam partem, vel propter amicitiam, vel propter consanguinitatem, turbare poterit Moniales alias quietas, & vel promissionibus, vel precibus validioribus illas inclinare ad eligendam, quam voluerit. Probatur hoc casu relato in cap. *nimis praua, de excess. Prælatorum in fin.* vbi Papa inter grauamina quæ Episcopi Religiosis intulerant, ait hoc vnum particulare fuisse; quod scilicet Episcopi in electionibus Fratrum Minorum, volebant illis præficere Ministros, & custodes pro suæ voluntatis arbitrio, vt Fratres subderent suæ ditioni. Si vero tunc Episcopi non habentes iurisdictionem in Fratrum electionibus volebant creare Prouinciales, & Custodes ad suum arbitrium; quid sperari poterit de illis in electionibus Monialium fragilium, in quibus illis per hanc Bullam conceditur iurisdictio, maximè cum possit sæpè contingere quod in illo Conuentu sit aliqua Monialis Episcopi consanguinea, quæ officium Prælatæ prætendat? Secunda ratio est. Nam Episcopus non cognoscit Moniales, neque potest diiudicare quæ sit digna, & indigna, neque Clericus loco Episcopi præsidens electioni, id potest discernere, sicut Prouincialis qui illas visitat: & proinde Episcopus, vel eius Clericus poterunt decipi circa hoc, vel ex defectu notitiæ, vel ex appetitu particulari. Probatur ex Henriquez *tom.* 1. *Sum. lib.* 7. *c.* 24. *n.* 7. in glossa litera X. vbi referens aliquas causas ob quas decuit Religiosos exi-

mi

mi à iurisdictione Episcoporum, inter alias hanc assignat. Quia scilicet Episcopus inexpertus instituti Regularis, turbabat pacem, quietémque Prælatorum, quos officiis, aut ministerio priuabat sine causa, & authoritate. Aliud illud grauamen refert Henriquez citato loco ab Episcopis Religiosis illatum, quod, scilicet ex Clericorum, & laicorum inuidia, & calumnia se ingerebant in Regularium causas. Quod multo magis de illis timeri poterit in Præsenti occasione, ex prædicta commissione Episcopis, & proinde illorum Clericis concessa circa electiones Monialium. Vide multos Doctores, quos citat Henriquez citata litera X. & V. ad hoc intentum. Vltima ratio circa suspensionem huius quarti Decreti est, quod cum sæpè contingat ex visitatione præcedente electionem, resultare culpas contra aliquam Monialem, ob quas mereatur priuari voce actiua, & passiua in illa electione, sequetur quod secretarius Episcopi, vel Clerici illius delegati, cognoscent defectus, & culpas Religiosarum, quod non conguit decoro statui Monialium, maximè cum ille secretarius possit aliquando esse persona sæcularis, qualis est aliquando Notarius Apostolicus. Quod si contingat Monialem aliquam appellare ab electione, vt iam contigit, inextricabile aliud dubium emerget, ad quem debeat appellare, an ad Episcopum, vel eius superiorem Archiepiscopum, an ad superiorem Prouincialis, cuius illæ sunt subditæ? Adde molestiam expensarum, quas Conuentus Monialium necessario moraliter facere debet durante tempore electionis in cibo, & potu illi ministrando, & fortè postea donaria dando ob gratificationem collatæ Prælaturæ: quæ omnia magna sunt inconuenientia, & sufficientia ad Bullæ suspensionem, & sanctissimum D. Pa-

pam per ſupplicationem informandum.

8 Adhuc pro maiori confirmatione dictorum ad ſecundum, & quartum, in quibus conceditur Epiſcopo per ſe, vel Clericum deputatum aſſiſtere ratiociniis,& electionibus ſimul cum Prælato Regulari, noto aliud clarum periculum diſcordiarum,quæ inde poſſunt oriri.Nam cum Prælati ſunt differentes, ac diuerſi, Ordidinarius, & Regularis, & in materia iuriſdictionis,clarum periculum eſt diſcordiandi adinuicem, cum ſint diuerſæ Religionis, id eſt profeſſionis. Conſiderauit hoc Papa Leo X.qui in Bulla vnionis circa ſtatum Fratrum Minorum, cauſam cur Fratres obſeruantes ſeparauit à Conuentualibus aſſignans in dicta Bulla, ponit hæc verba:*Compertũ habemus Prælatorum diuerſitatem, huiuſmodi litibus, & diuiſionibus cauſam tribuiſſe.* Vide quid faciat diuerſitas Prælatorum : magis vero diuerſi Prælati ſunt Epiſcopus,& Prouincialis, quam illi prælati, de quibus ſermo eſt in illa Bulla Leonis X. & poteſt ad hoc applicari ſuo modo, id quod Deus prohibebat Deuter.22. Non arabis in boue, & aſino ſimul; quia ſcilicet diuerſa illa animalia iungi, & vniri perfectè non poterant ad ſulcum conuenientem in terra protrahendum. Sic etiam de Epiſcopo, & Prouinciali timeri poteſt in electionibus : nam Moniales illæ quæ in Prouinciali fauorem non inuenerint, ab Epiſcopo debent illum procurare ; & ecce diſſidium, ecce materia ſchiſmatum,vt poſſit inter Moniales oriri ſermo ille à D.Paulo reprehenſus:ego ſum Pauli,ego autem Cephæ : ego ſum Epiſcopi, ego autem Prouincialis. 1. ad Corinth. vltim. pro confirmatione pono exemplum viuum Monialium ſanctæ Claræ de Santarem, id eſt oppidi Scalabitani, ad quam miſeriam, & inquetudinem redactæ ſint per duos, vel tres annos, regnante in illo

illo Conuentu schismate circa iurisdictionem Prouincialis, vel Episcopi, aliis acclamantibus vnum, aliis alium inuocantibus, cum damno notabili Conuentus; quod quia notorium est omni regno, quando hæc scribo, non possum redargui ex eo quod illud hic inseruerim. Hæc omnia dicta esse volo sub correctione sanctæ Matris Ecclesiæ, à cuius Decretis, ac doctrina nusquam volo declinare.

CASVS XIV.

An Moniales D. Claræ subditæ Episcopo gaudeant priuilegiis Fratrum Minorum: & alius casus circa vnum Conuentum illarum.

QVidam Conuentus Monialium sanctæ Claræ, quæ solitæ erant gubernari per Prælatos ordinis Minorum, ex certa occasione per Bullam Papæ traditus est regimini, ac gubernationi Episcopi ordinarij, vtendo his verbis. Committo vos gubernationi Episcopi Angrensis. Mortuus est ille Episcopus, post iam assumptum illarum regimen.

Quæsitum fuit primo, an post mortem Episcopi prædicti Conuentus regimen transeat plenè ad Capitulum sede vacante, ita vt possit etiam recipere Nouitias? Secundo dubitatum fuit, an iste Conuentus sic modo existens sub regimine Episcopi, gaudeat priuilegiis, & indulgentiis concessis à Sede Apostolica Monialibus sanctæ Claræ, quæ gubernantur per Prælatos Ordinis Minorum.

1 Quod attinet ad primum, clara, & facilis est responsio: dicendum est enim ad Capitulum sede vacante transire totum regimen, & plenè, sicut antea Episcopo concessum fuerat. Probatur ex cap. *cum olim, de maiorit. & obed.* & cap. *Ecclesia, de supplend. negligen. Prælat. in* 6. & ex Concilio Trident. *sess.* 25. *cap.* 6. *de reform.* Ex quibus constat quod Capitulum sede vacante habet plenam administrationem in spiritualibus, & temporalibus, sicut habebat Episcopus: cum ergo gubernatio Monialium sit administratio iurisdictionis, plenè vtique pertinebit ad Capitulum sede vacante: & hoc confirmatur, quia Papa in commissione istius regiminis facta Episcopo, non commisit illam personæ designatæ, & electæ ipsius Episcopi, sed id commisit sedi Episcopali, vel officio Episcopali quod non moritur: dixit enim in commissione, Episcopi Angrensis. Non dixit, loquens cum solo Episcopo, committo tibi, vel, confidens de tua industria; per quæ verba eligitur industria personæ, & non officium: sed dixit, Episcopi Angrensis: in quo clarè eligit officium, non personam. Communis vero sententia est Doctorum, quod quando aliquid committitur officio alicuius Episcopi, non vero personæ, ista commissio durat mortuo Episcopo, & manet in ipsa sede Episcopali. Pro quo videndus est Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 23. *à num.* 2. *& seqq.* vbi latè probat quod commissio facta officio, vel dignitati, non expirat mortuo illo cui facta fuit, sed ad successorem transit. Confirmatur amplius ex traditis ab eodem Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 4. *n.* 10. vbi probat quod potestas illa absoluendi, ac dispensandi quam Concilium Tridentinum committit Episcopis pro casibus occultis, mortuo Episcopo transit etiam ad Capitulum sede vacante. Maius autem quid est posse

Capitu

Capitulum ſede vacante vti illa pleniſſima poteſtate ab abſoluendum mortuo Epiſcopo, quam gubernare prædictum Conuentum Monialium, cuius regimen non eſt commiſſum particulari perſonæ Epiſcopi mortui, ſed dignitati, & officio Epiſcopali.

2 Difficilius eſt quod tangitur in ſecundo quæſito. Nam iſtæ Moniales antea ſubditæ Prælatis Minorum, gaudebant priuilegiis, & indulgentiis conceſſis eiſdem Fratribus per multas conceſſiones in Compend. ver. *Moniales*. & ver. *Communicatio priuilegiorum*. At per contẽta in eodem Compẽdio duobus citatis locis, Moniales ſanctæ Claræ ſubditæ Epiſcopis, non gaudent priuilegiis, & indulgentiis conceſſis Fratribus Minoribus, Primus locus eſt in eodem Compendio, ver. *Communicatio priuilegiorum*, §. 5. vbi Sixtus IV. ſic conceſſit: quod ſorores ſanctæ Claræ ſub obedientia Fratrum Minorum obſeruant. exiſtentes, gaudeant omnibus priuilegiis, & gratiis, &c. & ſic citat, & explicat Rodrig. *tom.* 3. *qq. Reg q.* 6. *art.* 4 *propè fin.* Idem cõceſſit Leo X. in Compendio, dicens eod. verb. *Communicatio priuilegiorum*, §. 14. & fauet coniectura, nam cum de ordinario hæc priuilegia pro Monialibus ſanctæ Claræ poſtulata ſint à Papa per Fratres Minores pro Monialibus ſanctæ Claræ, valdè credibile eſt non illa poſtulaſſe, niſi pro Monialibus ſuæ obedientiæ ſubiectis. Confirmatur alio exemplo à ſimili, apud Rodrig. *tom.* 3. *q.* 73. *art.* 1. §. *colligitur denique*. vbi ait quod Moniales Tertiariæ licet viuant in congregatione, non gaudent priuilegiis Fratrum Minorum, niſi viuant ſub cura illorum, vel niſi ad id habeant aliquam particularem Bullam Pontificiam, quam oportet exhibere: & quidem hæc omnia valdè vrgent, vt credam prædictas Moniales ſanctæ Claræ ſubditas Epiſcopo, non gaude-

re

re priuilegiis, & indulgentiis Fratrum Minorum, nisi ad id particularem Bullam extensionis priuilegiorum ostendant. Indulgentiæ enim, & priuilegia sunt stricti iuris,& proinde potius restringenda sunt,quam extendenda: duo vero Pontifices supracitati, concedentes Monialibus priuilegia Fratrum,limitant & restringunt, dummodo viuant sub cura, & obedientia Fratrum Minorum:vnde sub illorum cura non viuentes,non poterunt illis gaudere.

3 Pro parte tamen affirmatiua, quod scilicet etiam Moniales sanctæ Claræ subditæ Episcopis gaudeant priuilegiis Fratrium Minorum, inuenio quod Bonifacius VIII.*in Bullario Rodrig.fol.* 110.concessit Monialibus sanctæ Claræ, etiam antequam essent sub cura, & regimine Fratrum Minorum, vt gauderent omnibus priuilegiis, & indulgentiis concessis Fratribus Minoribus. Sic habetur in illa Bulla paulo ante finem:& exprimit ibi Papa, quod vtantur priuilegiis, & indulgentiis Fratrum,non solum concessis, sed etiam in posterum concedendis. Quod vero tempore huius concessionis Bonifacij VIII.nondum Moniales sanctæ Claræ essen subditæ Generalis, & Prouincialibus Ordinis Minorum,constat clarè ex eodem Bullario Rodrig *fol.* 238. vbi Eugenius IV. multo post Bonifacium VIII. curam Monialium S.Claræ transtulit à Cardinale protectore ad Generalem,& Prouinciales Fratrum Minorum,sicut modo sunt. Cum ergo constet quod Moniales S. Claræ antequam subderentur Minoritis, gaudebant priuilegiis Fratribus concessis & concedendis, videtur quod hodie, etiamsi aliquæ Clariſtæ non sint illis subditæ, non amittent priuilegium concessionis illius Bonifacij VIII. Secundo facit ad hoc quod idem Sixtus IV. citato verbo *cõmunicatio priuilegiorum,§.2.* conce

concedens Monialibus S. Claræ,& S. Dominici priuilegia eorumdem Fratrum, non distinguit si viuant sub cura,& regimine eorumdem Fratrum,sed concedit absolutè Monialibus S. Dominici, & S. Francisci,idémque potest colligi ex Bulla Clementis VII. qua confirmauit priuilegia Fratrum Minorum posita à Rodrig. ad finem *suæ Cruciatæ*, vbi concedens prædictis Monialibus priuilegia Fratrum,non distinguit de viuentibus sub cura Fratrum Minorum. Quamuis autem duo Pontifices supracitati concedentes priuilegia Fratrum Monialibus, declarauerint, si viuant sub cura Minorum Fratrum : hæc limitatio non videtur excludere Moniales Claristas subditas Episcopis, quæ per priuilegium Bonifacij VIII. antecedentis gaudent priuilegiis Fratrum concessis,& concedentis. Nec Sixtus IV. nec Leo X. per illam suam limitationem videntur derogasse dicto priuilegio Bonifacij V I I I. Nam vt priuilegium, & vt indulgentiæ reuocentur, non sufficiunt quæcumque verba,sed necessaria est clara, & expressa reuocatio,vt fecit nuper Paulus V. reuocans indulgentias Religiosorum, quod fecit per Bullam publicam: & Commissarius Generalis Cruciatæ in fine Bullæ dicit expresse se reuocare priuilegia, indulgentias,&c.Et possunt adhuc ex poni Sixtus IV.& Leo X. quando limitant se concedere dicta priuilegia Monialibus S. Claræ subditis Fratribus Minoribus, possunt intelligi quod ea specialiter concedant illis Monialibus ; cum quo stat quod alias subiectas Episcopis non excludant, maximè cum habeant citatum priuilegum Bonifacij VIII.

4 Hæc mihi occurrerunt in re tam difficili, quibus non obstantibus vnusquisque eligat quod securius fuerit. Nam ego in priorem partem magis inclino, quod

quod scilicet non gaudeant dictæ Moniales Episcopis subditæ dictis Fratrum priuilegiis.

CASVS XV.

An possit Goardianus in Ordine Minorum esse Goardianus vltra tres annos.

IN ordine Minorum est Bulla Pauli IV. posita à Rodriguez in Bullario, per quam Papa iubet quod Goardianus in Ordine Minorum sub pœna excommunicationis non duret vltra triennium, eandémque censuram imponit subditis illi obedientibus. Quidam ante Capitulum per mortem vnius, electus fuit Goardianus ante octo menses proximè sequentis Capituli. In proximè sequenti Capitulo fuit confirmatus in officio. Postea in congregatione quæ fit post Capitulum anno ac dimidio transacto, dubitatum fuit vtrum in illa congregatione posset continuari in officio Goardiani vsque ad futurum Capitulum, ex quo sequeretur quod debebat esse Goardianus per tres annos, & octo menses: & videtur quod id posset fieri, nam Clemens VIII. postea concessit Ordini Minorum, vt licet per Decreta Apostolica Prouinciales, & Goardiani non possint extendi vltra triennium; si tamen Prælati Generales ob aliquam causam iustam celebrationem Capituli Prouincialis dilatarent vltra triennium per sex menses, possent Prouinciales, & Goardiani durare vltra triennium per illos sex menses. Cum ergo iste de quo agimus, si eligeretur adhuc in congregatione vsque ad Capitulum, excedere deberet triennium per octo

octo menſes tantum, videtur quod potuerit tolerari, iuxta declarationem, vel cõceſſionem Clementis VIII. duo enim menſes tantum inter terminum aſſignatum à Clemente VIII. videtur paruitas materiæ.

1 Hoc non obſtante reſpondi non potuiſſe continuari in officio in dicta congregatione. Quia cum tali continuatione, & prorogatione fututus erat Goardianus per tres annos, & octo menſes contra bullam priorem Pauli I V. Nec obſtat ſecunda Bulla Clementis VIII. diſpenſantis modo ſupradicto, vt poſſint Gordiani ob cauſam ibi aſſignatam prolongari per ſex menſes. Nam cum ibi taxauerit tempus prolongationis ſolum ad ſex menſes, & diſpenſatio ſit ſtricti iuris, ac reſtringenda, non poterit eadem diſpenſatio extendi ad octo menſes: hac enim data extenſione ad duos vltra menſes admittes extenſionem ad quatuor vltra, vel octo menſes. Secundo probo, quia Clemens VIII. locutus eſt ſolum de Goardianis electis via ordinaria, cum quibus ſolũ diſpenſauit ad illos ſex menſes, quia videlicet in Capitulo eliguntur, & in Capitulo vacant, vt patet ex tenore ipſius Bullæ: non vero de electis extra Capitulum, & extra congregationem, vt fuit iſte, de quo agitur. Tertio facilius Papa diſpenſat in re dubia, quam in re clara: (vt patet in irregularitate homicidij voluntarij, ſi enim dubia eſt facilius diſpenſat quam quando eſt clara:) Dubia vero res eſt, & non ſemper eueniens quod Capitula dilatentur, & proinde ſub hoc dubio facilius Papa diſpenſat cum illis, qui ratione Capituli dilatati fortaſſis excedant triennium, quam in caſu præſenti vbi certo conſtat, quod ſi iſte de quo agitur confirmetur in officio modo ſupra explicato, debet excedere triennium per octo menſes, vel duodecim, ſi Capitulum ſequens dilatetur per quatuor menſes. Vide

de Rodriguez *tom.2. qq.Regul.quæst.52.art.1.* ad finem vbi agit quomodo petita sit licentia à Summo Pontifice ad prolongationem temporis, quo durat officium Generalis, & Commissarij Generalis in quadam occasione. Quarto, in dubio tutior pars est eligenda ne quis exponatur peccato, vt tenent communiter Doctores: at in hoc casu est res dubia, & imminet periculum violendæ Bullæ Pontificiæ; ergo ab ista electione est abstinendum. Vltimo, quia si iste Goardianus posset confirmari in officio modo supradicto, dabitur casus nunquam visus, videlicet, quod vnus Goardianus sit ter electus ad idem officium; nam iste fuit primo electus ante Capitulum. Secundo in Capitulo proximè sequenti. Tertio, in congregatione proximè futura prætenditur; ergo ter electus erit pro suo triennio, quod est res inaudita.

CASVS XVI.

Dubia quædam circa materiam electionum suborta,

CIrca materiam electionum, quæsita sunt dubia sequentia. Primum, an possit præses Capituli post vota recepta, quando iàm cum tribus scrutatoribus in secreto videt Petrum, v.g. iam habere pro se maiorem partem suffragiorum, cuius electio sibi displicet, possit inquam non finito scrutinio, neque publicato scrutinio, prædictum Petrum aliàs benemeritum, excludere, ac iubere vt electores procedant ad aliam electionem?

Secun

Secundum. An possit præses Capituli dicere in communi ante electionem, ne dent suffragia certo Religioso, quia non debet illum confirmare: & hoc non vocato, nec conuicto tali Religioso de aliqua culpa.

Tertium. An pro certo officio possit arctare electores, ne dent suffragia nisi vni ex tribus, vel quatuor à se designatis, protestans, quod nullum extra illos esset confirmaturus.

Quartum. An si in aliqua electione præses vtatur precibus importunis, simul cum promissionibus, & verbis asperis, significans, vt eligatur Petrus, quem electores elegerunt ea tantum de causa, aliàs non electuri: an talis electio sit dicenda quod facta fuerit per metum, & proinde in conscientia nulla?

Quintum. An absque peccato possit præses electionis paciſci cum electoribus, quod si elegerint Petrum, v.g. quem præses prætendit eligere; ipse præses condonabit, & non puniet culpas certorum electorum, qui ante electionem, vel post illam ob culpas debebant sententiari?

Vltimo. An si ego scio secreto, & certo, Petrum, v.g. in quadam electione fuisse nulliter electum ob impedimentum substantiale iuris non seruati, possim ego subditus huic Prælato non obedire in publico, vel in secreto?

Ad primum quæsitum.

1 AD primum respondeo, prædictum præsidem peccasse mortaliter cum obligatione restituendi, ac ius canonicum violasse. Probo imprimis ex casu simili posito à Nauar. *lib. 1. consiliorum, tit. de elect. consilio 5.* vbi refert quemdam Prælatum in electione

cuiusdam Abbatissæ, cum quædam esset electa per suffragia sufficientia, noluisse eam confirmare, sed processisse ad alia, & alia scrutinia, sperans quod aliquæ electrices mutarent propositum, & suffragia darent alteri Moniali, quam præses intendebat eligere; & minatus est se allaturum Abbatissam de foris extra Conuentum: propter quæ fatigatæ sunt Moniales, & illa quæ plura habuerat suffragia, renunciauit iuri quod habebat acquisitum. In quo casu primo ait Nauarr. præsidem peccasse mortaliter non confirmando electam habentem maiorem partem suffragiorum. Secundo dicit, quod Prælatus, & secunda electa post renunciationem prioris, quæ habuerat suffragia, non deberent esse tuti, nec securi in conscientia de validitate secundæ electionis: & hoc non obstante, quod prior electa renunciauit, quia renunciauit in vita. Quæ omnia maiorem locum habent in isto casu, in quo iste Petrus excluſus habebat maiorem partem suffragiorum, & præterea non renunciauit iuri quod iam habebat acquisitum, quod dicitur ius ad rem. Secundo probatur, quia Petrus, qui iam habebat suffragia, & fuit excluſus, læsus fuit notabiliter in re notabili ad quam ius habebat, & proinde interuenit peccatum mortale cum onere restituendi, vt inter alios docet Rebello *tom. de obligat. iust. 1 p. lib. 3. quæst. 2.* Tertio prædictus præses clarè violauit ius commune, maximè in cap. *Quia propter, de election.* vbi iubet Papa, vt facto, & examinato scrutinio publicentur vota, & subdit hæc verba loquens de scrutatoribus, siue examinatoribus scrutinij. *Vota cunctorum diligẽter exquirant, & in scriptis redacta mox publicẽt, vt is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior pars capituli consentit.* Iste autem præses noluit publicare scrutinium, nec publica-

re

re illum in quem maior pars Capituli consenserat. Et ne idem bis repetam vide omnino circa hoc alias multas, & claras probationes huius rei in alio casu simili quas adduxi hac 2.*p casu* 4. *à n.*3. *& sequent.* vbi probaui cum Rodrig. non posse Prælatum, etiam si habeat commissionem Papalem, excludere aliquem ab electione passiua, nisi prius illum citauerit, & audierit, & culpas obiiciat ob quas illum excludat, & talis citatus se purget, & defendat: quod cum isto Petro electo obseruatum non est: cum nulla ipsius culpa fuerit publicata. Neque obstat si dicatur, in illa Religione vigere consuetudinem, vt præses in electionibus habeat excluſiuam liberam, vel potestatem excludendi ab electione passiua illum quem voluerit; dicendo, nolo quod fullanus eligatur in hac electione: non obstat quia talis consuetudo corruptela est, & contra ius naturale: essétque potius potestas infamandi homines, & priuandi illos iure quod habent in voce passiua, idque illis non citatis, nec de culpis conuictis ob multa quæ ad hæc congerit Rodrig. supra à me citatus in illo 4. casu.

2 Hinc patet responsio ad secundum quæsitum; dicendum est enim non posse præsidem Capituli dicere ante electionem, ne detur suffragia certo fullano, quia non debet illum confirmare. Non inquam potest nisi prius dictum fullanum citet, vocet, & de culpis auditum, illum excludat, iuxta illa quæ cum Rodrig. dixi citato casu 4.

3 Ad tertium dubium dico, non posse præsidem electionem arctare dicendo ne dent suffragia, nisi vni ex tribus per ipsum designatis. Tenet expresse Rodrig. *tom.*2. *qq.Regul.q.*51.*art.*11. dicens, quod si electores ex illis tantum tribus designatis elegerunt, electio est

nulla, quia per talem arctationem impeditur libertas electorum. Et addit quod si ista electio sic coarctata contigerit in Ordine Minorum, præses electionis manet priuatus officio, si electio fuerit Prouincialis. Addit ibidem Rodriguez se vidisse propriis oculis in Ordine declarari, vt nullas, & repeti tres electiones Guardianorum, eo quod illotum electiones coarctatæ fuerint ad tres, vel quatuor designatos quando vnusquisque fuit electus. Et citat pro se, Couar. Decium, Fortunium, & Bartolum, Philipp. Hoc scio quod in nostra Religione Franciscana statuta generalia Segouiensia *titulo de elect. §. Nulla* dicunt, quod nulla electio potest coarctari sine speciali licentia Papæ. Et fundat Rodriguez rationem in iure canonico dicente, quod electio debet esse libera omnino, id vero quod ad tria coarctatur liberum omnino non est.

4 Ad quartum dico, quod preces importunæ maximè personæ grauis, & superioris causant metum, & faciunt inuoluntarium, vt latè probat Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 10. num. 2.* cum multis ibi citatis. Et idem Sanchez eodem *lib. disp. 7. n. 5. 6. & seqq.* addit quod preces importunæ vnà cum metu reuerentiali, si videlicet fiant à persona cui debetur reuerentia, tales preces incutiunt metum cadentem in virum constantem, qui metus annullat electionem, professionem, &c. contractus, & hæc omnia videntur hic concurrisse. Datæ sunt enim preces importunæ, vt dicitur, & metus reuerentialis Prælati: promissiones, & verba aspera ob quæ valdè potest timeri quod interuenerit metus cadens in virum constantem, iuxta dicta à Sanchez, ac proinde talis electio facta ob illum metum fuerit nulla. Et quod preces importunæ factæ à viris grauibus causent metum cadentem in virum constantem, probat

bat inter alia Sanchez 2. loco citato ex cap. *cum inter R. de elect.* vbi Papa Innocentius III. dicit de Cœlestino Papa suo prædecessore, quod precibus importunis compulsus sit certum quid concedere; sunt vero hæc verba textus. *Cœlestinus prædecessor noster ad componendum coëgit inuitum.* Vbi Innocentius explicat dicens: Inuitum quia deuictum instantia precum. Hic locum habet quod dixit ille Poëta in illo versu: *Est orare, Ducum species violenta iubendi:* quod scilicet preces grandium sunt violentia. Notat tamen Sanchez, quod vt preces dicantur importunæ, non satis est quod fiant bis, vel ter: sed opus esse vt fiant pluries, & tandem addit quod probatio metus cadentis in virum constantem, probandus relinquitur arbitrio prudentis viri, qui debet considerare omnes circumstantias occurrentes. Nam si alia via, vltra preces, è contrario concurrunt minæ carceris, & Prælati iracundi qui solet minas exequi, non dubium est quin causent metum cadentem in virum constantem, & satis patet ex traditis à Sanchez citato *lib. 4. disp. 5. num. 9.* vbi abundè loquitur de præsenti materia. Et ego addo quod carcer Religiosorum est pœna maior, magísque timenda, quam carcer sæcularium: tum quia rigorosior sit carcer Religionis, vt experientia patet: tum quia infamiam causat, quam non patitur carcer sæcularium.

5 Quod autem non solum metus cadens in virum constantem, sed etiam metus minor annullet electionem, probo ex duobus motiuis. Primum est ex cap. *Bonæ, il 1. de elect. vbi gloss. in ver.* metuebant, ab omnibus recepta, dicit: *Solus timor inferēdæ violentiæ, licet illata non sit, violat electionē.* Et intētio Papæ in illo Capitulo, id ipsum comprobat: nam cum certi electores vocati essent ad eligendum Episcopum in ciuitate

Maguntiæ, ſcientes illi quod in dicta ciuitate non eſſent habituri libertatem ad eligendum, & quod ibidem vis illis inferenda fuiſſet, appellarunt ab electione, & fuit appellatio acceptata: vnde infert gloſſa, quod non ſolum violentia actu illata violat libertatem eligendi, ſed etiam ſolus timor probabilis talis violentiæ inferēdæ,& ibidem gloſſa parua marginalis citat alios textus ad hoc inrentum. Quæ omnia poſſunt ad hoc intentum præſentis caſus applicari. Secundum quod dico ad hoc intentum eſt, quod libertas in electione facilè impeditur,ac violatur: facit ad hoc quod tradit Nauarrus citato *conſil. 5. de elect. in reſponſ. ad 1.* vbi aſſerit quod electio facta per ſolum metum reuerentialem eſt nulla. Et dico hoc ibi velle Nauarrum, nam, vt ille probet fuiſſe nullam electionem quandam de qua ibi agit: dicit quod ſi profeſſio annullatur per metum reuerentialem, etiam electio annullabitur per eundem metum reuerentialem. Vbi videtur argumentari à maiori ad minus: quaſi dicat, ſi metus reuerentialis annullat profeſſionem quod eſt maius: à fortiori annullabit electionem, quod eſt minus. Et quod ſolus metus reuerentialis annullet profeſſionem iam in præcedentibus dixi, & facit quod pro hoc tradit Valerus Cartuxanus *in lib. de differ. vtriuſque fori, fol. 193. pag. 1. col. 1. & 2.* cum multis quos citat. Denique quod metus, & defectus libertatis annullet electionem, nihil validius afferri poteſt, & clarius, quam Capitulum *vbi periculum, de electione in 6. §.* cæterum, vbi Papa Gregorius X. in Concilio Lugdun. loquens de libertate requiſita in electionibus ſic inquit. *Cæterum (quia cum arbitrium, vel inordinatus captiuat affectus, vel ad certum aliquem obligationis cuiuſque neceſſitas adigit, ceſſat electio dum libertas adimitur eligendi,)* &c. Notentur

tentur hæc verba, quia multum inseruiunt ad casum præsentem. Duo enim dicit principalia: vnum quod adimitur libertas eligendi, cum captiuatur affectus ad certum aliquid: alterum quod eadem adimitur, quando necessitas adigit ad aliquam obligationem.

6 Ad quintum dico, Præsidem illum commisisse peccatum simoniæ in illo pacto faciendo, si pactum impleuit, & culpas electorum non puniuit virtute præcedentis pacti. Probatur ratione clara. Nam in hoc pacto data est res pretio æstimabilis pro re spirituali, quod est clara simonia. Probo & declaro simul: ex parte præsidis data est remissio, & condonatio culparum, & pœnarum debitarum, quæ condonatio pœnæ est res pretio æstimabilis, vt patet: quotidie enim relegati ad Africam, vel triremes pecunia emunt à Rege liberationem illius exilij, siue pœnæ, & proinde est res æstimabilis pecunia sola condonatio pœnæ. In hoc autem casu non solum condonatæ sunt pœnæ, sed etiam culpæ. Deinde ista condonatio culpæ, & pœnæ præcedente pacto data fuit pro re spirituali, id est pro suffragio dando, & officio Ecclesiastico obtinendo: ac proinde fuit clara simonia. Et quod istud pactum de remittenda pœna pro obtinenda re spirituali sit simonia, tenet expresè Suarez *tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 37 fol. 530. & seq.* maximè *num. 16. & 19.* & citat pro se Victoriam. Idem tenet Lessius *tom. de iustitia, lib. 2. c. 35. dub. 21. n. 19.* citans Sotum, & Victoria. Et addit Suarez citato *n. 19.* quod licet pœnæ remittendæ essent iustè infligendæ, etiam tunc esset simonia illas remittere sub pacto: nam sicut dictum est, datur res pretio æstimabilis pro assequenda Prælatura, quæ est res spiritualis. Secundo adhuc potest probari ex alio capite, quod hîc interuenerit simonia: nam ex parte præsidis

tem ad officia, ſicut citatæ Bullæ, & Doctores tradunt. Et vltra hæc, ille qui ſcit ſe per ſimoniam ad officium fuiſſe promotum, etiamſi ille ad actum ſimoniacum non concurrerit, vbi id ſciuerit, tenetur officium renunciare, vt definitur in cap. *Nobis.* & cap. *Sicut tuis, de ſimon.* & docent Doctores communiter in materia de ſimonia, maximè Nauar. *lib. 5 conſiliorum, conſ. 65. tit. de ſimonia, num. 3.* & alij communiter.

7 Et ex reſolutione data in reſponſione proxima ad quintum, ortus eſt ſcrupulus tactus in in dubio 6. an ſcilicet ego quia ſcio certo Petrum electum eſſe per ſimoniam, vel per aliud impedimentum clarè annullans electionem, poſſim illi non obedire? ad quod breuiter dico ſequentia. Primo quod in publico propter ſcandalum obediendum eſt, maximè cum iſte talis habeat poſſeſſionem officij, neque ſit illo priuatus per ſententiam, & præcipuè quia habet titulum, putatum ſaltem, & publicè collatum. Neque peccatum vllum veniale timeri poteſt in obedientia illi exhibita: ſed potius peccabitur ſi illi non obediant ſubditi propter ſcandalum. An vero facta ab illo, ſic nulliter electo, ſint valida in vtroque foro, pendent ab illa doctrina quam Doctores communiter tradunt explicantes leg. *Barbarius ff. de offic. Prætor.* quorum reſolutio eſt, quod ſi talis nulliter electus habet aliàs titulum putatiuum, vt habet iſte, & eſt error communis in populo, videlicet quod omnes credunt non fuiſſe datum aliquem errorem in electione illius: geſta per illum ſunt valida in vtroque foro, etiamſi ſit Prælatus Eccleſiaſticus. De quo multa Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 22. à num. 5.* & maximè *n.* 13. Dico ſecundo, quod ille ſubditus qui certo ſciret taliter electum fuiſſe electum nulliter, & electionem illius fuiſſe inualidam ob impedimentum

petita est res spiritualis, pro re etiam quasi spirituali: nam petiuit vt darent suffragia Petro, quod est spirituale, idque pro eo quod illis præses concessit (vt mihi dictum est) quod si Petro darent suffragia, permitteret vt electores in aliis electionibus liberè eligerent: in quo libertatem eligendi libere, quæ est res spiritualis, dedit sub pretio ob suffragia danda Petro: cum teneretur ex iure permittere electoribus sine pacto, vt in aliis omnibus liberè eligerent. Quod vero hoc sit simonia, videlicet vendere actum virtutis, & iustitiæ, qui debet permitti gratis, tenet Nauar. *tom. 3. suorum operum, comment. de datis, & acceptis pro iustitia, vel gratia obtinendis, in princip. à n. 4.* multa adducens, & præcipuum quod citat est cap. *videntes*, 1. *quæst. 5.* vbi Papa Gregor. ponit hæc verba, loquens de simonia: *Vendentes in templo sunt, qui hoc quod quibusdã iure competit, ad præmium largiuntur.* & cætera ibi ad intẽtum: at eligere liberè competit de iure electoribus, vt patet: & iste præses concessit hoc electoribus in præmium, & in pretium suffragiorum, quæ erant Petro daturi, & citat Nauar. etiam cap. *non licet, eadem causa, & quæst.* & alia multa fusè, ac doctè congerit Nauar. citato loco ad hoc intentum spectantia. Supposito vero quod ista electio facta fuerit per simoniam, constat ex alio capite, quod officium, vel beneficium Ecclesiasticum obtentum per simoniam est ipso iure nullum, vt constat ex Extrauag. Pauli I I. in tit. *De simonia.* inter communes Extrauag. & ex Bulla Pij V. publicata ad hoc intentum, quas pro hoc casu citant communiter Doctores, maximè Suarez cit. *lib 4. de Relig. cap. 57. num. 22.* Et Reginaldus *tom. 2. Summ. lib. 23. cap. 12. sect. 2.* & alij. Et præterea is qui per simoniam beneficium obtinuit, incurrit excommunicationem, suspensionem, & inhabilitatem

canonicum, poterit in secreto illius mandatis non obedire si cesset scandalum. Hæc duo responsa de foro externo & interno, siue de obediendo in publico, & de licentia non obediendi in secreto, ponit Valero Cartuxano *lib. de different vtriusque fori.* verb. *nullitas, diff.* 4. vbi in *num.* 2. vt probet quod in hoc casu subditus in occulto possit non obedire Prælato, quem scit nulliter electum, citat D. Antonin. Sylvest. & Nauar. locus Antonini est 3. *p. tit.* 15. *c.* 1. §. 2. Sylvest. id tenet, ver. *beneficium* 3. *post princip.* & citat ibi Cartuxanus glossam quandam dicentem, quod si Prælatus meus est occultè hæreticus, non teneor in occulto abstinere à celebratione, licet me excommunicauerit, nisi tantum in publico: & dicit eandem opinionem tenere Felinum, Innocent. & Panorm.

CASVS XVII.

De quodam iure patronatus in Conuentu Monialium.

QVidam homo nobilis litem mouit contra Conuentum Monialium, dicens sibi competere ius patronatus ipsius, ita vt neque vllam Nouitiam ipso inconsulto deberent recipere. Præcipuum quod allegauit fuit primo, quod pater suus fuerit in possessione illius iuris patronatus, idque per scripturam publicam, qua Moniales illum acceptarunt loco patroni. Secundo ostendebat epistolam cuiusdam Abbatissæ ad se Missam, in qua ipsum vocat patronum Conuentus. Addebat quod pater ipsius ædificauerat murum totius clausuræ

clauſuræ Conuentus: & quod Conuentus habebat terras, ac poſſeſſiones, quæ fuerunt progenitorum ſuorum.

Non habebat Bullam aliquam Papæ, nec ſcripturam factam in principio ædificationis Conuentus authoritate Epiſcopi, vel Prælati firmatam. Et quod attinet ad murum Conuentus ædificatum à patre, conſtitit quod id fecit pro dote duarum filiarum receptarum à Conuentu vt eſſent Moniales. Poſſeſſiones vero alias, ac terras acquiſiuit Conuentus per hæreditatem vnius conſanguineæ patris ipſius, quæ illic fuerat Monialis. Mota lite coram Collectore Apoſtolico: quæſitum fuit, an dictus nobilis præſens haberet ius ad ius patronatus Conuentus, quod pater ſuus poſſederat per ſcripturam publicam, &c.

Reſpondetur ius patronatus ſibi nullo modo competere, idque ob rationes ſequentes, claras, & vrgentes.

1 Prima ratio ſit, quia cum ius patronatus Eccleſiæ ſit res Eccleſiaſtica, & ius Eccleſiaſticum, non poteſt ſæcularis perſona illud acquirere, niſi ſibi detur à ſuperiore aliquo Eccleſiæ, qualis non eſt Abbatiſſa, nec Moniales, vt ex dicendis patebit; ac proinde oportet, vel detur à Papa per Bullam particularem, quam iſte non oſtendit, vel ſaltem detur ab Epiſcopo in prima fundatione Conuentus, idque interuenientibus conditionibus de quibus ſtatim, vt ſcilicet ipſe patronus fundauerit, vel quid ſimile. Quod vero ad hoc requiratur vt præcedat conſenſus Epiſcopi, ſi Moniales ſunt ſubiectæ Epiſcopo, vel Prouincialis Regularis, ſi illius regimini ſubduntur, conſtat clarè ex cap. *Nobis fuit, de iure patroni*, vbi Papa loquens de titulo iuris patronatus, quomodo ſit dandus, ait: *Si quis Eccleſiã cum aſſenſu*

assensu Diœcesani constituxit, &c. Et idem habetur in c. proximè antecedente eodem titulo. Quod vero si sint Moniales subditæ Prælato Regulari, requiratur consensus illius ad dandum ius patronatus, habetur expresse ex Clement. I. de rebus Ecclesiæ non alien. vbi glossa in *ver.* proprij, dicens non posse alienari rem Ecclesiæ, sine licentia proprij Prælati, ait glossa cum multis quos citat, quod in Ecclesia exempta qualis est Conuentus debet interuenire licentia Prælati exempti. Iam vero quod dare ius patronatus sit alienare res Ecclesiæ, tenet expresse Rodriguez *Addit. ad Sum. tom.* 4. verbo ius patronatus *concl.* 15. vbi ait quod Prouincialis cum diffinitoribus in ordine Minorum non possunt dare ius patronatus suæ Ecclesiæ, quia non possunt alienare bona Ordinis, quæ sunt bona Papæ, quæ proinde solus Syndicus Papæ potest alienare: & confirmatur, quod dare ius patronatus sit alienare, nam patronus habet dominium in aliquibus iuribus, & vsibus Ecclesiæ, seu Conuentus, quod dominium Conuentus transfert in patronum, vt quod possit præsentare beneficia, & similia: iam vero transferre dominium à se circa tales vsus est alienare, vt constat. Cum ergo dare ius patronatus sit alienare, & Conuentus Monialium non possit alienare sine licentia Prælati iuxta citatam Clementinam, sequitur quod non potuerunt hæ Moniales dare hoc ius patronatus sine licentia Episcopi, vel Prouincialis. Et per hæc manet satis responsum ad principale fundamentum quo nititur iste prætensor allegans iam patrem suum per scripturam publicam fuisse constitutum, & acceptatum patronum à Conuentu Monialium. Respondetur enim id non obstare, & scripturam nihil valere: cum Moniales sine Prouinciali id non potuerint facere,

cum

cum illud fuerit alienare bona, & iura Ecclesiæ, quod sine Prælato facere non potuerunt. Idem tenet Rodriguez eodem *tom.* 4. verb. *procurator, c.* 106. in fine, vbi ad hoc intentum ait Syndicum Conuentus D. Francisci, qui aliàs habebat facultatem Papæ alienandi bona Ordinis non posse dare ius patronatus vnius Capellæ Fratrum sine consensu Prouincialis: & à fortiori Conuentus Monialium non poterat dare ius patronatus patri istius filij sine consensu Prouincialis sui Prælati, vel Episcopi, si suus erat Prælatus.

2 Pro eodem intento adhuc aduerto, quod dato quod iste prætensor, & pater ipsius haberent verum ius patronatus de consensu Prælati, adhuc non poterant eo vti addentes aliquid quod non esset expressum in concessione iuris patronatus: vnde si in tali concessione non esset expressum, quod Nouitiæ reciperentur de patroni consensu (quod neque Regibus Conuentuum patronis conceditur) non poterat hic prætensor prohibere Monialibus ne Nouitiam reciperent illo inconsulto: constat hoc ex cap. citato *præterea quoniam, de iurepatron.* vbi Papa præcipit sub pœna excommunicationis vt patroni cessent à grauaminibus Ecclesiarum, nihilque in ipsis præter antiquos, & moderatos redditus à locorum Episcopis constitutos exigere, &c. At non recipere Nouitias sine consensu patroni Conuentus Monialium, est grauamen notabile, nec habetur in illa scriptura nulliter concessa patri istius prætensoris. Imo, vt proximè dixi, Reges, & multi alij qui hodie sunt veri patroni Conuentus Monialium, & non sibi reseruarunt, neque vsurparunt hoc ius, vt Nouitiæ Monialium debeant recipi cum suo assensu, sicut experientia docet in hoc regno Portugalliæ, in multis Conuentibus à Regibus fundatis, quorũ proinde sunt veri

veri patroni, & alij domini in aliis à se fundatis, quorum etiam sunt patroni, & tamen Prouinciales recipiunt Nouitias in illis Conuentibus non petito consensu Regis, vel cæterorum patronorum, & sunt in mea Prouincia octo Conuentus Monialium istius generis.

3 Præterea vt ius patronatus alicui debitus sit, vna ex tribus rebus necessario debet interuenire, iuxta ius commune, & communem Doctorum sententiam. Prima est, vt det solum, seu terram ad ædificium. Secunda, si saltem ædificet, vel reædificet totam Ecclesiam. Tertia, si dotem assignet Ecclesiæ. De his tribus vide Rodrig. *tom.2.qq.Regul.quæst.49.art.7.* paulo post init. vbi cum multis Canonistis citat ad hoc versum illum, qui dicit: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.* At iste prætensor, & pater ipsius nihil horum fecerunt Conuentui, vt patet, murum enim quem fecerunt, & possessiones quas donarunt, fuerunt omnia acquisita ex debito oneroso, vel ex iure hæreditario, quæ non sufficiunt ad dandum ius patronatus: probatur clarè, quia illa quæ dantur Ecclesiæ pro acquirendo iure patronatus, debent esse donationes gratuitæ, & liberales, quales non fuerunt prædictæ. Quod inquam vt ius patronatus acquiratur, debeat præcedere donatio liberalis, inter alios textus probat cap. *Piæ mentis 16. q.16.* vbi loquens de patrono ait, quod amplectenda est deuotio, &c. Ille vero qui dedit ob dotem filiarum, vel propter hæreditatem, non dedit ex deuotione, sed ex obligatione. Idem habetur eadem causa, & quæst. cap. *quicumque*, vbi dicitur: quicumque fidelium deuotione propria de facultatibus suis aliquid Ecclesiæ contulerit, &c. At faciens contractum cum Monialibus pro dote filiarum, vel dans illud quod ob hæreditatem debetur,

betur,non dat ex deuotione,ſed ex obligatione.Secundo principaliter, licet iſte qui ædificauit murum Conuentus,non id faceret ob dotem filiarum receptarum, ſed merè liberaliter, hoc opus, & ædificium tam paruum non erat ſufficiens, vt propter illud ius patronatus aſſequeretur. Sic tenet gloſſa in c. *Quicumque*,citato,& ibi citat cap. *Nemo, diſt.* 1. *de conſecrat.* & tenet Riccius 2. *p. Deciſionum, collect.* 1680. adducens vnam deciſionem Rotæ,& alios : qui enim fecit tantum murum Conuentus, non dicitur ædificare Conuentum:& in c. *Nemo*,citato, dicitur quod Patronus debet oſtendere donationem ; iſte vero non probat donationem factam à ſe, vel à Patre, ſed probat ſolutionem.

4 Ad id quod affertur in probationem, iam patrem iſtius prætenſoris fuiſſe in poſſeſſione iſtius iuſpatronatus,primo dico,iam fuiſſe reſponſum ſupra, Moniales id non potuiſſe concedere abſque licentia Prouincialis, iuxta Clementinam, & ideo eius poſſeſſio non fuit poſſeſſio, ſed intruſio. Dico ſecundo, quod tam paruum tempus patris ſui non potuit inducere præſcriptionem contra Moniales S. Claræ, quæ gaudent priuilegiis Fratrum Minorum, quorum vnum eſt vt non poſſit contra illos præſcribi, niſi per ſpatium annorum centum,vt ego dixi in 1. *tom.dubior regul.*verbo *præſcribere.* citans priuilegium conceſſum Patribus D. Benedicti Romæ extra muros apud D.Paulum : & ſic Eccleſia Monialium habet reſtitutionem.Ex alio etiam capite haberent hæ Moniales reſtitutionem, etiam contra poſſeſſorem ; idque ex priuilegio amplo conceſſo à Ioanne XXII. Religioſis congregationis montis Oliueti, quod citat Rodrig. *tom.* 3. *qq. q.* 52. *art.* 2. per quod illis conceſſit vt poſſint recuperare bona in quibus Conuentus eſt læſus, quamuis læſio facta eſſet

culpa

culpa Prælatorum, vel officialium Conuentus, vt ibi amplè citat Rodrig quem vide. At in hoc casu, etiamsi Moniales darent iuspatronatus patri prætensoris istius cum licentia Prouincialis, adhuc possent habere restitutionem contra ipsum per hoc priuilegium: quia læsus fuit Conuentus notabiliter culpa Prælati dantis patronatum homini non danti solum pro Ecclesia, neque dotanti, neque ædificanti, & cum tali onere, vt Nouitiæ non recipiantur sine illius consensu.

5 Omnino autem friuolum & ridiculum est quod allegat pro suo patronatu, videlicet quandam Abbatissam ipsum in epistola vocare suum patronum: nam si ille à parte rei antea non habebat verũ iuspatronatus, vt abundè manet in præcedentibus probatum, quid validitatis habet ad idem ius illi tribuendum sola epistola Abbatissæ, quæ per se sola id dare non poterat, imo nec totus Conuentus absque licentia Prouincialis? Vocauit ergo Abbatissa illum patronum ex vi falsi tituli antiqui, qui non poterat reualidari cum sola epistola missiua, sed per totum Conuentum cum Prouinciali; confirmatur hoc à simili: quia quando ipse Papa confirmat aliquod statutum confirmatione ordinaria (non dicens ex certa scientia) illa confirmatio nullum robur nouum addit rei confirmatæ, sed relinquit eam in suo robore antiquo, vt est communis opinio Canonistarum, de quo optimè Sylvest. verb. *confirmatio.* in princip. vbi citat ad hoc quatuor capita iuris canonici, maximè cap. *dilecta, de confirmatione vtili & inutili.* Si ergo Papa confirmans statutum via communi nullum illi dat robur, sed relinquit illud in robore antiquo: à fortiori epistola missiua vocans patronũ hunc prætensorem, nullum nouum ius illi tribuit ad patronatũ, sed relinquit illud in suo robore antiquo quod erat nullũ.

CASVS

CASVS XVIII.

An aliqua Religio possit condere statutum contrarium alicui præcepto, siue Decreto suæ Regulæ.

1 SVppono primo tria vota essentialia cuiusque Religionis, nunquam posse præscribi per tempus quantumcumque longissimum, quia tria vota essentialia sunt de iure naturali diuino, contra quod non datur præscriptio, & hæc tria vota semper obligant ad mortale in quacumque Regula. Suppono secundo aliquas Regulas aliquarum Religionum non obligare ad peccatum mortale, nec veniale, præter tria vota essentialia. sit exemplum in Regula Beati Patris Dominici, cuius Decreta præter tria vota essentialia, non obligant ad mortale, neque ad veniale, vt inter alios refert Sanchez *tom.2.Decalogi,lib.6.cap.4.* ex D. Thoma. Aliæ Regulæ præter tria vota essentialia habent etiam aliqua præcepta obligantia ad peccatum mortale ex declaratione Sedis Apostolicæ, qualis est inter alias, Regula Fratrum Minorum, quæ vltra tria vota essentialia habet plurima præcepta obligantia ad mortale, quæ vocantur obseruantiæ Regulares. Suppono tertio ex Sanchez citato *lib.6.cap.2.num.26.* quod obseruantiæ Regulares, id est, præcepta Regulæ extra tria vota possunt præscribi per consuetudinem longam in contrarium, licet alias ex declaratione Papæ obligent ad mortale. Probat Sanchez, quia cum hæc præcepta extra tria vota, non sint in se vota, sed solum præcepta positiua, quamuis à Sede Apostolica confir-

mata, possunt præscribi longo tempore, sicut multa alia præcepta Ecclesiæ longo tempore præscripta sunt in iure. Suppono hæc tria suprædicta etiam habere locum in Regulis Monialium, quæ quoad quatuor vota essentialia obligant ad mortale, & quoad hæc non possunt præscribi. Sed vltra tria vota essentialia habent multa Decreta, & præcepta quæ vt plurimum non obligant ad peccatum etiam veniale, sicut ipsæ viderint.

2 Tota ergo quæstio est, an Religio tota in Capitulo generali, vel Generalis Ordinis possint condere aliquod statutum, vel facere Decretum contrarium alicui præcepto, vel Decreto contento in sua Regula, vel in Regula Monialium suarum, per quod statutum, vel Decretum præceptum Regulæ annulletur, vel immutetur. Et suppono quod tale præceptum Regulæ quod immutatur per hoc statutum, non obligat ex vi Regulæ, neque ad veniale. Quod ergo possit Religio, vel Generalis istius facere prædictum Decretum, vel statutum, probatur primo, quia subditus non peccat venialiter omittendo hoc præceptum Regulæ, vel operando contra illud vt supposui: ergo nec Religio, vel Generalis peccabunt contra illud præceptum Regulæ aliquid addendo, vel contrarium præcipiendo, quia per hoc contrarium statutum non faciunt peccare subditum, nec venialiter. Secundo, vt diximus ex Sanchez *num.* 1. consuetudo in contrarium potest facere vt aliqua obseruantia Regularis, seu præceptum Regulæ extra tria vota obligans ad mortale, abrogetur, & desinat obligare propter consuetudinem contrariam; si hoc ergo potest consuetudo præscripta tollendo illud præceptum, idem poterit facere tota Religio, vel Generalis ipsius habens supremam potestatem circa regimen Religiosorum. Tertio, quia magis obligat votum

tum simplex factum à quocumque,quam obliget illud præceptum Regulæ,de quo agimus,cum nec obliget ad veniale : at iuxta Doctores communiter in materia de voto,si post votum materia voti sit mutata, ita vt reddita si inutilis,vel nociua,votum cessat,ac desinit obligare : ergo si in Religione materia alicuius præcepti contenti in Regula sit mutata per longitudinẽ temporis,vel reddita inutilis,vel nociua,ita vt Prælatus,& ordo iudicent fructuosius fore oppositum illius præcepti,poterunt illud statuere, & mandare ad commodius regimen ipsius Religionis.

3 His non obstantibus, resolutè credo , quod neque Capitulum generale cum ipso Generali , neque ipsum Generalem per se posse facere statutum, vel Decretum contrarium alicui præcepto posito in Regula etiamsi tale præceptum non obliget ad veniale , idque siue sit in Regula seruata à Fratribus , siue in Regula Monialium eisdem Fratribus subditarum, dummodo illa Regula sit confirmata à sede Apostolica , quales sunt hodie omnes Regulæ Fratrum,& Monialium. Hæc conclusio probatur validissimis,& claris argumentis.

1 Primum sit. Papa in confirmatione cuiusque Regulæ Religiosorum in fine, apponit hæc verba : *Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostræ cõfirmationis infringere,vel ei ausu temerario contraire.Si quis autem hoc attẽtare præsumpserit, indignationem omnipotẽtis Dei se nouerit incursurũ.* Quę verba sic rigorosa satis indicant mentem esse Papę obligare sub mortali,ne aliquis contradicat Regulę sic confirmatæ:vt enim Doctores communiter dicunt,ex tenore verborum, quibus vtitur legislator,colligendum est an præcipiat sub mortali , vel veniali,vt si vtatur verbis efficacibus, præceptiuis,nimium prohibitiuis , & comminatiuis : at in prædictis

Papa vtitur verbis similibus, ait enim: *Nullus omnino*, quæ sunt verba efficacissima, & valdè prohibitiua: ait præterea contra facientem, *incursurum esse indignationem Dei*, quod clarè supponit velle Papam contradictorem obligare ad peccatum, nam indignatio Dei non incurritur nisi ob peccatum. Cum ergo per hoc statutum factum contra Regulam (si fiat) contradicatur Regulæ, & proinde contradicatur confirmationi illius, per quam confirmantur omnia, & singula contenta in Regula, sequitur quod peccabunt fractores talis statuti, vel Decreti. Secundo colligitur hoc saltem ex Regula P.N. Francisci c. 10. Regulæ, vbi loquens de Prouincialibus erga subditos gubernandos dicit: *Non præcipientes eis aliquid quod sit contra animam suam, & Regulam.* Et aduerto quod citata proximè verba poni solita in confirmatione Regulę, *Nulli ergo omnino liceat.* Apposita sunt in cõfirmatione Regulæ vtriusque Monialium S. Claræ, vt videre est in fine vtriusque Regulæ. Et eodem c. 10. citato, P.N. Franciscus dicit, quod Fratres non tenentur obedire Prouinciali, si aliquid præcipiat contra Regulam, illis verbis. *Obediant suis ministris in omnibus quæ promiserũt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ.* Quod eodem modo intelligi debet de Regulis Monialium erga obediẽtiam Prælatorum præcipientium aliquid contra Regulam suam, cum vtrobique sit eadem omnino ratio.

2 Secundo principaliter probo, quia inferior non potest immutare legem superioris, Clement. *Ne Romani, de elect.* vbi dicitur iuncta rubrica, quod inferior non potest immutare constitutionem totam superioris, nec partem illius: vbi gloss. verb. *Inferiorem*, dicit, quod nec Concilium generale potest abrogare statutum Papæ. Idem tenet Nauarr. *lib. 3. consilior. tit. de Regular.*

*gular.conf.*5.citans c.*quod ijs,de maior. & obed.* & cap. *Inferior. dist.* 21. imo addunt Iuristæ, quod nec par in parem habet potestatem. At Capitulum generale simul cum Generali, & Generalis per se, sunt inferiores Papæ, vt patet: ergo non possunt abrogare legem confirmatam à Papa positam in Regula approbata per Papam. Neque obstat si dicatur quod Prælatus Generalis, vel Prouincialis dispensant in aliquibus præceptis Regulæ, vt in ieiunio, & similibus, vnde poterunt facere statutum contra illa præcepta in quibus dispensant. Non obstat, quoniam valdè diuersum est dispensare in vno præcepto, & facere statutum contra illud. Nam dispensatio non tollit præceptum in quo dispensatur, sed solum declarat, istum pro nunc non teneri ad præceptum, & manet præceptum in suo robore quod ad alios. At facere statutum contra præceptum Regulæ, est omnino tollere illud præceptum. Secundo, dico quod Prælati dispensantes in præcepto regulæ faciunt id ex commissione Papæ ad dispensandum: qui tamen committens vt dispensent Prælati, non censetur committere, vt faciant statutum contra præceptum regulæ. Exemplum est clarum, in Prælato dispensante cum subdito non valente dicere horas canonicas, iuxta concessiones Papales: talis enim Prælatus solum facit vt iste subditus pro nunc, non teneatur ad illas: at non facit statutum deobligans illum semper in futuro à recitandis prædictis horis, Quod etiã ex Regula Fratrum Minorum potest confirmari. In illa enim dicitur quod nullus Fratrum exerceat officium prædicationis, nisi fuerit examinatus, & approbatus à Ministro Generali: & sic seruabatur in principio Ordinis. Quia tamen postea Ordo excreuit; & valdè onerosum erat, vt omnes prædicaturi confluerent ex tam remotis partibus

examinandi à Generali, commisit Papa Nicolaus in cap. *exiit, de verb. signific.* vt Prouinciales possent facere prædictum examen, & approbationem prædicatorum, Vbi vides quod ad dispensandum in vno præcepto Regulæ necessaria fuit commissio Papæ; & proinde si Prælati dispensant in Regula, id faciunt ex commissione Papæ, quæ commissio ad dispensandum, non est commissio ad faciendum statutum contra Regulam, quia valdè diuersa sunt, vt constat ex paulo supra dictis.

3 Tertio principaliter probatur hoc: quia si Generalis posset immutare, vel abrogare vnum præceptum suæ Regulæ, eo quod non obliget ad peccatum mortale, vel vt posset in facere in multis præceptis simul eiusdem Regulæ: imo posset id facere in omnibus præceptis Regulæ, & proinde derogare toti Regulæ: quod est plusquam absurdum. Tenet consequentia, quia non est maior ratio de vno præcepto, quā de alio, & de duobus, &c. Si autem id potest impunè facere in vno, poterit in singulis, & in omnibus. Demus exemplum in Regula, cuius nullum præceptum obligat ad peccatum, qualem supra diximus esse Regulam B P. Dominici: si ex ea quod nullum eius præceptum obligat ad peccatum posset Prouincialis vnum illius præceptum annullare, posset & singula, posset & omnia. Quod non credo ab illis tam Religiosis Patribus B. Dominici concedendum: imo puto illos de sua Regula dicturos id quod Christus D. de lege antiqua dixit non violanda ante Passionem suam. Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, &c. quod singulæ Religiones circa suas Regulas satagunt custodire

3 Quarto principaliter hoc probo ab authoritate, & imprimis, hoc probatur ex D. Bern. *lib. 1. de dispens. & præcepto,*

*præcepto col.*4. vbi tractans quod Prælatus nihil possit præcipere cõtra Regulam. Ponit hæc verba. Nihil mihi Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat quam promisi. Idem tenet D. Thom. *quodl.*10. *art.*10.*c.*22.*q.*104.*art.*5 *ad* 3.& S.Antoninus 3.*part.tit.* 16.*cap.*10.§ 9.& Gaët ad citatum *art.*5.D. Thom.Facit etiam optimè quod tradit D. Thomas 1.2. *q.*97. *art.*2. vbi elegãter probat nunquam esse vtile recedere à consuetudine antiqua tradita à maioribus:cõstat vero quod præceptum positum in Regula est consuetudo antiqua tradita à maioribus fundatoribus Religionum,& à Papa Regulam confirmante. Verba autem D.Thomæ sunt hæc. *Habet legis mutatio quantum in se est detrimentum quoddam communis salutis: quia ad obseruationem legum plurimum valet consuetudo.* & paulo post subdit: *Vnde dicitur à iurisperito, quod in nouis rebus constituendis euidens debet esse vtilitas, vt rectè recedatur ab eo iure quod diu æquum visum est.* Sic ille optimè sicut solet. Et ibidem citat textum ex 12.dist. In quo Papa Nicolaus sic inquit. *Ridiculum est,& satis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus, infringi patiamur.* Idem tenet expressè Sylvester verbo Religio 3.*q* 2.ad finem, vbi dicit expressè quod Regula non potest mutari à Prælato. Et citat Ioannem Andream sic expressè dicentem. Idem tenet in terminis Lessius *lib.*2. *de iust.c* 41. *dub.*9.*n.*74.§. quod superior. vbi dicit, Prælatum non esse dominum Regulæ vt illam mutet,sed esse tantum custodem Regulæ, vt illam faciat obseruare, & per illam subditos dirigat. Idem colligitur ex Sanchez *lib.*6. *Decalogi*, *cap.*3. *num.*8.in principio.

5 Circa prædicta insurgit dubitatio: an dato quod factum sit vnum statutum contra præceptum aliquod

Regulæ, & hoc ſtatutum per conſuetudinem quadraginta annorum ſit receptum in aliquibus Prouinciis vnius Ordinis, v.g. in Prouinciis Minorum quæ ſunt in Portugallia, quæ conſuetudo ſufficiens eſt ad abrogandam legem Eccleſiaſticam, & tamen hoc ſtatutum non fuit practicatum, nec receptum in aliis Prouinciis eiuſdem Ordinis, an prædictum ſtatutum obliget in illis Prouinciis vbi non fuit receptum, & an poſſit tolerari, & ſeruari in illis in quibus fuit receptum? Reſpondeo nullo modo obligare in illis Prouinciis, in quibus nunquam fuit receptum: ſed poſſe tolerari in illis Prouinciis, in quibus per quadraginta annos eſt receptum. Prior pars conſtat, quia iuxta communem Doctorum ſententiam lex non recepta in principio non obligat: & lex iſtius ſtatuti non fuit recepta in illis Prouinciis, vt dicitur, imo fuit reiecta, quia reclamabat lex oppoſita Regulæ contra quam ſtatutum factum eſt. Secunda pars probatur, quia conſuetudo præſcripta ſi eſt rationabilis, & quadraginta annorum, poteſt abrogare legem Eccleſiaſticam poſitiuam, non vero naturalem. Neque vero nouum eſt quod lex vna obliget in vno regno vbi fuit recepta, non vero obliget in alio vbi non fuit recepta. Conſtat clarè ex Concilio Tridentino, quod obligat in tota Eccleſia vbi fuit receptum: non vero obligat in Gallia vbi non fuit receptum in totum, ſed quoad ſolas definitiones fidei, quas illi non poſſunt reiicere. Et etiam exemplum in motu proprio Pij V. *De cenſibus*, qui in aliquibus regnis non fuit receptus quoad omnes clauſulas illius.

6 Pro ſolutione argumentorum præmitto quod conſuetudo poteſt abrogare legem generalem etiam Eccleſiaſticam, ſi ſit conſuetudo legitimè præſcripta, rationabilis, &c. De quo multa tradit Suarez *tom. de legibus*,

bus, lib. 7. cap. 18. *à num.* 2. vbi citat multos Doctores, & textus: sed quando consuetudo sic abrogat legem Ecclesiæ, est quia Papa consentit, vt stante tali consuetudine lex non obliget, sicut aliàs ius canonicum habet definitum in aliquibus capitulis *in tit. De consuetudine*, & sic in tali casu Papa consentit explicitè, vt talis consuetudo legem abroget. In quo casu aduerto, quod tunc nullus Prælatus inferior Papa abrogat illam legem, neque Episcopus, nec Archiepiscopus: sed ipse Papa abrogat, vel consentit abrogari propter consuetudinem contrariam. Vnde maiorem vim habet consuetudo de consensu Papæ ad abrogandam legem Ecclesiæ, quam habeat Archiepiscopus, vel alius Prælatus inferior Papa. Nam Archiepiscopus per se non potest abrogare legem Ecclesiæ generalem, quam tamen abrogare potest consuetudo modo prædicto, id est annuente Papa.

Solutio argumentorum.

7 HOc posito, ad primum argumentum, concesso antecedente, videlicet non peccare subditum facientem contra præceptum Regulæ quod non obligat ad peccatum, nego consequentiam, videlicet, quod ideo possit Prælatus sine peccato, facere statutum in contrarium. Do imprimis exemplum clarum. Ille qui facit contra consilia Euangelica, videlicet contra paupertatem, &c. nolens esse pauper, nolens seruare virgintatem, sed nubit, vel quid simile, non peccat etiam venialiter, vt omnes concedunt, dicentes non esse peccatum veniale agere contra consilia Euangelica: & tamen Prælatus non posset in hoc contrariũ præcipere, quod videlicet operarentur contra consilia

Euangelica, vel vt ab illis abstinerent: iam enim præciperet contra consilia Euangelica. Secundo dico esse diuersam rationem: nam si vnus tantum, vel alter Religiosus operantur contra tale præceptum Regulæ non obligans ad peccatum, non proinde operatur tota Religio: at per statutum factum contra illud præceptum Regulæ tota Religio operatur contra Regulam. Tertio facit optimè quod tradit Sanchez *tom.2. Decalogi, lib.6.c.4.n.*18.dicens quod in Religione, cuius Regula non obligat ad peccatum, si aliquis Religiosus nollet vnquam seruare silentium, nec orare, nec modestè incedere, & ingrederetur omnium Religiosorum cubicula, & similia Religionis statuta transgrederetur, eo quod singula ad culpam per se non obligant: iste absque dubio perturbaret totam Religionem, & se in eo statu constitueret, vt oporteret tanquam incorrigibilem eum ab ordine expelli, sic Sanchez: & per hæc satis responsum manet ad primum argumẽtum negando illius consequentiam.

8 Ad secundum argumentum similiter concesso antecedente neganda est consequentia. Patet ratio ex dictis proximè in *n.*6. Nam potest consuetudo præscripta abrogare legem Papæ modo ibi exposito, & ob causam ibi assignatam, quia scilicet Papa consentit: hanc tamen legis abrogationem non potest facere Prælatus inferior Papa propria authoritate, quia ad abrogandam legem Ecclesiæ non habet Prælatus Papa inferior tantam potestatem, quantam habet consuetudo modo explicato eodem *num* 6.

6 Ad tertium argumentum dicendum est, nunquam aliquam materiam contentam in Regula approbata per Papam posse reddi nociuam animæ, quia cum sint omnia in illa contenta bona, & recta ex se nunquam possunt

possunt esse nociua, & iniqua communitati: item nunquam possunt esse inutilia bono communi, quia si talia esse possent, nunquam à Papa approbarentur, maximè cum per tot annos seruata nunquam sint inuenta inutilia, nociua, &c. Item nunquam materia contenta in Regula potest reddi impossibilis communitati, quæ iam à tot annis experta est omnia contenta in Regula esse possibilia, licet aliàs sint difficilia, vt patet maximè in perpetua abstinentia à carnibus in Cartuzia, & in multis præceptis contentis in Regula B.P.N. Francisci, quæ licet difficilia sint, non tamen sunt impossibilia communitati. Quod si aliqua materia contenta in Regula euaderet impossibilis alicui, vel aliquibus in particulari, tunc sufficiet cum istis dispensare per concessiones Pontificias, non vero statutum facere, obligans ad non seruandam Regulam etiam in vna particulari materia.

CASVS XIX.

Vbi sint dicendæ Missæ relictæ à quodam defuncto, qui locum non declarauit.

QVidam defunctus elegit ante mortem sepulturam apud Conuentum quemdam Regularium. Iussit in testamento vt pro anima sua celebrarentur perpetuo centum Missæ, sed non declarauit locum in quo essent dicendæ. Parochus Clericus dicebat illas Missas ad se pertinere. Et allegauit quod viginti ab hinc annis in Parochia sint dictæ. Prælatus Regularis Conuentus dicebat fore dicendas in Conuentu, seu loco

loco sepulturæ electæ à defuncto.

Quæritur primo, vbi sint dicendæ Missæ. Secundo, an Parocho prosit quasi possessio viginti annorum, vt in Parochiali Ecclesia sint dicendæ?

1 Quod attinet ad primum quæsitum, dico has Missas dicendas esse in Conuentu, vbi sepultus est defunctus. Sic expresè tenet Rodriguez *Addit. ad Summam, tom.* 4. ver. *Missa, cap.* 51. *concl.* 3. assignat ibi exempla fundata in iure, & citat Bartolum, qui videri potest in loco ibi citato. Ego hoc probo ex hoc communi dicto Iuristarum, videlicet, Omnis actus præsumitur fieri eo modo quo est vtilior ipsi agenti, quando agens non declarat intentionem: sed Missæ dictæ in loco vbi est sepultus defunctus, cæteris paribus, sunt vtiliores defuncto, quam dictæ extra locum sepulturæ; ergo hæ Missæ sunt dicendæ in Conuentu vbi sepultus est defunctus.

Maior asseritur à Sanchez *lib.* 6. *Decalogi, c.* 18. *num.* 48. *tom.* 2. vbi citans Bartolum, Tiraquell. & Menochium, dicit quod actus præsumitur fieri ab agente eo modo quo sibi est vtilior, Minor, quod scilicet Missæ pro defuncto magis illi prosint dictæ in loco sepulturæ: asseritur primo ab Innocentio Doctissimo Canonista ad capitulum *Fraternitatem, de sepulturis*. Et licet non legerim rationem ad id ab Innocentio adductam, videtur posse hoc probari ex praxi Ecclesiæ, quæ in processione generali in die omnium defunctorum primam orationem dicit pro illis, qui sepulti sunt in illa Ecclesia. Et potest adhuc probari per hoc simile. Nam Missa, vt dicunt Theologi, licet offeratur etiam pro omnibus fidelibus, magis tamen prodest illis, qui sunt præsentes Missæ, quam illis, qui sunt absentes: ita vt dicant Theologi quod tres portiones applicantur in

Missa:

Missa: vna Sacerdoti, altera toti Ecclesiæ, altera circumstantibus, & præsentibus Missæ. Cum ergo Sacerdos in secundo Memento Missæ oret in communi pro defunctis, cæteris paribus credi potest quod prius, & in particulari orabit pro defunctis præsentibus, id est sepultis in illa Ecclesia: sicut in Memento pro viuis specificè dicens, & omnium circumstantium. Et confirmatur, quia cum post Missam pro defuncto dicatur Responsorium pro defuncto cum aspersione aquæ benedictæ, illa aspersio facta super sepulturam magis illi profutura videtur, quam si fiat extra sepulturam. Probata igitur maiori, ac minori argumenti, benè infertur consequentia, quod scilicet hæ Missæ sint dicendæ in loco sepulturæ. Secundò probatur hoc ex ratione quam innuit Rodriguez citato loco, videlicet quia locus sepulturæ est domicilium electum à defuncto, in quibus verbis innuitur hæc ratio, vel similitudo. Homo in vita debet recipere Sacramenta in loco vbi eligit domicilium: præterea in loco sui domicilij debet citari, & iudicari, vt patet ex iure, & praxi: cum ergo sepultus in aliqua Ecclesia ibi elegerit domicilium, sequitur quod in eadem debet recipere suffragia defunctorum, quæ sunt Missæ: eodem ferè modo, quo homo viuus omnia sua bona, & suppellectilia congregat ad locum sui domicilij. Tertio hoc ipsum probatur ex praxi Ecclesiæ, nam communiter omnes fideles iubent Missas celebrari pro se in Ecclesia, vel Capella suæ sepulturæ.

2 Quod attinet ad secundum quæsitum, dicendum est, cum constet de certo Missas dicendas esse in Conuentu vbi sepultus est defunctus, non posse vlterius illas dici in Ecclesia Parochiali, non obstante possessione viginti annorum allegata. Probo hoc ex quodam dicto Nauarri, qui *tom. 2. suorum operum, cap. 5. de oratione, & horis*

*horis canon.notat.5.num.*12. dicit, quemdam Clericum residentem, v.g. in Vniuersitate Conimbricensi studij causa, non posse Conimbricæ dicere Missas, quas defunctus sepultus Eboræ, v.g. iussit pro se celebrari Eboræ; & se remittit Nauarrus ad illa quæ fusiùs dixerat paulo supra *n.*12. *eiusd.notat.* Et Zerola *praxis* 2.*part.* ver. *Missa, in princip.* dicit Imprimis, quod Missa defuncti plus illi prodest dicta in loco sepulturæ, quam alibi cæteris paribus. Secundo, dicit Zerola, quemdam Archiepiscopum Romæ à Gregorio XIII. petiisse licentiam vt posset Missas, quæ iussæ sunt dici in vna Ecclesia, mandare celebrari in alia Ecclesia eiusdem Archiepiscopi, & dicit Zerola Papam noluisse concedere. Et confirmatur, quia si hæ Missæ iussæ celebrari in loco sepulturæ testatoris, possent alio transferri, iam voluntas testatoris mutaretur in re notabili, quod non est admittendum. Scio, vel audio praxim esse incontrarium, quod videlicet Missæ dicendæ in vno loco ad aliũ transferuntur: de quo modo non disputo, quia à me quæsitum non fuit. Sufficiat mihi ad probandum quod dixi, adducere dicta à Nauar, & Zerola.

3 Et quod adducitur in oppositum à Parocho, suam Parochiam esse in quasi possessione viginti abhinc annis dicendi prædictas Missas. Dico Conuentum se posse tueri contra Parochum, quod viginti anni possessionis non sufficiunt ad præscriptionem inducẽdam, vt patet ex multis Capitulis iuris canonici, maximè cap. *de quarta, de præscrip.* & aliis multis textibus, vbi dicitur quod contra Ecclesiam non præscribitur nisi spatio quadraginta annorum: & iste Conuentus Religiosorum est Ecclesia vt patet; ac proinde Ecclesia Parochialis, de qua agitur, non potest præscribere contra istum Conuentum in spatio viginti annorum. Et præter

ter hoc ius commune, Religiosi communicantes in priuilegiis Patrum D. Benedicti, habent priuilegium prædictis Patribus D. Benedicti concessum, ne possit contra illos præscribi, nisi in spatio centum annorum, sicut ego cito in meo 1.*tom. Dubior. Regul.* ver. *Præscribere.* Pro quo priuilegio vide etiam Rodrig. *tom.* 3. *qq. quæst.* 35. *art.* 3. vbi dicit, quod Mendicantes gaudent illo priuilegio per communicationem, Et ibi citat Rodrig. aliud priuilegium diuersum concessum Patribus D. Benedicti in Portugallia ad idem intentum, quod ibi poteris videre.

CASVS XX.

De donatione cuiusdam sepulturæ, quæ fuerat alterius.

IN Capella cuiusdam Ecclesiæ Monialium sepulta fuit quædam fœmina nobilissima, idque ante annos quinquaginta. Data est illi Capella pro sepultura, in qua nomen illius fuit inscriptum in saxo. Sed defuncta moriens nullos redditus reliquit olei, ceræ, vel Missarum, vel pro fabrica perpetua, & ornatu altaris; ita vt Moniales deberent ornare altare, & imagines putredine consumptas reficere. Voluerunt Moniales Capellam hanc alteri fœminæ nobili donare, quæ se obligauit restaurare imagines, & redditus perpetuos Capellæ assignare pro illius fabrica, & ornatu cum Missis perpetuis. Quæsitum fuit, vtrum dictam Capellam dare potuerint secundę, non obstante quod fuerit prius iam donata priori. Et præterea quæritur, an Moniales

vltro

vltro redditus perpetuos pro fabrica Capellæ relinquendos petere, & accipere potuerint aliquam summam pecuniæ per modum venditionis ipsius Capellæ, & sepulturæ. Et omissis argumentis, quæ pro parte contraria possent adduci, dico sequentia.

1 Ad primum quæsitum dico posse Moniales dare istam Capellam secundæ fœminæ, non obstante quod fuerit prius donata primæ, & haberet suum nomen in Capella inscriptum. Hanc conclusionem ponit Rodrig. *tom.* 4. *Addit. ad Summ.* ver. *Sepultura, concl.* 14. vbi citat Vuald, & dicit quod si sepultura donetur alicui modo prædicto, & omnes hæredes illius mortui fuerint, poterit Prælatus Ecclesiæ, vel Conuentus illam sepulturam alteri donare. Imò clarè innuit quod poterit illam alteri donare etiam si primus defunctus aliquid reliquerit dicto loco pro fabrica, & ornatu Capellæ, quia inquit cum Vuald. mortuis omnibus hæredibus primi defuncti, ius sepulturæ redit ad proprietatem, & dominium Ecclesię, vel Conuentus. Hoc autem secundum dictum, quando primus defunctus aliquid reliquit perpetuum illi loco, ego non dicerem, quia video praxim in contrarium, & per illum redditum annualem, videtur defunctus cum Ecclesia pactum fecisse, vt nunquam alius ibidem sepeliatur. In hoc autem nostro casu nulla est dubitatio, quando prima fœmina nihil Ecclesiæ, vel Capellæ reliquit perpetuum, & omnes illius hæredes mortui sunt: imo hæredes nullos habuit, quia non nupsit in vita. Ratio huius rei esse potest, quia si per nudam donationem sepulturæ factam alicui, prohiberetur Conuentus, ne illam sepulturam alicui vlterius donare posset, intra paruum tempus non maneret in illa Ecclesia locus vbi possent alij fideles sepeliri, si ibi sepulturam elegissent. Et ego pro

hoc

hoc casu informationem cœpi in Diœcesi Olyssiponensi,& mihi dictum fuit in illa sic practicari. Et puto idem fieri in aliis Diœcesibus. Hoc tamen in præsenti casu admonui, quod ossa prioris fœminæ sepultæ in illa Capella,non poterant exhumari,vel alio transferri,quia iam ibi sepulta sunt cum debita licentia, & foret scandalum viuentium,& iniuria facta defunctæ eadem denuo sine culpa sua exhumare. Aduertant insuper Moniales quod dictam Capellam, si est ius patronatus, dare non possunt, nisi de consensu capituli Conuentus,& cum licentia sui Prælati, quia illa donatio continet alienationem bonorum Ecclesiæ:pro quo remitto lectorem ad illa quæ dixi in meo 2. *tom. Dub. Regul.* verbo *Capellæ Fratrum*, pro quo videndus erit Rodriguez in loco ibi à me citato.

2 Secundum quæsitum maius habet dubium : propter multa quæ aliqui Doctores olim in confuso dixerunt,non posse vendi sepulturam eo quod sit locus sacer, & proinde res sacra, cuius venditio est simonia. Dico nihilominus, sepulturam vendi posse quatenus terra est,seu materiale sepulturæ, non verò id,quod illi inest sacrum, seu benedictum. Tenet expresè Suarez *tom.1.de Religione, lib.4.de simonia,cap.14.n.17.* vbi citat multos, & remittit se ad alia loca suæ doctrinæ, maximè ad dicta in eodem *cap.14.à num.6.* in quo dicit cum aliis posse vendi calicem consecratum ratione materiæ,& chrisma olei benedicti pro sacramentis Baptismi, & Confirmationis ratione materiæ olei,dummodò vendantur alteri Ecclesiæ : maiorem verò consecrationem habet calix, & oleum chrismatis, quam habeat terra sepulturæ. Idem tenet Rodriguez *citatæ conclusione* 14. distinguens quod quando datur alicui sepultura, non datur illi dominium illius loci sacri;

nam sæcularis non potest habere dominium rei sacræ; sed solum illi datur ius, vel potius licentia, vt sepeliatur in tali loco sacro. Quod autem calix consecratus ratione materiæ auri, vel argenti vendi possit alteri Ecclesiæ, habet expresè D. Thomas *in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula 3.* quod à fortiori concederet de sepultura, quæ minorem habet consecrationem quam calix.

CASVS XXI.

De quadam iurisdictione delegata à quodam superiore, suo inferiori pro certa causa.

QVidam Prælatus inferior sententiam tulit in certa causa. Pars appellauit ad superiorem: iudex à quo acceptauit appellationem, & scripsit ad superiorem vt delegaret alium iudicem. Superior, alium delegauit, Petrum, v.g. & in delegatione commissa posuit hæc verba. Committo tibi Petro vt des executioni sententiam appellatam, quam tulit Iullanus in causa Iullani. Et in alia Epistola, quam misit iudici à quo, dixit iste superior: Ego mitto patentem, id est commissionem Petro, vt ille cognoscat de causa, & examinet datam sententiam: & det executioni puniens excessus rei, sicut viderit conuenire.

Hoc posito quæsitum fuit an Petrus per illam commissionem nudæ executionis, possit cognoscere de appellat. formando nouos processus? Et videtur quod non. Nam merus executor non potest cognoscere de causa,

cauſa, ſed ſolum tenetur exequi ſententiam, vt eſt communis Iuriſtarum opinio fundata in multis textibus: at Petro ſolum commiſſa executio datæ ſententiæ, vt cõſtat ex citatis verbis ſuæ commiſſionis: ergo cum ſit merus executor, non poteſt cognoſcere de cauſa faciendo nouum proceſſum: & è contra nec poteſt exequi ſententiam datam, quia cum fuerit appellatum, & appellatio ſuſpendat omnia, non poterit dare executioni ſententiam appellatam. Et confirmatur, quia cum commiſſio, ſeu delegatio iuriſdictionis ſit materia odioſa, talis commiſſio eſt ſtrictè interpretanda, ſolum quantum verba ſonant: per illa quæ latè tradit Sanchez *lib.* 8. *de Matrim. diſp.* 1. *à num.* 3. in ſimili materia: cùm ergo verba commiſſionis Petro ſolum concedant vt ſit executor ſententiæ, non poterunt intelligi vt ſit iudex cum cognitione cauſæ. Neque obſtat Epiſtola miſſa ſuperioris ad iudicem à quo, in qua dicit quod Petrus cognoſcat de cauſa, & examinet ſententiam; quia illa Epiſtola non eſt iuridica, nec facta pro tribunali, & maior fides adhibenda eſt patenti, ſeu literis commiſſionis factæ Petro, quam Epiſtolæ miſſiuæ.

In hoc caſu negari non poteſt, quin ſuperior egerit imprudenter ponens prædicta ſolum verba in delegatione facta Petro ob cauſam, & argumentum proximè poſitum, quamuis autem iſte caſus raro poterit contingere: ex dictis tamen in illo poterunt alij ſimiles reſolui.

2 Dico igitur, non obſtante perplexitate commiſſionis, potuiſſe Petrum per illam procedere tanquam verum iudicem non ſolum executionis, ſed appellationis ad faciendum nouum proceſſum. Probo primo ex Nauarr. *lib.* 5. *conſiliorum, tit. de hæreticis, conſilio* 18.

vbi ait quod vna ſcriptura dubia, debet explicari, & probari per aliam ſcripturam claram. Et dat exemplum, quando verba teſtamenti ſunt obſcura, tunc poſſunt declarari per verba poſita in codicillo: & quod per verba ipſius teſtamenti poſſunt declarari intentiones habitæ in donationibus factis in vita. Citat ad hoc Bartolum, Scæuolam, Alexãdrum, & cit. in tex. legum ciuilium. Vnum tantum refero, qui eſt l. *hæredes palam, §. ſi quis, ff. de teſtam.* ſub finem, quæ ſic habet. *Interpretationem verborum, quæ in teſtamentis reperiuntur obſcura, fieri poſſe ex vicinis ſcripturis; ex verbis enim prolatis in vna ſcriptura ſumitur interpretatio quid ſenſerit quis in alia.* Et citat etiam ad hoc Diuum Auguſtinum, & alios in numeris antecedentibus. Ergo verba obſcura poſita in commiſſione facta Petro debent explicari, & interpretari per verba clara poſita ab eodem iudice delegante in Epiſtola miſſa ad iudicem à quo. per quæ dicit ſe committere Petro iuriſdictionem, vt iudicet, & cognoſcat de cauſa, quod eſt facere illum delegatum ad omnia pertinentia ad cauſam. Nec obſtat quod declaratio ſit facta per Epiſtolam miſſam ad aliũ, cum enim ſit miſſa pro eodẽ intento, ſatis declarat mentem iudicis, vt patet ex dictis. Secundo probo ex cap. *intelligentia, de verb. ſign.* vbi ſic ait tex. *Intelligentia dictorũ ex cauſis eſt aſſumẽda dicendi, quæ non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus.* Id eſt, explicatio verborũ obſcurorum ſumenda eſt ex cauſa quæ interuenit ad verba dicenda: ſed in hoc caſu, verba poſita in commiſſione Petri poſita ſunt vt deferret appellationi acceptatæ; cum ergo ſuperior ſciret, vt tenebatur ſcire, cauſam appellatam, ſeu à qua fuit appellatum, non poſſe dari executioni, voluit vtique per verba commiſſionis factæ Petro illum conſtituere non executorem merum, ſed iudicem

dicem cum cognitione causæ : & in hoc seruit etiam quod superior in hoc voluit se accommodare, & satisfacere literis missis à iudice à quo appellationis, qui petebat vt faceret superior alium iudicem delegatum, qui plenè cognosceret de appellatione, & de ipsius causæ meritis. Tertio probo argumento nouo, sed efficaci: nam iurisdictio potest committi ex coniecturis: vt tenet Sanchez *lib. 3. de Matrimon. disput. 31. num. 7.* cum Nauar. ibi citato : vbi ait delegatum ab Ordinario, etiam non Principe, posse subdelegare, etiam si sibi non fuerit expressè commissa potestas subdelegandi, si tamen aliàs ex coniecturis colligat, Ordinarium delegantem id ratum habere. Et tamen communis sententia docet, quod delegatus, si non fuerit à Principe, non potest subdelegare: & in hoc casu ex coniecturis suprapositis satis colligitur quod mens, & intentio superioris fuerit Petro delegare iurisdictionem ad cognoscendum de causa, non vero solum, ad constituendum illum merum executorem sententiæ iudicis à quo, quæ non poterit executioni mandari cum ab illa fuerit appellatum, & appellatio acceptata.

2 Secundo principaliter probatur ex eo quod tradit Nauar. *in Sum. cap. 27. num. 255.* vbi, licet dicat, quod quando Episcopus concedit alicui facultatem plenam audiendi confessiones alicuius, non ex eo videtur concedere facultatem absoluendi à casibus sibi à iure reseruatis : nihilominus, si constet probabiliter Episcopum etiam voluisse concedere facultatem absoluendi à reseruatis, credendum est illam concessisse, & poterit talis confessor illa vti. Itaque ex coniecturis probatur iurisdictionis commissio, maximè in Prælato benè affecto. Tertio, quia curandum valdè est vt actus valeat, quando est dubium, & non vt pereat, vt latè pro-

bat Sanchez citans multos *lib.3.de Matrim.disput.35. num.* 19. At si ista delegatio secundi iudicis tantum committeret, vt esset Petrus purus executor, actus periret id est commissio nihil valeret: ergo curandum est, vt valeat,& explicanda, vt committat non meram executionem,sed etiam causæ cognitionem. Maior, & consequentia patent; minor probatur ex dictis, quia ista causa appellata non indigebat mero executore, sed iudice causæ cognitore, & potente facere nouum processum. Et potest credi quod error istius commissionis ortus fuit ex inaduertentia,vel ignorantia secretarij superioris, & quod superior literas commissionis non legit, sed solum scripto firmauit. Vltimo confirmo hoc ex traditis à Sanchez *lib.3.de Matrim.disp.37. concl.* 2. vbi supponit quod Parochus assistens matrimonio coniugum vtitur quasi iurisdictione, vel habet exercitium iurisdictionis per illam assistētiam decretam à iure,eandémque habet quiuis Sacerdos assistens matrimonio de licentia proprij Parochi; & non valet assistentia cuiusuis Sacerdotis,sine licentia proprij Parochi.Quo proposito,quærit ibi Sanchez,an Sacerdos non Parochus,possit,ac debeat credere aliquibus sponsis dicentibus se habere licentiam proprij Parochi, vt talis Sacerdos illos matrimonio iungat. Et respondet citata *concl.*2.quod si persona referens de commissione Parochi,sit persona valdè fide digna,poterit hic Sacerdos illi credere,eósque matrimonio iũgere,pro quo citat multos Doctores ibidem *n.*3.& citauerat alios *n.*21 vbi vides quod ex sola relatione personæ valdè fide dignæ, possum ego credere me habere iurisdictionem ad aliquid faciendum, & illa vti. At in nostro casu quod iste iudex secundus habeat commissionem, & iurisdictionem ad cognoscendum de causa cum nouo

pro

processu, constat non ex reuelatione qualis qualis personæ, sed ex Epistola ipsius superioris scripta ad iudicem à quo, in qua mentem, & intentionem suam explicat: ergo secundus iudex delegatus credere debet se habere iurisdictionem non meri executoris, sed iudicis cognitoris causæ, & potentis processus nouos instituere, & nouam sententiam proferre. Et per hoc vltimum dictum, simul cum dictis *num.* 1. præcedente soluentur facilè argumenta initio adducta in contrarium.

CASVS XXII.

De priuilegio cuiusdam Domini patroni cuiusdam Conuentus Monialium.

QVidam Dominus patronus cuiusdam Conuentus Monialium, obtinuit à Summo Pontifice, vt in prædicto Conuentu ponerentur confessores ab eo designati: & è contra vt Prælati eos amouerent ad petitionem eiusdem Domini. Idem Dominus, & antecessores illius tali priuilegio nunquam sunt vsi. Et præterea post illud priuilegium obtentum, officium illius confessoris valdè immutatum est: nam ante priuilegium erat parus confessor Monialium, sed postea in Capitulo factus est Prælatus quatuor Capellanorũ ibi residentium, & habet votum in Capitulo, quæ antea non habebat. Et præterea continebat priuilegium aliquas clausulas, quæ mox dicentur, quæ nunquam fuerunt positæ in executione. Proposita fuit quæstio in facti contingentia, an prædictum priuilegium hodie obligaret Prælatos ad illius executionem. Ego respon-

di illud hodie non obligare, ob causas sequentes.

Prima ratio, ex forma priuilegij nunquam seruata.

1 QVod prædictum priuilegium non obliget, probatur primo, quia illius forma nunquam posita fuit in praxi. Nam inter alia quæ continet est hoc vnum, quod Generalis ordinis designabit vnum gubernatorem pro gubernandis septem, vel octo Monasteriis Monialium eiusdem Domini, & quod dictus gubernator poterit amouere confessores illarum, quos ille Dominus petierit. Quæ forma à Papa assignata nunquam fuit practicata in illa Prouincia, neque vnquam assignatus fuit talis gubernator pro illis tantum Monasteriis Monialiũ, sed Prouincialis Prælatus communis Prouinciæ semper illas gubernauit sicut cæteras eiusdem Prouinciæ, inter quas sunt multi Conuentus Monialium, quorum Rex Hispaniæ est verus patronus: cum ergo forma priuilegij nunquam fuerit seruata in re notabili, priuilegium nullum est. Quod autem non seruata forma priuilegij amittatur priuilegium, est communis Doctorum sententia, quam tradit Suarez *tom. de legibus, lib. 8. c. 13. à num. 2.* vbi ait, quod si forma assignata in priuilegio sit substantialis, illaque non seruetur, corruit priuilegium: & se remittit Suarez ad id quod antea dixerat, *eod. tom. lib. 5. cap. 31.* videlicet quod tunc intelligitur formam actus esse substantialem, quãdo ipsa lex instituit actum cum solemnitate ab ipsamet lege inuenta: in hoc vero priuilegio ipse Papa designat solemnitatem seruandam, vt scilicet assignetur particularis gubernator septem Monasteriorum, &c. quæ forma nunquam seruata fuit: & fuit hæc forma

forma particularis inuēta à Papa, ita particularis, quod fuit exorbitans à iure communi : nam eximebat illa septem Monasteria à iurisdictione ordinaria Prouincialis, & illa tradebat gubernatori, ac proinde fuit forma substantialis priuilegij, quæ non fuit seruata. Probat Suarez hoc multis exemplis, & rationibus, & ex vna Clementina. Facit etiam quod tradit idem Suarez *num.* 9. tunc formam actus esse substantialem, cuius omissio annullet actum, quando in concessione conceditur noua potestas ad aliquid faciendum, quæ potestas antea non dabatur. At cōstat quod in citato priuilegio dabatur noua potestas ad aliquid faciendum, quæ antea non dabatur: concedebatur enim quod assignaretur nouus ille gubernator, & præterea quod ille posset amouere confessores ad nutum illius domini, quæ potestas, & noua erat, & nunquam antea concessa. Habentur hæc omnia expressè in cap. *cum dilecta, de rescriptis.* vbi Papa declarat irritum quemdam processum, quia factus fuerat contra formam mandati Papalis sub his verbis : *Propter quod processum illorum contra nostri formam rescripti, ac iuris ordinē attentatum, irritum decernimus, & inanem.* Idem habetur clarè in cap. *Venerabili, de officio legati.* illis verbis. *Quia contra mandati nostri tenorem.* &c. & cap. vlt. *de restit. spol.* Denique videatur Sylvest. verb. *Mandatum quæst.* 7. vbi dicit, quod non seruans formam mādati, facit actum nullum, siue faciat contra mandatum, siue præter formam mandati: & citat ad hoc cap. *si cui de elect.* iuncta glossa in 6. & Panormitanum in dicto cap. *si cui*, in fine capitis expressè ait non valere actum omissa forma præscripta : vbi glossa verbo *præter*, ait citans aliquos textus, quod ista duo æquiparantur, præter, & contra. Si ergo hodie velint, iuxta citatum priuilegium, amouere ab

officio vnum confessorem, cum talis priuilegij forma nunquam fuerit seruata, facient & contra formam priuilegij, & præter formam illius.

Secunda ratio nullitatis ob non vsum, & contrarium vsum.

2 SEcunda ratio principalis contra ostensum priuilegium, est quia per non vsum, vel contrarium vsum est iam amissum. Et imprimis dico esse amissum per non vsum. Nam cum illud habeat ab annis septuaginta, nunquam illo vsus fuit iste Dominus, nec ex vi illius aliquis confessor Monialium fuit positus in officio, vel amotus ab officio: & non deerant occasiones in quibus ille posset vti: & suppono esse notorium in Prouincia, quod illo nunquam vsus fuit. Quod vero quando priuilegium est affirmatiuum, quale est istud, ad aliquid faciendum (maximè si ex illo redundet grauamen aliorum, vt ex isto resultat) amoueri scilicet ab officio ad nutum Domini, quod inquam hoc priuilegium affirmatiuum redundans in grauamen alicuius, possit præscribi per non vsum, & Prouincialis possit agere contra illud propter non vsum, probat efficaciter, & euidenter Suarez *tom. de leg lib.* 8. *cap.* 34. maximè *num.* 16. cum præcedentibus. Vbi ponit exemplum in electoribus, qui videlicet per actus contrarios eligendi possunt præscribere contra priuilegium illius, qui habet ius eligendi, vel præsentandi, & omisit eligere, vel præsentare. Quod in terminis contigit in hoc casu, vbi nec Generalis Ordinis designauit gubernatorem septem monasteriorum, nec prædictus Dominus vllum confessorem petiit poni, nec amoueri per annos 70. & è contrario Prouincialis cum diffinitorio est in possessio

possessione per annos 70. præsentandi, & amouendi confessores in vno monasterio, propter quod præsens quæstio mota fuit. Et tenet Suarez citato loco, quod si ista opinio communis Iuristarum, quos citauerat in principio eiusdem capitis *num.* 2. videlicet Panormit. Decium, Innoc. Felin. Bald. & affert rationes claras, & validas, quæ possunt videri citato *num.* 16. & 19. ibidem ait cum communi opinione, quod ad præscribendum contra hoc priuilegium grauans alios, vel auferens iurisdictionem aliorum, sufficit tempus decem annorum: & in isto casu cutrerunt iam plusquam sexaginta anni. Probatur insuper amissio istius priuilegij propter non vsum, ex eo quod ait Alexand. III. in c. *si terra, de priuil.* vbi Papa cõtra quosdam Religiosos habentes priuilegium ad non soluendas decimas de quibusdam terris, quo priuilegio non obstante, dicti Religiosi spontè à triginta annis soluebant decimas quibusdam Canonicis, & post triginta annos allegarunt prædictum priuilegium; decernit Papa vt soluant decimas, eo quod dicto priuilegio vsi non fuerint per annos triginta. Verba textus sunt hæc. *De priuilegio tamen indulto tanto tempore vobis de habere voluistis, cum liberum sit vnicuique suo iuri renunciare, eoque modo non potestis vos in hac parte tueri.* Vide etiam ibidem glossam in ver. *Renunciare.* Idem habetur in cap. *Accedentibus, de priuil.* vbi Papa Innocent. III. contra quosdam habentes priuilegium ad non soluendas decimas, & tamen illas soluebant, ait Papa: *Cum enim tanto tempore contra indulta priuilegia decimas soluerint, eis renunciasse tacitè præsumuntur.* Idem habetur in cap. *cum accessissent, de const. in fin.* vbi glossa ver. *cõtrauenerint.* vbi citat Doctores dicentes, quod qui impetrauit priuilegium ad aliquid agendum, & per decennium illo non vtitur, illud

lud amittit. Et citat alios Doctores dicentes, quod priuilegium amittitur per vnum actum contrarium. Vide etiam gloſſam in cap. *ſuggeſtum, de decimis.* in ver. *Priuilegia* vbi aliqua citat ad intentum.

3 Et hi omnes textus, & Doctores fundantur in ratione adducta à Suarez ex eiſdem, videlicet quod priuilegiatus qui non fuit vſus priuilegio cum potuit, videtur eidem priuilegio renunciaſſe; maximè cum à parte contraria acceſſit præſcriptio per tot annos, præſentante, & amouente ſolo Prouinciali confeſſores prædicti Conuentus. Pro quo adhuc videri poteſt capitulum *ex ore.* de iis quæ fiunt à maiori parte Capituli, cum gloſſa ibidem, in verb. *Renunciaſſe videtur.* Vltimo confirmatur hic punctus ex praxi Summ. Pontificum: quorum multi confirmantes priuilegia aliquarum Religionum (quæ ſunt firmiora quam priuilegia conceſſa Dominis ſæcularibus) vſi ſunt his verbis: *quatenus ſunt in vſu,* vel *quatenus ſunt in viridi obſeruantia,* vt habetur in Bullario Rodrig. *fol.* 826. *col.* 2. paulo poſt initium, cum Iulius III. confirmauit priuilegium Ordinis Minorum. Eandem limitationem, quatenus ſunt in vſu, expreſſit Gregorius XIII. in confirmatione priuilegiorum eiuſdem Ordinis Minorum in eodem Bullario. Rodrig. *fol.* 985. *col.* 2. poſt medium: & idem fecerunt alij Summi Pontifices innuentes nolle ſe confirmare priuilegia antiqua quæ non erant in vſu. Si ergo Sum. Pontifices nolunt valere priuilegia Religionum, quæ ſic inſeruiunt Eccleſiæ die noctúque, quando non ſunt in vſu: quomodo credendum eſt velle Summum Pontificem vt valeant priuilegia conceſſa Dominis ſæcularibus, quæ non ſunt in vſu, maximè quando ex illis redundat grauamen aliquorum, ſicut reſultat ex iſto priuilegio, de quo agitur, cum per illud poſſint confeſſores

fores amoueri ad nutum Domini ſæcularis, & Prouincialis priuetur iure præſentandi eoſdem confeſſores?

Tertia ratio nullitatis ex mutatione materiæ priuilegij.

4 TErtia ratio, ob quam prædictum priuilegium hodie non valet, eſt quia materia priuilegij poſtea fuit mutata. Nam quando priuilegium fuit obtentum, cõfeſſores iſtius monaſterij, de quo ſermo eſt, erant ſolum confeſſores. Sed poſtea in Capitulo confeſſores iſtius Cõuentus creati ſunt Prælati cum voto in Capitulo, quæ eſt magna mutatio: nam in iure communi, & in praxi Religionis maior reſpectus ſeruandus eſt cum Prælato, quam cum illo, qui non eſt Prælatus: & difficilius amouetur ab officio Prælatus, quam non Prælatus: vnde in ordine Minorum Prouincialis per ſtatuta generalia non poteſt amouere ab officio alios Religioſos habentes culpam, ſi ſunt Goardiani. Eſt ergo valdè immutata materia iſtius priuilegij circa confeſſorem amouẽdum petente Domino ſæculari: quod vero Prælati non debeant amoueri ab officio niſi ob culpas, & per ſententiam, habetur in cap. *Monachi, de ſtatu Monachorum*. quod eſt deſumptum ex Concilio Lateranenſ. vbi ſic dicitur: *Priores autẽ per electionem Capitulorum ſuorum canonicè inſtituti, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa non mutentur.* & ſtatim ibi Papa ponit exemplũ cauſarũ ob quas poſſint amoueri, vt *Videlicet ſi fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint*, &c. Iſte vero confeſſor, de quo agitur, eligitur canonicè in Capitulo, & nullam commiſit culpam; ergo non poterit amoueri virtute talis priuilegij, cum priuilegium

gium non deroget iure communi, qualis est textus citati Capituli. Propter quod Capitulum motus Rodriguez 3.*qq Reg. q.29.art.9.* propè finem, dicit quod neque in Ordine Minorum potest Prouincialis cum diffinitoribus amouere ab officio Goardianum ante finitum triennium: & citat ad hoc Panormitanum, & Nauarr. & Pater Frater Thomas de Iesu Carmelita Discalciatus in suo tract. *de statu Monachorum*, 4.*p.c.*1.*fol.* 116. dicit quod officia quæ in Ordine dantur per electionem, non possunt auferri ad nutum Prælati; & idem tenet Sanchez *tom.*2. *Decal.lib.*7.*cap.* 29. pro quo citat Cardinalem, Cassador. Milis. & alios tres *n.* 118. Facta igitur tam notabili mutatione in officio confessoris istius Conuentus, priuilegium obtentum ab isto Domino ante istam mutationem non habet vires vllas. Quod autem priuilegium non valeat post factam notabilem mutationem materiæ, est textus expressus in cap. *fuggestum, de decimis.* vbi rubrica sumpta de tex. sic habet: *Reuocatur priuilegiũ si ex post facto incipit enormiter nociuum esse.* Hoc priuilegium hodie est notabiliter nociuum, cum permittat auferri officium Prælato sine culpis, & ad nutum Domini sæcularis, qui poterit ad libitum, vel ex passione animi procurare talis Prælati amotionem cum notabili sua infamia. Et glossa in citato cap. ver. *Priuilegia*, dicit, *quod secundum diuersitatem temporum, & varietatem rerum priuilegia sunt varianda.* Pro quo citat ibi tres textus, quos omitto breuitatis gratia. Confirmo hoc amplius à simili. Nam omnes Doctores in materia voti, & iuramenti dicunt quod si post votum, & iuramentum, materia voti, vel iuramenti notabiliter mutata est, cessat, & non obligat votum, vel iuramentum, quando ita mutata est, vt si vouens, vel iurans, talem mutationem aduerteret, nec

voue

voueret, nec iuraret. De quo latè Sanchez 1. *tom. Decalogi, lib. 4. cap. 2. à num. 20. & seqq.* Si ergo votum, & iuramentum, quæ obligant de iure diuino naturali, non obligant post factam mutationem notabilem materiæ, multo minus obligabit hoc priuilegium quod est lex Ecclesiastica, cum post illud sit valdè mutata materia confessoris.

5 Sed obiicis, ac dicis, quod non obstante ista mutatione materiæ, vel Prælaturæ, & non obstante citato cap. *Monachi, de stat. Monach.* præcipiente ne Prælati electi in Capitulo amoueantur sine culpis, dicis eo non obstante posse hodie P.R. Generalem prædictum confessorem amouere, quia illum non amouet propter culpas; sed cum authoritate Papæ, qui ad hoc concessit istud priuilegium. Papa vero est supra statuta Ordinis, & supra ius commune, vt patet. Respondeo obiectionem non valere: quia quando hoc priuilegium impetratum est, materia illius non erat posita sub prohibitione Concilij generalis sicut modo est; & proinde modo subiacet prædicti capitis *Monachi* dispositioni: vt vero derogetur alicui legi positæ in Concilio generali Lateranensi, non sufficit derogatio generalis posita in isto priuilegio: sed necessaria est derogatio particularis, quæ dicit, non obstante etiam constitutione Concilij generalis, Sic docet, & probat Rodrig. *tom. 3. qq. q. 37. art. 4.* post medium, vbi citat Archid. Baldum, Paulum de Castro, Iacobat. & alios. Idem tenet Sanch. *3. lib. de Matrim. disput. 26.* vbi citat multos alios dicentes nunquam Papam censeri derogare Concilio generali per derogationem generalem, & ordinariam nisi illud exprimat. Rationes efficaces ibi afferunt duo proximè citati Doctores. Non ergo per hoc priuilegiũ derogatur illi capitulo *Monachi* desumpto à Concilio

cilio Lateranenſ. Si enim cum Papa conceſſit hoc priuilegium, officium illius cõfeſſoris maneret mutatum in Prælaturam, illud priuilegium non concederet, ne violaret illud ius commune Concilij Later. & ad hoc etiam omnino ſeruit illa *Regula iuris in* 6. In conceſſione generali, non veniuut illa, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus. Si enim tunc Papa ſciret, quod illud officium confeſſoris mutandum eſſet, vel coniugendum cum officio Prælati ſicut modo eſt: omnino probabiliter credi debet quod Papa non eſſet conceſſurus vt vnus Prælatus ad petitionem domini temporalis amoueretur ab officio, cum infamia.

6 Soluta obiectione, redeo ad intentum, quod ſcilicet Prælatus ab officio amoueri non poſſit ſine culpis. Pro quo adduco cap. *intentum eſt* 16. *quæſt.* 7. vbi dicitur quod Sacerdos qui habuerit aliquam Eccleſiam: *Hanc non niſi graui culpa ſua, & coram Epiſcopo canonica ſeueritate amittat.* Notentur verba omnia, quæ clarè, & nimis probant noſtrum caſum: pro eodem intento citat ibi gloſsã in verbo, *graui culpa*, citat multos textus, qui poterunt ibi videri. Solum refero vnum textum ex ibi citatis, qui eſt in cap. *ſatis peruerſum, diſt.* 56. qui eſt deſumptus ex D. Gregorio Papa, qui *lib.* 10. *Epiſt. Epiſtola* 8. ad Columbum Epiſcopum, ſic ait: *Satis peruerſum eſt, & contra Eccleſiaſticam probatur eſſe cenſuram, vt fruſtra, & pro quorumdam voluntatibus quis priuetur, quem ſua culpa, & facinus ab officij quo fungitur gradu nõ deijcit.* Quo nihil clarius, & efficacius ad noſtrum caſum poteſt deſiderari, in quo ad voluntatem domini temporalis volunt deiicere à ſtatu honorifico patrem benemeritum ſine culpa. Facit etiam pro eodem intento quod tradit Rodrig. *tom.* 2. *qq. q.* 51. *art.* 12. paulo ante medium, vbi citans multos textus, dicit quod licet Pa-

pa

pa commissione Papali committeret alicui vt priuaret voto actiuo, & passiuo illos quos iudicaret priuandos ad arbitrium suum: adhuc non posset talis Commissarius in vna electione aliquem priuare, nisi illum prius citatum,& auditum:quia similes Bullæ Pontificiæ non tollunt illa, quæ sunt de lumine naturali:qualis est citatio partis, &c. & præterea confirmatur, quia Papa non concedit priuilegium cum præiudicio tertij, vt fusè probat Suarez *tom.de legibus, c.27. lib.8.* maximè *num.9.* At graue præiudicium est,quod Prælatus amoueatur ab officio sine culpa, & non auditus, nec citatus. Vltimo, in hoc priuilegio dicitur,quod Papa illud concessit, quia tunc in ista Prouincia non reperiebantur Religiosi graues,& reformati,& ad hos dignos inueniendos, illi domino concedebatur illa electio, & potestas præsentandi:at hodie ista ratio cessauit in totum; plena est enim Prouincia Religiosis in quibus prædictæ qualitates, & partes concurrunt: imò & abundat Religiosis doctis, & literatis multis, qui tunc non reperiebantur in illa, cum eo tempore nullus cursus Theologiæ daretur in illa, hodie vero tres reperiuntur in tribus Conuentibus:cum ergo penuria grauium Patrum fuerit causa illius concessionis, & ista causa cessauerit, sequitur quod ipsa concessio iam locum non habet, iuxta cap. *cum cessante, de appellat.* vbi dicitur quod cessante causa cessat effectus.

7 Quoniam vero iste pater confessor, de quo agitur, appellauit ad Collectorem Apostolicum: & prædictus dominus Collector interlocutoriè mandauit,vt prædictus dominus sæcularis copiam dicti priuilegij exhiberet, quod ille exhibere recusabat;dico illum teneri ad exhibendum prædictum priuilegium, vt patet expressè in capitulo *accepimus,de fide instrum.* vbi Papa

præcipit quibuſdam Religioſis, vt exhibeant ſuum priuilegium, vel in clauſtro, vel in alio loco ſecuro: & in eodem tit. *de fide inſtrum.* cap. *G. perpetuus*, dicitur quod ſi pars copiam priuilegij petierit, & iudex denegauerit, poterit ab eodem iudice appellare.

CASVS XXIII.

De Confeſſore audiente confeßiones contra prohibitionem Prælati.

QVidam Religioſus erat approbatus confeſſor cum licentia Prouincialis, & approbatione Epiſcopi abſolutè ſine vlla reſtrictione: poſtea alius Prouincialis ſucceſſor iuſſit per Prouinciam confeſſores iterum examinari, declarans quod ſine noua ſua licentia nullus confeſſiones auditer. Iſte de quo agitur fuit examinatus denuo: eíque conceſſa fuit à Prouinciali licentia vt per vnum tantum annum confeſſiones audiret. Finito anno, iſte non obtinens nouam licentiam Prouincialis, aliquas confeſſiones audiuit, fretus in antiqua licentia Ordinis, & in noua approbatione alterius Archiepiſcopi, cui ſe præſentauit virtute prioris licentiæ Ordinis, & Ordinarij prioris.

Quæſitum fuit an prædictæ confeſſiones quas audiuit finito anno abſque noua licentia Prouincialis fuerint validæ, an vero teneatur curare vt iterentur?

1 Reſpondi (quidquid ſit de peccato illius, maximè ſi fecit mala fide) confeſſiones prædictas fuiſſe validas. Caſum in terminis, licet obiter, ponit Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 32. n. 2.* in fine, vbi citat Adrian. dicentem, prohi

prohibitionem superioris ne Religiosus audiat confessiones, arguere Religiosum peccare audiendo, non tamen absolutionem esse irritam, si de Episcopi licentia confessiones excipiat. Ad idem intentum citat ibi Henriq. *lib.6. de pœnit. cap.6. num.6.* qui multos alios citat. Fundantur in hoc quod prohibitio simplex Prælati non tollit iurisdictionem collatam ab Episcopo isti confessori erga oues ipsius Episcopi. Explicat Henriq. citatus, dummodo Prælatus solum prohibeat, secus si expresse reprobet: quibus verbis videtur innuere, non valituras confessiones si Prælatus priuet illum officio confessiones audiendi, quod in hoc casu non videtur euenisse, cum non fuerit priuatus per sententiam iuridicè. Et hoc ipsum cum ista declaratione tenet Rodrig. *in Addit. ad Bullam Cruciat. ad §. 9. dubitat. 2. num.7. §. Lo 2. digo,* vbi dicit, quod si Prælatus solum prohibeat prohibitione simplici, ne subditus audiat confessiones, peccabit subditus audiendo: sed confessiones erunt validæ. At si Prælatus per sententiam iuridicam priuauerit Religiosum officio confessoris, tunc si secus faciat, confessiones erunt nullæ: huius rei non assignat causam: ergo puto hanc posse reddi. Nam illa prohibitio prior, & simplex facta à Prælato, non est censura suspensionis, quæ auferat à subdito iurisdictionem quam habet ab ipso Prælato, & ab Episcopo commissam: at quando Prælatus propter culpas per sententiam iuridicam priuat officio confessoris, est propriè censura Ecclesiastica suspensionis, quæ aufert suspenso iurisdictionem spiritualem.

2 Ego à doctrina proximè tradita non recedo cum tradita sit à tam grauibus Doctoribus. Sed solum disputandi gratia propono motiua quæ mihi occurrunt ad probandum, quod licet Prouincialis per senten-

tiam iuridicam ob culpas priuet Religioſum confeſſionibus per ſententiam iuridicam, & ille nihilominus peccans illas confeſſiones ſæcularium audiat, approbatus ab Epiſcopo, hac priuatione Prouincialis non obſtante, tales confeſſiones erunt validæ in foro conſcientiæ. Videtur hoc poſſe probari primo, à ſimili. Si Papa priuet ſubditum ſuum omnibus priuilegiis conceſſis à Sede Apoſtolica, non per hoc priuat illum à priuilegiis conceſſis à Principe ſæculari, ſi quæ habet: quia conceſſiones factæ ſunt à diuerſis Principibus, & vna non pendet ab alia, nec proinde vna impedit aliam. Aliud exemplum eſt. Si Prælatus Regularis priuet per ſententiam ſuum Religioſum omnibus officiis ordinis: non per hoc dicetur quod priuet hunc Religioſum priuilegio, vel officio dato à Tribunali ſancti Officij, ſi quod habet. Nam, ſicut nemo poteſt dare quod non habet, ita videtur quod non poſſit auferre quod non dedit, neque eſt ſuum. Quæ applicando ad intentum, cum licentia data ab Epiſcopo ad confeſſiones ſæcularium audiendas ſit priuilegium ſuum diſtinctum à licentia data à Prouinciali circa eaſdem confeſſiones audiendas, videtur, quod reuocante Prouinciali ſuam licentiam quam dedit iſti ad confeſſiones ſæcularium audiendas, non reuocet licentiam, & priuilegium datum ab Epiſcopo ad eaſdem audiendas, cuius licentia in confeſſionibus ſæcularium excipiendis eſt præcipua, & Prouincialis, eſt minus præcipua. Si vero mihi obiicias me dixiſſe *in 1. tom. Dub. Regul. verſ. confeſſoris approbatio, n. 9.* eſſe inualidas confeſſiones auditas à Religioſo, cui Epiſcopus conceſſit licentiam audiendi confeſſiones ſæcularium; cum Religioſus ille non haberet licentiam ſui Prælati vt ſe præſentaret Epiſcopo pro eiſdem confeſſionibus audiendis,

diendis, iuxta illa quæ ibi collegi ex Clementina *Dudum, de sepulturis*. Respondeo in hoc esse diuersam rationem. Nam ibi dixi quod vt Regularis fiat confessor, necessaria est omnino præcedens licentia sui Prælati ante approbationem Episcopi: si vero nulla præcessit licentia Prælati Regularis non valebit approbatio Episcopi, vt ibi dixi. In hoc autem casu, in quo iste confessor priuatur confessionibus per Prouincialem, iam iste confessor fuit approbatus ab Episcopo, cuius licentiam ad suas oues audiendas in confessione videtur quod non possit tollere Prouincialis. Confirmo hoc dicto tradito à Sanchez *lib. 7. Decalogi, c. 13. n. 39.* vbi dicit, quod cessante causa cessat effectus: sed hoc dictum sic exponit: si effectus pendet à causa in fieri, & conseruari, vt lux pendet à sole in fieri, & in conseruari; tunc cessante causa, & deficiente sole, cessat lux. At si effectus pendet à causa solum in fieri, & non in conseruari, quemadmodum calor productus in lapide ab igne, pendet ab igne in fieri, sed non in conseruari, tunc non cessat effectus cessante causa, vt patet. Quod ego applico ad id quod dixi citato *vers. confessor, n. 9.* Nam licet confessor Regularis, quoad audiendas confessiones sæcularium pendeat in fieri à licentia Prælati Regularis, iuxta Clementinam ibi citatam, non tamen pendet in conseruari quoad easdem sæcularium confessiones à licentia Prouincialis, qui non potest auferre quod non dedit iuxta proximè dicta.

3 Pro eodem intento dico sic. Supposito quod Episcopus ob culpas, vel causas aliquas priuet certum Religiosum ne confessiones sæcularium audiat in suo Episcopatu, quod illum posse facere suppono, nunquid per hanc reuocationem licentiæ à se datæ, reuocare potest licentiam quam habet à Prouinciali pro

audiendis confessionibus Religiosorum, qui sunt subditi Prouincialis? Non profecto, quia licentiæ hæ sunt diuersæ, & vna non pendet ab alia saltem in conseruari, & sic ablata vna non tollitur altera. Præterea Miranda *tom.* 1. *Manual. quæst.* 47. *art.* 12. citans vnam Bullam Iulij III. dicit quod si Religiosus approbatus ab Episcopo ad confessiones sæcularium audiendas, qui Religiosus non habet licentiam sui Prælati confessiones sæcularium audiat, & non sit in sua Religione statutum annullans tales sic factas confessiones, dicit confessiones istas validas fore: secus, si in Ordine ipsius sit tale statutum eas annullans. Iam ergo ex mente illius saltem habemus, quod in Religione vbi non fuerit tale statutum, erunt validæ confessiones factæ cum licentia Episcopi absque vlla licentia Prælati. Hoc autem maius videtur, quam dicere posse audire confessiones sæcularium Religiosum hunc, qui habet integram licentiam Episcopi, & iam prius factus est confessor cum licentia Prælati, licet modo illam reuocet: cum iuxta prædicta videatur non posse reuocare licentiam, & priuilegium datum ab Episcopo. His non obstantibus ego neminem suadeo vt hanc opinionem sequatur: sed adhæreat dictis *num.* 1. à Sanchez, & Rodriguez.

4 Hoc ego solum possem consulere, ac resolvere, quod si iste Religiosus de quo agitur, per sententiam priuatus confessionibus à Prouinciali, non ab Episcopo, sit secretus, ita quod sententia illius lata fuerit in secreto, & ignoretur ab omni populo, & ille tali sententia non obstante audiat confessiones in alio oppido vbi omnes illum habent pro idoneo confessore, ignorato errore, ac defectu illius, credo quod tales confessiones erũt validæ, per ea quæ dicit Sanch. *lib.* 3.

de

de matrim. disp 22.n.13. de Parocho communiter putato vero Parocho, cum à parte rei talis non sit, sed habet titulum putatiuum: cuius confessiones dicit esse validas propter legem *Barbarius, ff. de officio prætoris*, quam ibi probat cum multis etiam habere locum in gestis quoad forum conscientiæ. Quod in hoc casu locum etiam habere videtur, si iste sic priuatus confessionibus non sit diuulgatus, & priuatio eius sit occulta, & confessiones audiat vbi pro vero confessore habetur. Nam in illo concurrunt requisita vt valeat lex *Barbar.* Habet enim titulum confessoris putatiuum, imo titulum verum datum ab Episcopo: error populi circa illius iurisdictionem ex parte Prælati ablatam, est communis: habet etiam potestatem characteris, vt constat, cum sit verus Sacerdos: & præterea habebit pro se motiua adducta à nobis supra *num.2. & 3.* quæ saltem hic coadiuuabunt. Vide etiam Valerum Cartuxanum *in lib.de Different. vtriusque fori.* ver. *Nullitas, different.1. à num.2.*

CASVS XXIV.

Vtrùm Moniales S. Claræ primæ Regulæ possint habere pensionem vitalitiam pecuniæ.

MOniales primæ Regulæ sanctæ Claræ vulgò dictæ Discalciatæ, seu Damianæ, viuunt in rigidiore paupertate, ita vt nullos redditus habeant in communi: & illarum Regula in quodam loco dicit: *Sorores non recipiant possessionem*, cap.6. & paulo post dicitur: *Tenētur Abbatissa, & Sorores seruare paupertatē non re-*

cipiendo, seu habendo possessionem, vel proprietatem, seu aliquid quod rationabiliter proprietas dici possit.

Hoc posito quæsitum fuit an Monialis ex his Discalciatis possit habere, & acceptare peculium, seu pensionem pecuniariam constitutam illi, vel testamento legatam à consanguineis, illámque possit exigere si opus sit etiam in iudicio. Pars negatiua visa iam fuit vera aliquibus, recusantibus dare legatum annuum cuidam Moniali ex prædictis. Mouentur ex citatis verbis suæ Regulæ. Et quidem Regula satis clarè, ac rigorosè loquitur prohibens non solum communitati, sed etiam particularibus Monialibus ne habeant possessiones, vel proprietatem, vel aliquid quod rationabiliter proprietas dici possit. At redditus annuus computatur possessio, seu res immobilis, vt expressè habetur in Clementina *Exiui, de verb. signific.* ver. *cumque annui redditus.* Vbi annui redditus interdicuntur Fratribus Minoribus, quia computantur inter bona immobilia. At pensio pecuniaria, de qua agitur, in hoc quæsito soluenda per totam vitam, est annuus redditus, vt constat: ergo non potest ab ista Moniali peti, nec acceptari, contradicente Regula sua citatis verbis.

1 His non obstantibus dico prædictam Monialem posse acceptare prædictam annuam pensionem pecuniariam (vulgo *tença*) ante probationem suppono ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 3. de Regular.* omnes Religiones virorum, & mulierum posse habere bona immobilia, & redditus annuales (exceptis Minoritis, & Capucinis, de quibus ibi.) Quam concessionem esse extendendam ad Conuentus Monialium, quæ per suam Regulam prohibentur habere immobilia, conuel ex Sanchez *tom. 2. Decal. lib. 6. c. 18. & lib. 7. cap. 12. num. 1.*

*num.*1. & ex Rodriguez *tom.*3. *qq. quæſt.*29. *art.*14. & proinde cum hæ Moniales Diſcalciatæ ſint per Tridentinum diſpenſatæ,vt poſſint habere bona immobilia in communi, ſequitur quod in hoc æquiparantur cæteris Monialibus ſecundæ Regulæ S. Claræ,quæ vocantur Vrbaniſtæ, & cæteris Monialibus aliarum Religionum, quæ habent redditus in communi.

2 Hoc poſito facilè probatur concluſio. Nam Moniales iſtæ Diſcalciatæ, quoad paupertatem ſunt ſicut cæteræ Moniales habentes redditus in communi per diſpoſitionem citatam Concilij Tridentini: ergo ſicut aliæ Moniales Conuentuum poſſidentium redditus in communi, habent in particulari penſiones pecuniarias annuas,vt praxis Eccleſiaſtica,& Regularis obſeruat. Sic etiam iſtæ Moniales Diſcalciatæ in particulari poterunt habere prædictam penſionem pecuniariam annuam conſtitutam ſibi à conſanguineis in vita, vel per mortem: dummodo prædicta penſio ſit dependens à voluntate Prælatæ, & non expendatur ſine ſcientia, & conſenſu illius. Neque obſtat quod hæ Moniales poſt Concilium Tridentinum nunquam acceptarunt redditus in communi. Nam iſta non acceptatio, non eſt renunciatio Tridentini: vt enim renunciatio Tridentini eſſet valida, debebat fieri in manibus Papæ, & ab illo acceptari,ſicut Sanchez dicit *lib.*7. *Decal* Patres ſuæ Societatis renunciaſſe illi Decreto Concil. Tridentini circa ſuas domos profeſſas, ne poſſent habere bona immobilia, & Papam acceptaſſe: at hæ Moniales licet poſt Tridentinum non acceptauerint bona immobilia in communi, tamen non renunciauerunt illi Decreto Tridentini coram Papa, & proinde poſſunt hodie habere illa bona immobilia in communi, ſi voluerint, & in cæteris procedere ſicut cæteræ Moniales

in materia peculij pecuniarij annualis. Secundo principaliter, quia licet hæ Moniales profiteantur rigorosam illam paupertatem supra explicatam in sua Regula, vsus tamen, & consuetudo explicauit, vt illam paupertatem non sic rigorosè seruarent sicut Fratres Minores seruant. Nam illæ pecuniam recipiunt intra Conuentum manu contectam, & liberè consumunt sine Syndico intermedio, tanquam veræ dominæ illius pecuniæ, & sic semper obseruarunt, quod signum est illas habere posse dominium in communi alicuius rei. Denique hæc opinio satis clarè colligitur ex Sanchez *lib.7. Decalogi, c.26. num.* 10. vbi probat citans multos, quod Frater Minorum particularis est capax vt illi relinquatur legatum, quod probat efficacibus rationibus. Et ibidem *num.* 40. probat Conuentum Fratrum Minorum esse capacem recipiendi legatum annuum relictum dum vixerit talis frater particularis: quia hoc non est legatum, vel redditus annualis simpliciter perpetuus, id est respectu Religionis, licet sit perpetuus respectu fratris viuentis. Si ergo hoc licitum est in fratre Minori particulari, seruante maiorem, ac rigidiorem paupertatem: magis licebit isti Moniali seruanti minorem paupertatem, cuius Conuentus potest habere redditus annuales in communi perpetuos ex dispositione Concilij Tridentini. Neque hoc legatum relictum durante vita istius Monialis dici potest perpetuum, cum possit quotidie extingui morte ipsius, vt notat Sanchez citato loco. Imò addit citato *c.26. num.* 45. *& seqq.* cum Doctoribus ibi citatis, quod est validum legatum relictum Fratri Minori particulari pro causa studij, & libris emendis: & à fortiori valebit ob prædicta relictum isti Moniali particulari ad suas necessitates subleuandas pendenter à licentia, & scientia

Præla

Prælatæ, quæ superflua illius legati poterit insumere in necessitatibus Conuentus.

3 Ad argumentum in oppositum desumptum ex verbis Regulæ istarum Monialium respondetur primo, rigorem illorum verborum moderatum esse per Concilium Tridentinum, quod concedit prædictis Monialibus Discalciatis posse habere possessiones, & bona immobilia in communi. Secundo dicendum est hoc legatum annuum non esse redditum annualem perpetuum simpliciter, de quo ibi loquitur citata Clementina. Non est enim perpetuum simpliciter respectu Conuentus, vt patet, & hos solos redditus sic perpetuos respectu Conuentuum Fratrum Minorum ibi Papa prohibuit. Adde quod neque istud legatum est propriè perpetuum respectu ipsius Monialis particularis, vt dixi in fine *num.* 3. proximè præcedentis, quia videlicet quotidie potest extingui per mortem illius: perpetuum vero non est, quod quotidie potest extingui. Tertio respondetur per hoc legatum, istam Monialem non dici habere proprium, seu proprietatem: nam ille tantum dicitur habere proprium, qui habet dominium alicuius rei independenter ab alio, vt Doctores communiter explicant: at ista Monialis non habet dominium absolutum, & independens: sed habet illud dependens à voluntate Prælatæ, sine cuius licentia non potest illud insumere: imo ita illud habet dependenter à voluntate Prælatæ, quod poterit Prælata illud totum insumere in necessitatibus Conuentus, quando ita necessitas postulauerit, & declaratur adhuc, nam aliæ Moniales, imò & Religiosi non Minoritæ, omnes profitentur se non habituros propria in particulari, sic enim petit essentia voti paupertatis: & nihilominus de licentia Prælatorum habent hæc peculia,

culia, siue pensiones pecuniarias perpetuas in vita dependenter à Prælatis, nec per hoc existimant se habere proprium.

CASVS XXV.

De quadam quarta parte funerali soluenda.

QVidam homo moriens iussit se sepeliri in quodam Conuentu Religiosorum, in quo elegerat sepulturam. Iussit vt pro anima sua, fierent duo officia defunctorum, vnum per Religiosos Conuentus, aliud per Clericos suæ Parochiæ, & pro quolibet officio darentur viginti mensuræ tritici; facta sunt ambo officia, & datæ sunt Religiosis viginti mensuræ tritici. Clerici vero procurarunt ne suæ viginti mensuræ tritici ad Conuentum deferrentur in die officij, sed extra Conuentum eas receperunt. Et in illa Parochia non est consuetudo vt hæ oblationes deferantur cum corpore defuncti, sed in die quo fit officium finito officio vtroque, clerici petunt à Religiosis quartam partem funeralem illarum viginti mensurarum, seu modiorum tritici, qui relicti sunt Religiosis pro officio, cum ipsi Clerici receperint suas viginti mensuras tritici integras pro suo officio facto in eodem Conuentu.

Quæritur an Clerici iure id petant? & videtur quod sic, nam quarta funeralis debetur Parocho pro labore tolerato pascendi Parochianum in vita pastu spirituali sacramentorum verbi Dei, & similium, vt habetur in titulo *de sepult.* in iure canonico, etiam si defunctus in testamento talis quartæ mentionem non fecerit, vt praxis

praxis obseruat: sed hæ viginti mensuræ tritici relictæ sunt Religiosis tanquam oblatio integra funeralis; ergo de illis debent quartam funeralem Clericis. Neque obstat, si dicas iam Clericos habere alias viginti mensuras tritici sicut Religiosi habuerunt, per quas Clerici abundè satisfacti sunt de sua quarta funerali. Non obstat, quia has viginti mensuras tritici reliquit defunctus Clericis pro labore officij quod ipsi pariter cantauerunt in Conuentu separatim à Fratribus. At duæ obligationes non possunt satisfieri cum vna solutione: si quis enim debeat Petro viginti ob vnam causam, & viginti ob aliam, non satisfacit his duabus obligationibus soluendo viginti, sed debet soluere quadraginta. Si ergo à simili, iste defunctus debebat quartam funeralem Parocho propter pastum spiritualem in vita sibi ministratum: & præterea debebat illi præmium officij defunctorum cantati pro illo à Clericis in Conuentu Fratrum: ergo hæ duæ obligationes quartæ funeralis, & officij non debent satisfieri vnica solutione illorum viginti modiorum tritici Clericis relictorum, hi enim relicti sunt pro labore cantandi officium, vt dictum est.

1 Hoc non obstante, credo quod isti Religiosi non debent Clericis quartam illarum viginti mensurarum tritici, quas reliquit defunctus pro officio à Fratribus cantando. Probo hoc imprimis ab authoritate Doctorum: nam vt dixi *in* 1. *tom. Dub. Reg.* ver. *canonica portio*, *n.* 7. Septem Doctores graues citati à Rodrig. *tom.* 1. *qq. q.* 39. *art.* 7. dicunt absolutè, quod quando defunctus reliquit Parochiæ aliquod legatum æquiualens quartæ funerali, & sepultus est extra Parochiam, Ecclesia vbi sepultus fuit non debet quartam funeralem Parochiæ: idque ob rationem statim adducendam, ex Panormit.

normit.qui fuit grauiſſimus Doctor inter Canoniſtas. Vltra vero illos ſeptem Doctores citatos à Rodriguez *citat.art.*7. habet eandem opinionem Sylueſt. ver. *Canonica portio,quæſt.*9 *in caſu* 12. ſequens Panormit. Et quia audiui partem contrariam vim facere in verbo quod poſui citato loco *dubior. Regul.* videlicet : *Si defunctus reliquerit Parochiæ aliquod legatum pium*,tunc habiturum locum opinionem citatorum ſeptem Doctorum:at,inquiunt hoc legatum,de quo agimus,relictum clericis viginti menſurarum tritici , non eſſe legatum pium : ergo hic locum non habet illa opinio:& probabunt fortè non eſſe legatum pium , quia fuit relictum cum onere officij cantandi.Dico imprimis illos ſeptem Doctores cit. à Rodrig. non ſpecificare , nec requirere quod legatum relictum Parochiæ ſit pium : ſolum dicunt in communi:ſi quid reliquerit Parochiæ,vt exprimit Panorm.in cap. *de his, de ſepult.num.*2. idem facit Sylueſt. citato loco non exprimens legatum an debeat eſſe pium , vel non pium. Neque Rodrig. *citato art.*7. ſpecificat quod ſit legatum pium : ego illud verbum , pium, appoſui attendens ad qualitatem legati. Secundo dico , quod iſtud legatum tritici relictum clericis pro officio fuit legatum pium : ſic tenet Panorm. in cap. *Relatum* 1.*de teſtam.* vbi ait , quod legata pia dicuntur omnia illa quæ relinquuntur pro anima, & citat vnam gloſſam , & Bartolum. Idem tenet Comitolus *lib.*7. *Reſponſ. moral.q.*4.*num.*3. citans Sylueſt.Angel. Tabien. Armill. vbi etiam addit quod legatum relictum pro malè ablatis cum onere reſtituendi eſt legatum pium,quia relinquitur pro anima. At hoc triticum relictum clericis à defuncto eſt relictum pro anima vt patet : ergo eſt legatum pium.

2 Nunc aſſigno duas rationes , ob quas Conuentus Regu

Regularium non debeat quartam istam funeralem de tritico sibi relicto, quando Parochia æqualem mensuram tritici recepit. Prima ratio est sumpta ex iure. Nam Ecclesia electa à defuncto pro sepultura debet præponi, & habere maiorem partem oblationum, quam habitura sit sua Parochia relicta; constat hoc ex iure in quo decernitur, quod ex oblationibus quarta tantùm pars detur Parochiæ relictæ, & tres partes dentur Ecclesiæ vbi defunctus elegit sepulturam: & sic Ecclesia sepulturæ præponitur, & melioratur in oblationibus datis à defuncto. Habetur hoc expressè de quarta parte solum danda Parochiæ in Clementina *Dudum, de sepulturis*, §. *verum ne.* ex quo si defunctus relinquit Ecclesiæ suæ sepulturæ octo mensuras tritici, solæ duæ debentur Parochiæ. Et hæc eadem est etiam intentio, & praxis defunctorum qui communiter Ecclesiæ suæ sepulturæ maiores oblationes, & donaria, ac missas relinquunt, quam Parochiæ relictæ. Et ratio naturalis id dictat, nam cum ex duobus vnum eligitur, & aliud omittitur, plus æstimatur id quod eligitur, quam quod relinquitur: at defunctus eligens sepulturam in Conuentu Fratrum relinquit Ecclesiam Parochialem: ergo plus æstimat Conuentum Fratrum, vbi sepelitur. Cum ergo constet quod ius canonicum velit Ecclesiam vbi defunctus eligit sepulturam meliorandam esse in maiori parte oblationum funeralis, quam habitura sit Parochia, sequitur quod de isto tritico dato Fratribus pro officio non sit danda quarta funeralis, quia tunc è contra, Ecclesia Parochialis præponeretur, & melioraretur in oblationibus defuncti, quam Ecclesia sepulturæ. Probatur clarè, quia tam triticum relictum clericis quam relictum Fratribus, relictum fuit tanquam vna oblatio funeralis integra pro anima defuncti:

functi : si ergo ex viginti mensuris tritici deberentur Clericis quinque pro quarta funerali, assignarentur Clericis viginti quinque, & Religiosis solum quindecim, & sic Ecclesia Parochialis maiorem petitionem haberet de funeralibus quam Ecclesia pro sepultura : quod est contra citatam Clementinam, & contra praxim Ecclesiæ, & defunctorum intentionem. Confirmatur, quia rescriptum Papæ in dubio explicandum est vt conformetur iuri communi, vt probat Nauarr. *in commentar. Regular. de iudiciis, n.* 9. citans glossam celebrem in cap. *paratus, 22. q.* 2. & alios : ergo à fortiori legatum relictum in dubio, est interpretandum vt conformet iuri communi decernenti quod Ecclesia electa pro sepultura melioretur in oblationibus funeralibus, illarúmque maiorem partem obtineat quam Ecclesia Parochialis relicta à defuncto.

3 Secunda ratio principalis est, quam assignat Panormit. in cap. *officij, de testamentis, n.* 4. quæ talis est. Quando debitor relinquit aliquid suo creditori, videtur in dubio id relinquere animo compensandi suum debitum : citat ad hoc *l. si cum dotem, §. si pater, ff. solut. matrim.* sed defunctus est debitor quartæ funeralis suæ Parochiæ tanquam creditori, Parochia enim est quasi creditor cui hæc quarta debetur : ergo si defunctus alibi eligit sepulturam, & relinquit aliquid Parochiæ, si nihil exprimat, censetur illud Parochiæ relinquere pro solutione quartæ funeralis, quam illi deber. Et hæc ratio videtur euidens, præter alias ibi adductas à Panorm. *n.* 5. cum aliis exemplis, & text. in cap. *de his, de sepult. num.* 2. & hoc manebit ampliùs confirmatum ex mox dicendis in solutione argumenti positi in principio in oppositum.

4 Ad argumentum ergo initio positum, concedendum

dum est quod iste defunctus habebat duas obligationes soluendas Parocho, vnam quartæ funeralis, alteram pro officio cantato à Clericis in Conuentu Fratrum: sed dico, quod etiam hæc duo debita soluit duabus solutionibus distinctis: vna fuit eleemosyna pecuniaria illis data pro officio, sicut data est etiam Fratribus, alia eleemosyna pecuniaria pro suo officio. Secunda solutio facta Clericis pro secunda obligatione quartæ funeralis fuit triticum illis relictum in mensura æquali, atque ipsis Fratribus, & sic Clerici duas solutiones duorum debitorum receperunt: videlicet in pecunia, & in tritico. Imo addo, quod licet Clerici pecunia pro officio soluta non fuerit, viginti modij tritici sufficiebant ad soluendas ambas obligationes, quartæ scilicet funeralis, & officij. Nam de viginti modiis tritici, soluendo quinque pro quarta funerali, manebant adhuc quindecim, qui quindecim modij tritici (vulgo *alqueires*) vtplurimum æstimantur pretio sufficienti ad soluendum pro officio defunctorum facto à Clericis: atque ita cum solo tritico soluit defunctus illa duo debita, quæ erant eiusdem generis. Quod fieri posse patet ex adducto exemplo in argumento: nam benè potest quis vna solutione soluere duo debita eiusdem generis, quando id quod datur in vna solutione æquiparatur duobus illis debitis ex duplici titulo contractis. Potest adhuc hoc comprobari ex Clementina *Dudum, de sepult.* citata: vbi Papa iubet ne à Religiosis BB. Patrum Dominici, & Francisci ratione oblationis funeralis exigatur aliquid vltra quartam partem oblationis. Tota vero oblatio funeralis istius defuncti pro anima sua fuerunt duo officia defunctorum, & quadraginta modij tritici: ex hac vero tota oblatione funerali, Clerici assecuti sunt dimidiam partem, quod esset con-

tra citatam Clementinam, nisi defunctus id liberaliter donare voluisset, sicut de facto donauit. Cum ergo Clerici ex tota oblatione funerali dimidiam partem integram reportarint, non est quod conquerantur.

CASVS XXVI.

De quodam conseruatore creato ab vno Goardiano pro quadam funerali non soluenda.

SVpra in hac secunda parte casu 12. retulimus casum, in quo certi Clerici Insulani per Vicarium Generalem obligarunt hæredem cuiusdam defuncti sepulti apud Fratres Minores, & Syndicum Conuentus, vt in sua Parochia tot legata, & officia iuberent fieri, quot facta fuerunt in Conuentu Minorum: & asserebant Clerici sic esse positum in consuetudine, apud illas Parochias Insulanas. Ego ibi ostendi, & probaui ad hoc non posse obligari hæredem defuncti: & vltra probationes ibi adductas præcipuum erat, quod talis consuetudo erat grauamen notabile hæredis, vel executoris testamenti obligati ad faciendas tot expensas, quas testator non habuit in mente præcipere. Nunc denuò ad corroborandam illam meam opinionem, & confirmandam adduco Iulium Clarum qui *lib. 3. §. Testamẽtum, §. 9.* dicit quod in dubio testator censetur minus grauare hæredem, quo fieri possit, & citat l. *vnum ex familia, §. Si rem ff. de leg. 2.* & dicit cum Socin. esse communẽ regulam. Cum igitur testator, de quo in illo casu, non expresserit quod tot legata fierent in Parochia, quot iussit fieri in Conuentu suæ sepulturæ, clarè

colli

colligitur non fuisse mentem suam ad grauandum hæredem tali onere.

Nunc veniendo ad casum nouum resultantem ab illo duodecimo; hæres defuncti, & Syndicus Conuentus appellarunt à mandato Vicarij Generalis. Goardianus Conuentus creauit conseruatorem Priorem Conuentus D. Augustini positi in eadem vrbe, qui illos ab illa vi defenderet, & sua priuilegij V. & alia ibi citata conseruaret. Prior Conseruator electus citauit Clericos. Illi pro se tria responderunt, vel quatuor. Primo vt Conuentus Minorum ostenderet Bullas, per quas posset creare conseruatorem; Conuentus noluit ostendere Bullas authenticas, qui fortè illas non habebat sigillatas, & authenticas: solum citauit libros impressos modernos, referentes priuilegia, & Doctores dicentes posse Prælatum Regularem eligi conseruatorem. Secundo allegarunt Clerici prędictum priorem non posse esse iudicem conseruatorem in illo casu, quia suspectus erat, eo quod statim post in suo Conuentu sepeliendi erant aliqui sæculares, & ferre deberet sententiam, ne propter illorum sepulturam tenerentur hæredes ad simile de quo agebatur, & sic erat iudex habens interesse in simili causa. Tertio dicebant Clerici, se habere consuetudinem à multis annis, vt hæres defuncti eadem fieri iuberet in Parochia quæ fiebant in Conuentu sepulturæ, & obtulerunt ad hoc aliqua testimonia, seu instrumenta Parochorum non iuridica, nec iurata, qui testificabantur se ita vidisse, & practicari vidisse. Quarto dicebant Clerici, quod priuilegium principale citatum Pij V. de non soluendo aliquid quod deferebatur post corpus defuncti sepultum, erat derogatum à Gregor. XIII. qui illam, & alias concessiones Pij V. factas Mendicantibus, reuocauit, & re-

duxit ad terminos iuris communis in Bulla ſua particulari, quæ incipit, in tanta negotiorum lata Rom. anno 1. ſui Pontificatus. Et quæſtio ſic agitata delata eſt ad Collectorem Apoſtolicum.

Reſponſiones ad obiecta.

1 IN fauorem prædicti Conuentus, & aliorum Religioſorum, libertatiſque ſepulturæ eligendæ reſpondendum duxi: ante reſponſionem ad primum ſuppono communem eſſe ſententiam Modernorum Theologorum, quod Prælatus Regularis localis poteſt creari conſeruator eo quod habeat dignitatem Eccleſiaſticam: ita tenet expreſsè Rodriguez 1. *tom. qq. quæſt. 65. art. 3.* citans alios: & tenet Sanchez 2. *tom. Decalogi, lib. 6. c. 13. n. 16.* quo poſito.

2 Ad primam Clericorum obiectionem, dico primo Goardianum oſtendiſſe, id eſt citaſſe libros Recentiorum Authorum; qui citant priuilegia Pontificum, vt poſſint Religioſi creare conſeruatores: & hoc videtur ſufficere: nam ipſa originalia priuilegiorum non eſt poſſibile oſtendere: cum enim multa ſint, oporteret ſæpius Romam adire, vel alias partes longinquas adire ad quærenda originalia. Praxis ergo Eccleſiæ in hac materia, & tribunalium innuit quod pro priuilegij oſtenſione ſufficiat citatos libros impreſſos citantes Compendia ordinum, & alios Doctores, qui dant teſtimonium, de tali priuilegio oſtendere. 2. dico, quod aliud eſt, poſſe Religioſos eligere conſeruatorem: & aliud eſt poſſe eſſe conſeruatorem Prælatum Regularem localem. Illud primum, quod poſſint Religioſi eligere conſeruatorem, eſt notorium in praxi Eccleſiæ quotidiana: quod autem notorium eſt, probatione non

indi

indiget, iuxta Doctores communiter, & iuxta dicta in simili materia à Nauar. *lib. 1. consiliorum, tit. de sentent. excomm. cons. 25. n. 16.* & Rodrig. *tom. 2. qq q. 18. art. 1.* & habetur clarè in cap. *de manifesta*, & cap. *sequenti*, *2. q. 1.* vbi dicit 1. cap. *de manifesta*, & nota pluribus causa non sunt quærendi testes, & alia ibid. ex D. Ambr. ergo non fuit necessarium vt Goardianus ostenderet priuilegium authenticum ad probandum quod posset ille nominare conseruatorem. Quod attinet ad secundum posse scilicet hunc conseruatorem esse Prælatum Regularem Conuentus, hoc non pendet à priuilegio, sed ab explicatione Doctorum, qui explicant posse Prælatum Regularem Conuentualem eligi conseruatorem, eo quod habeat dignitatem Ecclesiasticam: illudque deducunt ex cap. finali, *de offic. delegati, in 6.* vbi dicitur quod Abbas potest eligi iudex conseruator: & sic tenet opinio communis omnium Recentiorum. Cum ergo hoc, quod possit Prælatus Regularis localis esse conseruator, non exprimatur in aliquo particulari priuilegio, sed sit explicatio communis Doctorum id deducẽtium ex iure communi, non tenebatur Goardianus ostendere particulare priuilegium, vt posset hunc Prælatum Regularem localem eligere conseruatorem: sed sufficiebat illi citare opinionem communem, & Rodrig. *tom. 1. qq. q. 65. art. 3.* & Sanchez *2. tom. Decal. lib. 6. c. 13. n. 79.* & alij ab his citati. Scio ego in anno præterito pro alia causa simili quemdã Goardianum in vna causa quartæ funeralis contra quosdam Clericos nominasse conseruatorem quamdam dignitatem Ecclesiasticam, quæ sententiam tulit pro Fratribus, non petitis exemplaribus priuilegiorum, sed solum inspectis libris modernorum, qui citant priuilegia ad nominandos conseruatores, & alia priuilegia circa solutionem quartæ

funeralis. Et quia Clerici in principio recusauerunt obedire, illorum Ecclesiam suppossuit interdicto donec paruerunt mandatis.

3 Ad secundam obiectionem Clericorum dico non esse materiam recusandi illum priorem D. Augustini pro iudice conseruatore, eo quod de futuro posset aliquis sepeliri in suo Conuentu, & ex tali sepultura posset dictus Prior sperare lucrum, & interesse in causa propria. Non obstat responsio quia est hæc valdè remota, & & friuola causa ad recusandam iudicem. Nam textus citatus à parte contraria in cap. *causam quæ, de iudiciis*, loquitur de iudice delegato, qui iam de facto habebat aliam causam similem illi, quæ sibi de facto commissa est: & in hoc casu prior D. Augustini non habet de facto aliam causam similem sibi iam commissam. Multum vero interest inter hæc duo, habere iam similem causam, & posse habere similem causam, Constat ex textu ibidem. *Quia vero cum eundem Archidiaconum similis penè causa contingat*: non ait, similis causa potest contingere. Facit etiam ratio à simili. Nam Episcopus potest esse iudex in causa suæ propriæ Ecclesiæ, c. *si quis ergo*, 22. q. 7. iuncta gloss. vlt. communiter ibi recepta, de quo Nauar. in consiliis, *tit. de corp. vitiatis, consilio vnico, n.* 9. citans Abbatem: at iudex iudicans pro sua Ecclesia potest sperare, & intendere indirectè lucrum proprium, & interesse aliquando euenturum: ergo, quod prior Conuentus D. Augustini possit aliquando sperare lucrum proprium indirectè, non impedit quod possit esse iudex conseruator; nam de iis, quæ possunt indirectè, & remotè euenire, lex non curat, nisi exprimat: & retorqueo argumentum ad ipsos patres Clericos. Nam illi ad probandum quod sit consuetudo in Insulis tot legata fieri in Parochia, quot

fiunt

fiunt in Conuentu vbi Parochianus sepultus est, exhibent testimonia Clericorum qui fuerũt Parochi,& manè possunt adhuc esse Parochi,& proinde habent interesse speratum de futuro, vel iam habuerunt de præterito: & tamen per hæc testimonia credunt se probare intentum:ergo à simili in nostro casu non faciet recusabilem priorem Conuentus D. Augustini,quod aliquando sua Ecclesia,ex sua sententia remotè sit habitura interesse. Vltimo aduerto quod licet prior prædictus creatus conseruator sententiam ferret declarans,quod hæres defuncti non tenetur ad facienda tot officia in Parochia,quot facta sunt in Conuentu sepulturæ:hęc sententia,& declaratio non redundat in interesse Conuentus D. Augustini;sed solum in interesse hæredis,vel executoris testamenti, qui lucrantur in hoc non facere tot expensas officiorum : Conuentus autem nihil inde acquirit vt patet.Nisi fortè dicas Conuentum inde lucraturum, quod per talem sententiam manent sæculares cum maiori libertate vt sepeliantur in Conuentibus, quam ante illam sententiam non habebant. Si hoc dicis, vanum dicis. Non enim est lucrum dicendum, id quod liberè Ecclesia cõcedit omnibus fidelibus,videlicet libera electio sepulturæ,quam Clerici per illam inauditam exactionem impedire conantur.

4 Ad tertiam responsionem Clericorum, dico primo,testimonia,quæ exhibent Parochorum,& Clericorum testificantium de sua consuetudine in contrarium, esse testimonia diminuta, & insufficientia ob duas causas. Prima est, quia sunt testimonia Parochorum, qui sunt suspecti, & interesse habentes in causa modo supradicto.Secunda,quia non sunt testimonia iurata,nec data iuridice, & proinde non possunt fidem facere in iudicio. Secundo principaliter, quia licet con-

ſuetudo ſit antiqua in illis Inſulis, quod oblatio non defertur ad Eccleſiam cum corpore defuncti, ſed octo poſt dies, non ſequitur quod ex illa oblatione delata poſt defunctum ſepultum octauo ſequenti die, Religioſi Conuentus debeant quartam funeralem ex illa ſic delata poſt octo dies ſepulturæ. Nam conceſſio Pij V. citata à Goardiano de non ſoluenda quarta funerali, niſi de illis quæ deferuntur cum corpore defuncti, loquitur clarè, & ſine diſtinctione, (quam conceſſionem non eſſe derogatam à Gregorio XIII. ſtatim poſt probabo) & præterea Rodrig. *tom.1.qq.quæſt.39.art.2.* in fine, ait quod per dictam conceſſionem Pij V. eſt conſuetudo in Eccleſia non ſolui quartam funeralem, niſi de delatis cum corpore: & ad hoc citat ibi Panormit. Cardinal. Couar. & Molinam. Qui Molina dicit, quod Concilium Tridentinum ſolum fecit mentionem de quarta funeralium; quaſi innuens quod hæc ſolum ſoluitur de his quæ deferuntur in die funeris, & alia ad intentum dicit Molina citato loco à Rodrig. Tertio dico quod in hac vrbe Olyſſiponenſi, quæ eſt Metropolis Regni, multis abhinc annis cum corpore defuncti non defertur oblatio aliqua. Si autem poſt octo dies hæredes defuncti dant aliquam oblationem Conuentui, vel Eccleſiæ ſepulturæ, Conuentus non ſoluit parochiæ quartam partem de illa oblatione. Conſonantius vero eſt vt ſeruetur conſuetudo Metropolis Regni, quam noua conſuetudo Inſulæ intruſa contra citatam conceſſionem Pij V. Quarto dico, quod licet in Inſula ſit talis conſuetudo ſoluendi quartam partem de delatis poſt diem ſepulturæ modo expoſito, eſt conſuetudo contra illam claram conceſſionem Pij V. qui in Bulla, in qua illa conceſſio continetur, *num.15.* dicens quod non ſoluatur quarta funeralis, niſi de delatis

cum

cum corpore, dicit tanquam Legislator: *sicque intelligi Concilij Decretum decernimus.* At ista declaratio facta à Legislatore ipso, non est priuilegium, sed lex, cum sit facta ab ipso Legislatore: & proinde dato, & non concesso quod illa Bulla esset reuocata, vt priuilegium, non esset reuocata quo ad hanc declarationem Authenticam factam à Papa, quia Papæ declaratio facit legem, vt tenet Suarez *tom. de legibus, cap. 1. num. 1. & seqq. lib. 6.*

5 Quod vero attinet ad obiectionem Clericorum dicentium, quod si Prælati Regulares Conuentuum in Insulis non soluerent Parochis quartam funeralem de oblatione defunctorum, quæ nunquam defertur cum corpore, sed octauo die: si ita esset, aiunt, sequeretur quod Parochi perpetuo carerent quarta funerali, quæ illis debetur ex iure in præmium sui laboris pro sacramentis in vita Parochiano ministratis, quod est clarè contra intentionem, ac dispositionem iuris. Respondeo hanc sequelam, vel querelam esse per accidens, & lex non curat de illis quæ sunt per accidens. Et dico quod benè sciebat Papa posse esse varias consuetudines in diuersis Ecclesiis circa delationem oblationis funeralis cum corpore, vel post sepultum corpus: siquidem specificauit, *De illis solum quæ cum corpore deferuntur.* Et cum sciret dari posse has varias consuetudines in delatione oblationis, voluit quod quarta solueretur solum de oblatione delata cum corpore. Potuit enim Papa sciens priuare Clericos quarta funerali de delatis post diem funeris, sicut multi Summi Pontifices scientes priuarunt Episcopos & Clericos illis decimis, quæ soluendæ erant Religiosis, sicut constat ex multis priuilegiis à Sede Apostolica concessis personis Religiosis ne soluerent decimas

in præiudicium clarum Epiſcoporum, & Clericorum.
6 Quod attinet ad quartam reſponſionem Clericorum dicentium Gregorium XIII. reuocaſſe illam conceſſionem Pij V. & reduxiſſe illam ad terminos iuris communis. Dico primo, quod licet ita eſſet, tamen cum ille reduxerit illam ad terminos iuris communis, in hoc tamen puncto, de non ſoluenda quarta de delatis poſt diem ſepulturæ, iam eſt factum ius commune, & lex Eccleſiæ, & proinde non eſt reuocatus hic punctus Bullæ. Quod vero hic punctus Bullæ ſit factum ius commune, conſtat ex dictis proximè, *num.* 4. vbi diximus Pium V. declaraſſe ſic eſſe intelligendum Concilium Tridentinum loquens de quarta funerali: cum ergo Papa ibi fecerit declarationem authenticè, tanquam legiſlator, iſta illius declaratio eſt lex, & ius commune iuxta Suarez ibi citatum; & proinde quoad hoc Gregor. XIII. non reuocauit prædictam Bullam, cum ſit iam ius commune, & non priuilegium. Secundo dico ad eandem obiectionem quod Gregor. XIII. non reuocauit prædictam Bullam Pij V. probo hoc teſtimonio Doctiſſimi Nauarri teſtis oculati, exiſtentis Romæ, qui in ſumma Latina impreſſa Antuerpiæ anno 1584. in fine, quoniam in præcedentibus promiſerat allaturum ſe exemplar Bullæ Gregorij XIII. per quam dicebatur reuocaſſe prædictam Bullam Pij V. ſubdit Nauarrus hæc verba in fine Summæ. *Quia promiſimus inferere Bullam* Gregor. XIII. *ſi exiret interea: quæ quia non exiuit*, &c. In quibus verbis clarè innuit prædictam Bullam Gregorij XIII. fuiſſe quidem propoſitam in mente, & propoſito Pape, vel etiam ſcriptam, ſed non exiuit, id eſt non fuit promulgata: & ex conſequentia nullum obligat, cum ſit de eſſentia legis, vt promulgetur iuxta communem Doctorum ſententiam: idem

tenet

tenet Henriquez, quod scilicet talis Bulla Gregorij reuocans Bullam Pij V. non fuerit promulgata, tenet inquam Henriquez *tom. 1. Summæ, lib. 3. de pœnitent. c. 6. §. 6. in glossa litera R.* sequens Nauarrum. Cum ergo Nauarrus tantus Doctor, tam timoratus, Romæ existens tempore Gregor. XIII. imò qui suam Summam Latinam dedicauit Gregorio XIII. dicat prædictam Bullam Gregorij reuocatoriam Bullæ Pij V. (vt dicebatur, vel sperabatur) non exiuisse, id est non fuisse publicatam, non poterit condemnari hodie ille qui dixerit prædictam Bullam Pij V. & priuilegia in eadem Religiosis concessa, non esse reuocata, sed in suo robore manentia.

7 Tertio dico, quod prædicta concessio Pij V. etiam si esset priuilegium, & non lex, vt proximè ostendimus: esset reuocatum à Gregorio XIII. hodie tamen est reualidatum; quod sic probo. Communis sententia est Iuristarum, quod quando aliquis Papa confirmat priuilegia alicuius Religionis vtens in confirmatione his verbis. *Ex certa scientia, vel motu proprio, vel de plenitudine potestatis.* Tum per illam confirmationem reualidantur etiam priuilegia illius Religionis, quæ antea erant nulla, & inualida: vt tenet Suarez cum communi *tom. de legib. lib. 8. c. 19. num. 12.* & Collector priuilegiorum Mendicantium ver. *priuilegia ad §. 14.* notat quod Salmanticæ per famosos Doctores responsum fuit, quod quandocumque aliqua priuilegia conceduntur de nouo cum ista clausula: *Non obstantibus reuocationibus Apostolicis*, intelliguntur viuificata, & denuò concessa illa quæ fuerant reuocata. At constat euidenter, quod priuilegia Ordinum Minorum post Gregorium XIII. fuerunt confirmata à Sixto V. ex certa scientia, vt patet ex Bullario Rodrig. *fol. 1152.*

&

& à Clemente VIII. in eodem Bullario *fol.* 1224. qui Clemens VIII. addit clauſulam : *Non obſtantibus quibuſuis clauſulis irritatiuis, annullatiuis, etiam priuilegiorum reuocatiuis.* Ego dato, & non conceſſo, quod dicta conceſſio Pij V. eſſet reuocata, per Gregorium XIII. iam hodie manet reualidata per illas duas confirmationes priuilegiorum Minorum factas à duobus poſtea Sum. Pontificibus ex certa ſciẽtia, & cum illa clauſula, quam dicunt Doctores Salmanticenſes. Addo quod Rodriguez *in explicatione Cruciatæ*, §. *9. dubio 1. num.* 32. dicit quod Gregor. XIII. ſolum reuocauit Bullam Pij. V. in iis quæ erant contra Concilium Tridentinum, & quod poſtea de nouo conceſſit illa quæ non erant contra Tridentinum. Illa vero conceſſio Pij V. de non ſoluenda quarta ex delatis poſt ſepultum defunctum, non erat contra Tridentinum, ſed ad mentem Concilij Tridentini, vt idem Pius V. declarauit, vt diximus ſupra *n.* 4. Addo quod Zerola in praxi ſua, 1. *parte*, ver. *Funus corporis*, *fol.* 164. §. *Nono quoties*, ait Cardinales Tridentini declaraſſe, quod officia ſepultorum in Monaſteriis, debent fieri in eiſdem Monaſteriis, vnde non habent Clerici ius vt petant, quod pro ſepulto in Monaſterio, fiant officia in ſua Parochia.

8 Poſt hæc vidi Molinam ſupra citatum à Rodriguez, qui Molina *tom.* 1. *de iuſtit. tract.* 2. *diſp.* 215. §. *Obſeruant Panorm.* & in §. *Quod ad Parochialem*, ait *in* §. 1. quod Sixtus IV. conceſſit Patribus B. Dominici, & B. Franciſci, *vt ſolum tenerẽtur ſoluere quartam funeralem de iis quæ funus concomitãtur, hoc eſt de oblationibus diei funeris.* Et citat Molina Sylueſtrum id referentem in verbo *Canonica*, in vltimis verbis. Ergo, dato, & non conceſſo, quod Gregorius XIII. reuocauit Bullam Pij V. ſaltem manet integra iſta conceſſio Sixti IV. in eadem

dem materia, quam Bullam Sixti I V. Gregor. non reuocauit, & est confirmata ex certa scientia per Sixtum V.& Clement.VIII.Secundo ait Molina in 2.§.citato in hæc verba. *Aduerte vsum receptum esse vt Religiosi de solis oblationibus funeralibus diei funeris soluant paræciæ defuncti quartam.* Tertio dicit Molina cit.§. *obseruant Panorm.* quod Concilium Tridentinum *sess.25. cap.13.de reform.* solum fecit mentionem de quarta funeralium, id est, vt constat ex eodem Molina iisdem locis, de delatis in die funeris:& proinde cum hæc sola fuerit mens Concilij Trident. non fuit hoc reuocatum à Gregor. XIII.qui,vt diximus ex Rodrig.in Cruciata, non reuocauit nisi illa,quæ erant contra Tridentinum.Sed in rei veritate si Nauarro credendum est,neque id fecit Gregorius XIII.cum illius Bulla non fuerit promulgata.

9 Obiicis, priuilegium citatum Sixti I V. saltem in Insulis est abrogatum per non vsum; quia concessum fuit illud priuilegium ferè ducentis ab hinc annis,& in Insulis nunquam fuit practicatum: at priuilegia cum sint leges Ecclesiæ per quadraginta annos possunt præscribi.Respondeo primo,quod Rodrig. *tom.1.qq.q.61. art.* 3.ait quod vt præscriba tur contra priuilegium vltra tempus ad præscriptionem requisitum, opus est vt priuilegiatus sciat se habere tale priuilegium, & præterea quod nolit eo vti. At constat quod Religiosi in Insulis nunquam habuerunt notitiam talis priuilegij. Neque constat quod illi scientes, noluerint illo vti. Imo satis credendum est quod si de illo scirent, illud vtique practicarent in materia sibi vtili, & quotidie necessaria. Vide quæ dixi in 1 *tom.Dub.Regular.* verbo *priuilegij cessatio per non vsum* in §. circa priuilegium quod non est in vsu in vna Prouincia vnius Religionis,

sed

sed tamen est in vsu in aliis Prouinciis eiusdem Religionis. Vnde etiam quæ dixi *in 2.tom. Dub.Regul.* verbo *priuilegium 2 fol.*320. *col.*4. Respondeo secundo ad positam obiectionem quod etiam si priuilegium Sixti IV. in Insulis esset præscriptum per non vsum, non tamen ibidem potuit præscribi concessio Pij V. citata, quia vt contra priuilegia nostra præscribatur est necessarium tempus centum annorum, iuxta priuilegium Patrum B. Benedicti quod ego citaui *in 1.tom. Dubiorum Regul.* ver, *præscribere.* At concessio Pij V. de qua est quæstio, non fuit concessa centum ab hinc annis. Sub censura Eccles.& Doctorum.

CASVS XXVII.

De quodam Abbate electo idiota.

IN quadam Religione eliguntur Abbates locales qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem, habentes Mitram cum Baculo, consecrantes calices,&c. & conferunt ordines Minores& habent Ecclesias,quibus præficiunt Parochos: & has Ecclesias visitant per se,vel per alios, & ferunt sententias in casibus difficilibus sicut Episcopi.Quæritur, vtrum possit eligi in officium istius Abbatis Religiosus, qui nunquam didicit linguam Latinam, neque illam benè legit, imo neque benè scribit,

2 In eadem Religione cum eligendus esset Generalis, cum præsideret in Capitulo quidam Episcopus ex commissione Collectoris Apostolici, & de mandato Regis,proposuit præses tres Religiosos dicens,quod de illis

illis tribus vnum eligerent, & non de aliis: sic enim disposuisse Regem, & electores volebant alium eligere extra illos tres. Obligati vero ex mandato præsidis, eligerent vnum ex illis tribus, qui erat idiota cum supradictis insufficientiis. Quæritur an fuerit vere electio. Et an iste Generalis possit præsidere in Capitulo Generali futuro.

1 Ad primum quæsitum dico, quod secundum ius commune, credo prædictum Religiosum sic idiotam vt proponitur non posse eligi in prædictam Abbatiam, vel in officium Generalis, qui præsidet his Abbatibus, & à quibus ad Generalem appellatur. Probo imprimis ex cap vltimo *de ætate, qualit. & ordin. præficiend.* vbi Papa Honorius III. post factam sibi querelam, siue informationem circa quemdam electum ad Episcopatum Calinens. post examinatam causam, dicit Papa, quod sufficiebat ad illum non confirmandum confessum fuisse electum taliter coram Papa, *Nunquam se de Grammatica didicisse, nec etiam legisse Donatum,* & subdit ibi Papa: *Quod si illum confirmaret, se facturum contra Deum, & contra Canonicas sanctiones tantum in Episcopo tolerando defectum.* Idem dicitur in cap. *cum in cunctis. de elect.* vbi Alexander III. dicit, quod in cunctis officiis Ordinum sacrorū requiruntur grauitas morum, & literarum scientia. Si vero hæc in Sacerdote requirūtur quocumque, à fortiore debent inueniri in Abbate cui iuncta sunt illa munia, & officia de quibus supradictum est in informatione. Idem dicitur in c. *qualiter, de elect.* vbi Papa deiicit ab officio Episcopi, qui ante confirmationem, Episcopatus Cathedram assumpsit, & assignat Papa etiam pro causa; præcipuè, quia nec donum scientiæ Episcopo conueniens, fuerat assecutus. Vbi glossa verbo *Conueniens,* notat quod licet in Prælato

lato non sit scientia eminens, requiritur tamen scientia conueniens, id est proportionata ad finem officij, & gubernationem animarum. Idem colligitur ex cap. *Illiteratos*, 36. *distinct.* in quo ad officium Episcopi, vel quasi Episcopi, non solum requiritur scientia, sed etiam ad Sacerdotium. Idem habetur in cap. *ignorantia*, 38. *dist.* & denique vltra multos alios textus iuris canonici, & Conciliorum, sufficiat Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 2. *de reform.* vbi decernit quod eligendus in Episcopum, sit graduatus in sacra Theologia, vel in sacris Canonibus, vel habeat testimonium alicuius Vniuersitatis testimonium dantis de illius sufficientia. Vel denique si sit Religiosus, quod illius superiores testimonium ferant de illius literatura. Cum ergo prædictus Abbas habeat curam animarum in Religiosis, & in sæcularibus sicut habet Episcopus, sequitur quod omnino est inhabilis ad dictum officium Religiosus de quo agitur, qui nec nouit linguam Latinam, imo nec benè scit legere: & hoc multo magis locum habet in his miseris temporibus, in quibus tot lites, tot casus intricatissimi quotidie emergunt, quorum resolutio pendet à iure canonico, & multarum Bullarum Papalium continuo studio.

2 Probo insuper idipsum ex duabus gloss. iuris canon. Prima est in cap *Congregato*, *de elect.* vbi gloss. ver. *Lateran.* & verbo *literatura*, dicit quod defectus scientiæ facit aliquem ineligibilem, & præterea quod deiicit iam promotum: & citat ad hoc multos textus. Secunda glossa est cap. 1. *de renunciat.* verbo *insufficientiam*, vbi idem dicit quod glossa prior proximè citata. Et quod etiam in electionibus Religiosorum sint eligendi ex obligatione Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. *de reform.* sint eligendi digniores in moribus, & in scientia, tenet

Rebello

Rebello *tom.1.de obligat.iust.lib.3.q.4.fol.143.§.concl. vero*, vbi dicit prædictum Decretum Tridentini etiam obligare in electionibus Religiosorũ. Imo addit, quod magis obliget in Religionibus, quam in electionibus aliorum Ecclesiasticorum. Denique confirmo ex ratione naturali: nam conformiter ad ius naturale in Republica sæculari non permittuntur officiales mechanici, sutores, fabri, &c. officium exercere, nisi prius per annos artem didicerint, & prius de illa examinentur: quomodo ergo tolerandum est vt officium Episcopi, vel quasi Episcopi, de quo agitur cum regimimine animarum, quod iuxta D.Gregorium est ars artium, committendum sit homini, qui nec benè legit linguam Latinam? Neque est quod respondeas, in aliquibus Religiónibus aliquando eligi Prælatos Conuentuales omnino illiteratos. Nam respondeo 1. me nunquam vllum talem vidisse qui ignoraret linguam Latinam: maximè in his temporibus, in quibus recipiendi ad habitum examinantur exactè de lingua Latina. Secundo dico esse diuersam rationem in illis Prælatis localibus, qui non visitant, non ferunt sententias in litibus contra sæculares, non conferunt ordines, & sic de cæt. quæ omnia opus habet facere iste Abbas, & sic maiori indiget literatura quam illi Prælati locales.

3 Quod attinet ad primam partem secundi quæsiti, an præses illius electionis potuerit coarctare electionem ad illos tres tantum, dico non potuisse: & iam in præcedentibus in alio casu simili hoc dixi, ex Rodrig. sed quia in hoc casu aliqua circumstantia diuersa concurrit, ex eo quod electio facta est de commissione Collectoris Apost. sunt hic repetenda aliqua iam dicta in præcedentibus. Igitur Rodrig. *tom.2.qq.Regul.q.51. artic.* 10. 11. & 12. dicit quod talis designatio trium

est coarctare electionem quam ius canonicum clamat debere esse liberam : & idem nomen, electio, denotat libertatem:& in particulari illic Rodrig. *art.* 11. ponit hæc verba. Teneo quod electio Prouincialis,aut cuiuscumque alterius Prælati restricta, non ad certum genus personarum, sed ad tres,vel quatuor personas particulares, minimè canonica, & valida debet reputari. Sic ille, quo nil clarius dici potest. Quod vero dicit valere electionem si coarcterur ad certum genus personarum fit, quando viget statum vt de certis tantum nationibus eligatur, videlicet Italis, Gallis, Hispanis, Lusitanis : tunc inquam valet, quia non designantur certæ personæ,vt Petrus, Ioannes, Franciscus; sed designatur genus personarum, & sic non coarctatur libertas electorum. Et citat Rodrig. graues Doctores, dicens se vidisse retractari, & annullari tres electiones Guardianorum, quia in electione cuiusque fuerunt designati tres vt ex illis tantum vnus eligeretur; & sic elegerunt : & fuit illorum electio nulla. Quod vero Rex non posset præcipere vt vnus ex tribus tantum designatis eligeretur, constat quia Rex non potest dispensare in iure canonico, vel naturali, quæ requirunt vt electio sit libera. Quod vero attinet ad dominum Collectorem Apostolicum, ipse viderit an habuerit commissionem Papalem ad dispensandum in iure canonico, sine qua in illo dispensare non potuit. Hoc vnum scio, quod non potuit dispensare vt eligeretur omnino idiota, quoniam iste etiam in lumine naturali est inhabilis,& in lumine naturali nec Papa potest dispensare : quod etiam constat ex eo quod supra diximus ex Papa Honorio dicente,quod confirmatio idiotæ istius cesset contra Deum, id est, contra lumen naturale diuinum.

4 Ex

4 Ex his patet responsio ad secundam partem secundi dubij, an scilicet iste idiota sic electus possit postea præsidere in Capitulo generali futuro: dico enim imprimis illi obediendum esse in publico tanquam Prælato, quia habet titulum putatiuum collatum à superiore. Secundo, quia licet iura, & Doctores citati dicant electionem coarctatam esse nullam, & dicant non posse eligi omnino idiotam, non tamen dicunt, quod electio istius sit ipso iure nulla: sed innuunt quod poterit annullari. Imo etiam si dicerent talem electionem esse ipso facto nullam, necessaria erat noua sententia declaratoria nullitatis, vt omnes Doctores dicunt circa legem ponentem priuationem officij ipso facto alicui delinquenti: nam etiam post delictum commissum vt priuetur, debet accedere sententia superioris declaratoria delicti, de quo Rodrig. *tom.* 1. *qq. q.* 17. *art.* 16. & Henriquez *tom.* 2. *lib.* 13. *c.* 56. & proinde ad hunc sic electum contra iuris prohibitionem priuandum ab officio, necessaria erit sententia iudicis, quæ si non accedat tanquam Prælatus toleratus poterit, ac debet præsidere in Capitulo. In hoc autem certus sum, quod iuxta citatos textus, glossas, & Doctores poterit illi lis intentari ab electoribus, vt ab officio amoueatur propter duo impedimenta in illius electione concurrentia, videlicet illiteraturæ totalis, & coarctationis factæ in electione illius, sicut Rodriguez supra citatus dicit se vidisse fieri circa tres electiones Guardianorum sic electorum. Et præterea quod adhuc post electionem possit priuari ob dicta impedimenta, probatur clarè ex glossa in cap. *veniam*, 35. *q.* 9. in ver. *per rumorem*, vbi dicitur quod si aliquis propter falsum rumorem est electus qui credebatur peritus, postea cassatur eius electio, & citat ad hoc textus.

CASVS XXVIII.

De quodam Prouinciali ægroto, nec valente visitare Prouinciam.

IN quadam Religione est statutum, vt omnes Prælati ducant vitam communem in mensa, vestitu, &c. sin minus ait statutum, si infirmitatis causa id facere non possint, & infra quinque menses non fuerit spes sanitatis assequendæ, vt possint vitam communem ducere, ab officio omnino arceantur.

Hoc posito in vna Prouincia eiusdem Religionis, quidam Prouincialis per multos menses ita infirmus est ex variis, & antiquis infirmitatibus sine vlla spe sanitatis obtinendæ, vt Prouinciam visitare non possit nisi per alium, & cum circumstantiis indebitis, & indecoris ad statum illius Prouinciæ. Quæritur an possit ac debeat ab officio amoueri etiam inuitus.

1 Respondeo casum nullam pati difficultatem: nam statutum, seu lex clarissimè loquitur, & comprehendit clarè prædictum Prouincialem de sanitate desperatum. Breuiter idem potest ostendi à simili, ex eo quod habetur in cap. vnico, *de Clerico ægrotante*. vbi iubetur Episcopus assignare coadiutorem Prælato inferiori infirmo, & de sanitate desperato, ne Ecclesia fraudetur debito seruitio Ministrorum. Addit textus: *Quod si Episcopus fuerit senio, aut valetudine corporali grauatus, vel adeo impeditus perpetuo, vt officium suum nequeat exercere* Tunc iubet vt Capitulum cum Episcopo eligant duos coadiutores, qui Episcopatum gubernent. Quod præsenti casui debet omnino applicari, cum sit eadem omni

omnino ratio. Cum vero Prælato Regulari non debeant dari coadiutores, cum id sit præter consuetudinem, & Religioni non congruum, sequitur quod talis Prouincialis tenetur renunciare officio, idque si facere noluerit, ab eodem sit amouendus. Causa vero cur Episcopus, & Parochus impeditus à regimine, non amoueantur ab officio, sed illis dentur coadiutores, inter alias est, quod cum habeant familiam sustentandam, non decuit illos priuari fructibus beneficiorum necessariis ad se, & ad suos sustentandos: quod non currit in Prælato Regulari, Probatur hoc etiam viuo exemplo Patris nostri Francisci, qui vbi primo se sensit languoribus, & infirmitatibus præpeditum ad discurrendum per vrbes, & oppida pro regimine Fratrum, seipsum ipsemet officio Generalis abdicauit, & creauit Vicarium Generalem Ordinis Fratrum Petrum Cataneum *lib. 2. Chron cãp. 31. 1. part.* Imo vero ipsemet Pater *in cap. 8. Regulæ*, innuit quod eadem de causa possit amoueri ab officio ipse Generalis Ordinis. Ait enim, quod si Religio viderit Ministrum Generalem non esse sufficientem ad seruitium, & communem vtilitatem Fratrum, teneantur Ministri Prouinciales sub peccato mortali alium Generalem eligere. Quis autem non videat quod Prouincialis impeditus omnino ad visitandam Prouinciam sit insufficiens, & inutilis ad communem vtilitatem Fratrum? Cum enim non possit visitare, non implebit officium boni pastoris, qui iuxta Euangelium debet cognoscere oues proprias: ad quam cognitionem Concilium Tridentinum iniungit Episcopis, vt singulis annis visitent totam suam Diœcesem. Quod idem P. N. Franciscus monet *in sua Regula, cap. 10.* de Prouincialibus, dicens: *Visitent, & moneant fratres suos*, &c. Denique quantum sit necessarium ad

bonum regimen ſubditorum Regularium, quod illorum Prælatus vitam communem ducat in menſa, veſtitu, & cæteris, ſufficiat inter alia dictum D. Gregorij Nazianzeni in ſententiis *ſentent.* 4. vbi dicit, quod Prælatus qui docet, & non facit, vna manu trahit ſubditos, alia impellit ad cadendum. At Prælatus Regularis impeditus omnino languoribus, licet poſſet manu linguæ docere, & ſubditos ad Regulæ obſeruationem trahere: è contra cum manu operis, vtendo videlicet cibis, ac veſtibus delicatis, eoſdem ſubditos ad relaxationem impellit, licet nolit. Vnde conſtat prædictum ſtatutum iſtius Ordinis eſſe fundatum in iure canonico, imo & naturali, & Prouincialem iſtum comprehendere.

CASVS XXIX.

De quibuſdam confeſſoribus ſæcularium certo modo electis.

IN Ordine Minorum ſtatuto generali decernitur, vt confeſſores ſæcularium non fiant, niſi in Capitulo per Prouincialem cum diffinitoribus in diffinitorio. Adduntur alia duo in eodem ſtatuto; primum vt ſinguli Guardiani ad prædictum diffinitoriū mittant examen Fratrum ſuorum de moribus, & ſcientia, qui poſſunt eligi pro confeſſoribus: & ex illis ſic miſſis, & à Guardianis examinatis, Prouincialis cum diffinitorio eligant digniores. Secundo addit idem ſtatutum, quod Prouincialis extra diffinitorium non poſſit per ſe aliquem Religioſum inſtituere confeſſorem ſæcularium, quamuis diffinitorium id committat Prouinciali in ſpeciali.

ſpeciali. Hoc poſito, in quodam Capitulo non venerunt examina facta à Guardianis circa eligendos pro confeſſoribus, ſicut ſtatutum decernit. Diffinitorium fortè videns neceſſarium eſſe creare confeſſores ſæcularium pro bono animarum, commiſit Prouinciali vt ipſe Prouinciam viſitans examinaret Religioſos pro confeſſionibus audiendis, & quos idoneos iudicaret, confeſſores inſtitueret: nam ipſi diffinitores quoad hoc in ipſum Prouincialem compromittebant.

Ex vi prædictæ commiſſionis Prouincialis viſitans Prouinciam inſtituit aliquos confeſſores ſæcularium, qui cum licentia Prouincialis Epiſcopo præſentati, & approbati, confeſſiones ſæculatium audierunt. Quo poſito quæruntur duo.

Primum, an dicti confeſſores prædicto modo inſtituti à Prouinciali validè ſint inſtituti? Secundum, an dato etiam quod non fuerint validè inſtituti, confeſſiones ab illis auditæ validæ fuerint? Et videtur quod vtrumque nullum fuerit: primum, quia cum ſtatutum generale deneget diffinitoribus vt poſſint compromiſſionem facere in Prouincialem pro eligendis confeſſoribus extra Capitulum, inſtitutio talium confeſſorum ſic facta à Prouinciali, eſt facta ſine iuriſdictione, & non ſeruata forma mandati ſtatuti generalis, vt patet. At conſtat quod non ſeruata forma mandati, ſeu commiſſionis, actus eſt nullus: imo in hoc caſu, non ſolum non eſt ſeruata forma mandati, ſed expreſsè contrauentum eſt formæ mandati. Ex probatione iſtius primi probari videtur ſecundum, videlicet confeſſiones auditas ab his confeſſoribus nulliter inſtitutis, fuiſſe nullas: nam confeſſor nulliter electus, caret iuriſdictione, & carens iuriſdictione facit actum nullum.

1 Ante reſponſionem præmitto quod in Clementi-

na *Dudum, de sepult.* Clemens V. concessit, ac decreuit, quod pro confessoribus audituris confessiones sæcularium assumendis ex Ordine BB. PP. Dominici, & Franciſci ſufficeret Prouincialem vtriuſque præſentare Epiſcopo nomina illorum Religioſorum, quos vellet, ac peteret eligi, ſeu approbari ab Epiſcopo in confeſſores ſæcularium: quibus præſentatis, Epiſcopus debeat illos approbare modo ibi aſſignato, ad quem me remitto. Qui modus præſentandi eſt de iure communi, & poſitus in corpore iuris. Neque in illo exigit Papa conſenſum diffinitorij pro inſtitutione confeſſorum, ſed ſolum conſenſum Prouincialis. Neque Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. c. 15. de reform.* agens de approbatione confeſſorum Regularium, aliquid requirit, vel ſpecificat circa modum quo confeſſor Regularis ex parte ſui Ordinis debeat præſentari Epiſcopo, pro confeſſionibus ſæcularium audiendis.

2 Hoc poſito reſpondi, me credere (quidquid diffinitores illi errauerint) prædictos confeſſores à Prouinciali ſic inſtitutos, validè fuiſſe inſtitutos in foro conſcientiæ, & proinde confeſſiones ab illis auditas, fuiſſe validas. Probo primum, fuiſſe ſcilicet validè inſtitutos pro foro conſcientiæ. Probo primo, quia ſtatutum Religionis non poteſt irritare actum ſubditi, qui aliàs ſit conformiter ad ius canonicum, aliàs poſſet Religio irritare ius canonicum: at præſentatio iſtorum confeſſorum facta eſt iuxta ius canonicum dictæ Clement. requirentis ad præſentationem confeſſorum ſolum conſenſum Prouincialis, non vero diffinitorij: ergo dicta præſentatio valida fuit pro foro conſcientiæ. Minor & conſequentia patent. Probo maiorem, quod ſcilicet ſtatutũ Religionis non poſſit annullare actum factum iuxta ius canonicum: primo quia inferior non poteſt

potest tollere legem superioris, Clementina *Ne Romani, de elect.* statutum vero Religionis est inferius iure canonico. Et hoc ipsum tenet expresse Nauar *lib. 3. consilior. tit. de Regular. consil. 5.* dicens non valere statutum Ordinis annullantis professionem illius, qui in professione negauit se esse Christianum nouum, quia alias professio est facta iuxta ius canonicum, in quo non annullatur talis professio. Idem tenet Mirand. *tom. 1. Manual. quæst. 22. art. 5. ad tertium*, dicens non posse Ordinem Franciscanum facere statutum annullans professionem Nouitij, qui in anno nouitiatus cum habitu, & licentia Prælati exiuit à Conuentu curandi morbi gratia, quia illa absentia sic facta est conformis iuri communi: quod maximè inseruit ad nostrum intentum de præsenti statuto eligendorum confessorum modo prædicto: licet enim diffinitores errauerint in facienda illa compromissione Prouinciali contra statutum: at tale statutum videtur quod non possit annullare institutionem prædicto modo factam à Prouinciali de his confessoribus, cum illam fecerit iuxta ius commune cit. Clementinæ *Dudum*, quæ ad confessorum præsentationem solum consensum Prouincialis requirit. Secundo principaliter probo, quia prædictum statutum licet prohibeat ne diffinitores compromittant in Prouincialem, vt instituat confessores extra Capitulum, tamen non annullat secus factum à Prouinciali, vt patet: at multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent, vt patet multis exemplis quotidianis, & habetur expresse cap. *ad Apostolicam, de Regul.* ergo sola simplex prohibitio statuti non annullans, non reddit nullam institutionem prædictam factam à Prouinciali, maximè cum facta fuerit ex forma iuris canonici. Quod latè & fusè traditur à Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 5. n. 2. & 4.*

& à Suarez *lib. 5. de legibus, cap. 31. num. 13.* vbi dicunt, quod hoc verbum, *Aliter non fiat, vel nullus faciat*, vel quid simile positum in lege, si lex aliàs non annullet actum, non irritare secus factum: sed solum apponi vt actus debitè & licitè fiat. Et magis in speciali, id confirmo ex Miranda, qui *tom. 1. qq. Manual. q. 47. art. 12.* dicit quod si aliquis Religiosus sine licentia sui Prouincialis fuit præsentatus Episcopo, & ab illo approbatus ad audiendas confessiones sæcularium, confessiones ab eo auditæ erunt validæ, si in sua Religione non sit statutum annullans prædictas confessiones: at hoc citatum statutum licet prohibeat diffinitoribus id compromittere in Prouincialem, non tamen annullat institutionem secus factam à Prouinciali, nec confessiones auditas à confessoribus ab illo sic institutis. Tertio principaliter probatur, quia vnaquæque res facilè redit ad suum primum principium, & facilè lex, & res redit ad suam antiquam legem, vt probat Nauarr. *in lib. constit. de pœnitent. & remiss. consil. 19. num. 4.* inde probans quod possit Monialis tempore Iubilæi confiteri Clerico sæculari approbato, quia facilè res redit ad antiquam legem, & olim Moniales nondum exemptæ, sed subditæ Episcopis, confitebantur Clerico sæculari: ergo etiam in hoc casu, facilis erit redditus ad antiquam legem citatæ Clementinæ, quod confessor Regularis instituatur sufficienter de solo consensu Prouincialis, non expectato consensu Capituli.

3 Ex dictis patet responsio ad secundum quæsitum, & dico confessiones auditas ab his confessoribus fuisse validas propter multa dicta *num. 1. & 2.* & maximè quia sunt auditæ à confessore approbato de licentia Prouincialis iuxta formam Clement. *Dudum*; & quia dictum statutum licet prohibeat, non tamen annullat

institu

institutionem confessorum aliter factam, nec confessiones ab illis auditas, & tunc optimè seruit citatum dictum Mirandæ *tom.* 1. *Manual. quæst.* 47. *art.* 12.

4 Hinc etiam patet solutio argumenti positi in contrarium. Primo enim respondetur, quod licet in his confessoribus instituendis non sit seruata forma mandati, vel statuti, quod præcipit contrarium, id non obstare, quia licet prohibeat, non tamen annullat, vt diximus ante finem *num.* 2. ex Sanchez, & Suarez. Secundo dicendum quod licet in institutione horum confessorum non sit seruata forma statuti, seruata est tamen forma iuris communis assignata in Clementina *Dudum*, citata, quæ pro confessoribus Ordinis nostri solius Prouincialis consensum requirit, non Capituli; quæ forma præsentandi confessores non potest annullari à statuto Ordinis vt probaui *n.* 2. Et proinde sufficienter sunt prædicti confessores præsentati, & ex consequenti confessiones ab illis auditæ validæ fuerunt: quidquid sit de errore diffinitorum in tali compromissione erga Prouincialem facta.

CASVS XXX.

De absolutione vnius excommunicationis impensa ab vno excommunicato.

DVo Religiosi rixati sunt adinuicem manus violentas sibi inuicem iniicientes, sed in secreto. Transacto delicto, pœnitentes, vnus petiit ab alio vt se absolueret ab excommunicatione tantum, non à peccato, idque extra sacramentum confessionis. Ille habens

bens aliàs iurisdictionem delegatam vt posset absoluere à prædicta excommunicatione percussoris Clerici, absoluit illum ab illa censura extra confessionem sacramentalem. Ex quo facto multa suborta sunt dubia.

Primo quæritur, an peccauerit iste sic petens absolutionem ab illo, quem sciebat esse excommunicatum, & in peccato mortali. Secundo, an iste sic existens excommunicatus potuerit validè absoluere alium. Tertio, an potuerit illum absoluere à censura extra confessionem sacramentalem. Quarto, vtrum ex eo quod existens excommunicatus vsus fuerit iurisdictione, absoluens à censura incurrerit aliquam irregularitatem.

1 Hunc casum ponit Sorbus Capucinus *in Annot. ad compendium*, ver. *absolutio ordinaria quoad fratres*, § *sed si succederet*. Eundem casum In substantia ponit Ludouicus de Beja Sorbum secutus, licet differat in circumstantia casus, dicens accidisse inter duos Clericos publicè se percutientes tempore Iubilei magni, & non habentes alios confessarios quibus confiterentur. Ita refert Beja 4. *p. respons. Moral. casu* 6. & Sorbus supponit casum contigisse inter superiorem, & subditum Regularem. Beja & Sorbus concordant quod in necessitate, non habita copia alterius confessoris, possunt se adinuicem absoluere à censura, & peccatis, quia necessitas non habet legem, & multa permittit necessitas, quæ non licent extra illam. Et Sorbus ibi referens casum inter Prælatum, & suum subditum clarè innuit potuisse subditum sine peccato petere à suo superiore absolutionem censuræ, etiam extra sacramentum. At casus præsens est diuersus ab illo vtroque: quia iste supponitur fuisse in secreto, & inter duos Religiosos subditos æquales.

2 Ante

2 Ante reſponſionem igitur ſuppono duo clariſſima. Primum eſt, quod per extrauagantem Martini V. *ad euitanda*, non tenemur euitare excommunicatum in temporalibus, & ſpiritualibus niſi ſit vel declaratus, vel notorius Clerici percuſſor vt communis opinio,& praxis obſeruat: & proinde ſi excommunicatus non declaratus, nec notorius Clerici percuſſor ſacramenta miniſtrent, quidquid ſit de peccato ſuo, cui Papa nullum fauorem particularem concedit, tamen factum tenet;ſic enim ibi Papa diſponit propter bonum commune animarum. Secundo ſuppono hos duos Religioſos de quibus quæritur eſſe quidem ambos excommunicatos, & percuſſores Clerici: ſed non eſſe notorios Clerici percuſſores,quia in ſecreto fecerunt vt dicitur. Pro quo optimè dicit Zerol. 1.*part.praxis dub.5.* verbo *excommunicatio.* quod vt quis dicatur notorius Clerici percuſſor, neceſſaria eſt euidentia facti, ita vt percutiens taliter videatur ab aliis quod non poſſit vlla tergiuerſatione celari. Et ſtatim *dubio* 6. citans Nauarrum ait ad faciendum notorium requiri ad minus ſex teſtes, quam opinionem approbat Zerol. dicens ad faciendum percuſſorem Clerici notorium, requiri ſex teſtes. Et eandem opinionem repetit Zerola *in* 2.*part.praxis*,ver *excommunicatio,dub.*9.quod adhuc magis extendit Farin.*tom.de Inquiſitione,quæſt.*21. maximè *num.*185.*pag* 2.vbi dicit quod ad faciendum notorium requiruntur decem teſtes, & pauciores nullo modo ſufficere.

3 Ad primum ergo quæſitum dico, quod ille qui petiit abſolutionem ab altero percuſſore, peccauit m. contra charitatem petendo ab illo abſolutionem,ſi habebat alterum à quo peteret, neque habebat tam vrgentem neceſſitatem abſolutionis, neque is à quo petebat

petebat erat proprius Prælatus obligatus ad absolutionem impendendam. Est communis omnium Doctorum : & probatur, quia ex charitate teneor vitare damnum proximi, quantum possum : sed petendo absolutionem ab isto sic impedito, & prohibito, sum causa sui damni spiritualis, vt patet, cum illam dare nequeat sine peccato : ergo pro tunc non possum illam ab eo petere, nisi interueniat vlla necessitas ex prædictis, vel ille sit proprius Parochus. Præceptum enim charitatis obligat vt vitem damnum proximi, quantum potuero.

4 Ad secundum quæsitum, dico hunc excommunicatum percussorem Clerici, si alias habebat facultatem delegatam ad absoluendum ab ista percussione, potuisse validè absoluere istum petentem à se percussum, non obstante quod ipse absoluens esset sic excommunicatus. Probatur euidenter ex citata extrauag. Martini V. & communi Doctorum, quæ extrauagans non priuat iurisdictione externa, vel interna nisi excommunicatum declaratum, vel notorium Clerici percussorem. At iste percussor absoluens licet sit excommunicatus, non est declaratus. Et licet sit Clerici percussor, non est notorius, vt patet ex proximè dictis *num.* 3. ergo non est priuatus iurisdictione, sed facta per ipsum tenent, dum est toleratus ab Ecclesia. Maius est quod tradit Beia *citato casu* 6. §. *Nos autem arbitramur*, dicens quod illi duo Sacerdotes ambo Parochi, qui se in publico percusserunt, potuisse se adinuicem absoluere propter necessitatem, quia non habebant alios confessores : necessitatis enim epiicheia illis dabat iurisdictionem. Et tamen erant notorij Clerici percussores, quibus ius adimit omnem iurisdictionem. Et Sorbus ait posse illos duos se absoluere adinuicem à peccatis, quod maius est, quam absoluere

uere à sola censura. Si ergo necessitas illis potuit tribuere ius ad absoluendum etiam à peccatis, à fortiori idem ius ad absoluendum validè ab ista censura habebit iste percussor Clerici occultus per citatam Extrauag. Martini V. quæ non priuat iurisdictione excommunicatum nisi sit declaratus, vel notorius Clerici percussor.

5 Ad tertium quæsitum dico potuisse hunc talem percussorem Clerici occultum validè hanc absolutionem à sola censura dare extra sacramentum confessionis, non audita confessione peccatorum. Regula enim communis est Theologorum, quod confessor potens absoluere ab aliqua censura, potest ab illa absoluere etiam non audita confessione sacramentali pœnitentis. Sic docet in terminis Rodriguez *tom. 1. qq. quæst. 61. art. 7.* citans Victoriam, Pennam, Medinam, & Henriquez, qui citat alios: addítque id posse facere confessores virtute priuilegiorum, etiamsi in illis concedatur facultas absoluendi pœnitentes à censuris, auditis illorum confessionibus, ob causam ibi assignatam. Eandem doctrinam tradit Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 34. num. 29.* vbi ait, quod concedente Papa per rescriptum alicui vt dispenset cum aliquo in aliquo impedimento matrimonij, iniungendo illi pœnitentiam salutarem, hac clausula non obstante poterit dispensare cum illo extra sacramentum pœnitentiæ. Et citat multos Doctores, & alia dicit huc spectantia. Et probatur ex praxi quotidiana Prælatorum: nam inquisitores S. Officij absoluunt hæreticos in publico, non absoluentes ibi nisi ab excommunicatione incursa propter hæresim, sed non absoluunt sacramentaliter à peccato hæresis. Et Prælati Regulares absoluunt apostatas ab excommunicatione extra sacramentum non audita

confessio

fessione sacramentali apostatæ. Non enim absolutio à censuris pendet ad absolutione à peccatis: licet è contra absolutio à peccatis pendeat ab absolutione excommunicationis, eo quod excommunicato prohibita sit receptio Sacramentorum.

6 Ad quartum quæsitum dico hunc excommunicatum absoluentem solum à censura extra sacramentum, peccasse quidem mortaliter, sed non incurrisse irregularitatem. Prima pars, quod peccauerit mortaliter, constat quia violauit præceptum Ecclesiæ in re graui, vtendo iurisdictione sibi prohibita in tali statu. Excipe, nisi petens absolutionem esset in graui necessitate illius: tunc enim videtur non peccasse ob grauem petentis necessitatem. Si enim Doctores communiter dicunt excommunicatum celebrantem ob grauem necessitatem vitandæ infamiæ propriæ, non incurrere irregularitatem: videtur à paritate rationis quod excommunicatus vtens iurisdictione pro vrgente necessitate proximi, non peccabit: propter generalem Regulam, quod necessitas non habet legem.

7 Secunda pars istius conclusionis, in qua totum dubium consistit, meo iudicio asseritur à Suarez *tom. de censur. disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 21. vbi explicans quo modo Episcopus incurrat irregularitatem exercendo actũ iurisdictionis, explicat, quod si ille actus sit actus ordinis sacri, incurrit irregularitatem, vt si sit actus confessionis sacramentalis. Si autem sit actus puræ iurisdictionis, dicit propter illum non incurri irregularitatem: quia ista irregularitas non est extendenda vltra id quod iura decernunt: at iura non imponunt irregularitatem excommunicato, nisi quando ministrat sacramenta, vel actum iurisdictionis annexum Ordini sacro. Absoluere autem solum ab excommuni

municatione extra sacramentum, licet sit actus iurisdictionis, non est annexus Ordini sacro. Probo, quia Vicarius Generalis Episcopi potest esse ille qui nullum habet ordinem sacrum, sed solam primam tonsuram: & tamen iste potest absoluere ab excommunicatione carens Ordine sacro: ac proinde absoluere ab excommunicatione, licet sit actus iurisdictionis, non tamen de se est annexus Ordini sacro. Idem videtur asserere Ludouicus Beia citato *casu 6. §. Tum quia excommunicatus.* Et quod nihilominus iste vtens iurisdictione etiam in actu non annexo Ordini sacro peccauerit m. tenet expresse Suar. *eod.tom.de censur. disput. 14.sect.1. num.3.* Quod autem Vicarius Generalis carens omni Ordine sacro, cum sola prima tonsura possit absoluere ab excommunicatione, inter alios tenet Henriquez citans alios *tom.2. Summ.lib.13.cap.27.§.4. in text.* & glossa *litera G.*

CASVS XXXI.

Dominus Papa Vrbanus VIII. derogat priuilegijs particularibus Religiosorum à Prælatis tantum concessis.

DOminus Papa Vrbanus VIII. anno 626. die 30. Iulij, Bulla particulari in omnibus Religionibus annullauit priuilegia & exemptiones omnes, quas aliqui Patres graues in Religionibus à Prælatis habebãt, vel ipsi per abusum vsurpauerant in præiudicium Religiosorum: ex quibus aliquas specificat in Bulla Hanc Bullam impetrauit ab illo Rex Hispaniæ; qui Rex sin-

gulis Prouincialibus iſtius Regni propriam Epiſtolam miſit cum eadem Bulla, monens vnumquemque Prælatum vt illam executioni mandaret. Et quamuis illa nullam executionem, vel effectum habuerit, multaque dubia orta ſint circa illam, non putaui in vanum me laboraturum, ſi aliquas aduertentias circa illam ponerem, quæ licet in præſenti locum non ſint habituræ: poterunt tamen forte pro futuro deſeruire; iuxta illud Poëtæ: *Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit.*

ADVERTENTIA I.

Quanto cum zelo, & fundamento Bulla fuerit expedita, & impetrata.

1 QVod Summus Pōtifex motiua multa habuerit ad expediendam prædictam Bullam ex zelo extirpandi à Religionibus aliquos abuſus contra Religionum puritatem, & obſeruantiam Regularum intruſos: quodque Rex Catholicus eodem ſuo ſolito zelo ductus eandem cum magno fundamento impetrauerit, oſtendo aliquibus rationibus, ante quas ſolùm præmitto, notum eſſe quod ego potuerim frui in Ordine aliquibus exemptionibus in iſta Bulla prohibitis: quæ tamen non curo, nec curaui, ſciens quia amicus Plato, ſed magis amica veritas.

2 Quod igitur Bulla multo cum iure, imo & neceſſitate data fuerit. Probo primo exemplo à ſimili: nam Papa Paulus V. anno 1606. propria Bulla reuocauit omnes indulgentias conceſſas variis Religionibus, exceptis paucis, quas ibi in dicta Bulla permiſit: & in Bul-

la

la dicit iam Papam Clementem VIII. intentasse eas-dem indulgentias reuocare, licet negotiis impeditum id ad finem non perduxisse:& causam istius reuocationis ibi Papa assignans,ait esse:*Propter abusus, & corruptelas,quæ in vsu dictarum indulgentiarum fuerant ortæ.* Dico ergo: Si fuit necessarium reuocare indulgentias quæ sic prosunt animæ,propter multitudinem,& propter abusum, & corruptelas circa indulgentias ortas: maiori iure videtur quod fuerit necessatium reuocare priuilegia particularia non concessa à Sede Apostolica, sed vel à Prælatis concessa particularibus Religiosis, vel per abusum, & corruptelam intrusa cum præiudicio Religionum, imo & aliquando cum dispendio animarum ipsorum sic priuilegiatorum? Iam D. Bernardus hoc præsentiebat, imo & desiderabat: quando *lib.3.de considerat. ad Eugenium tribus foliis post initium*, prædictum Papam monuit, vt parcus esset in dispensationibus concedendis, nisi cum adesset necessitas, vel vtilitas boni communis,ait Sanctus. *Cum nihil horum est,non dispensatio,sed crudelis dissipatio est.* Constat autem quod in his exemptionibus in ista Bulla prohibitis (quæ sunt vtique dispensationes) non interuenit necessitas,vel vtilitas boni communis, sed illius dissipatio,vt Papa innuit in procœmio istius Bullæ, & mox ostendam. Secundo principaliter probo,quia ex priuilegiis in hac Bulla reuocatis nascitur vt plurimum inquietudo,dolor,& murmuratio in aliis bonis Religiosis,& occasio faciēdi similia sine priuilegiis illis:quando vident alios adolescentiores qui non laborauerunt in Religione talibus priuilegiis munitos, sibi senioribus anteferri, qui in Religione portarunt pondus diei, & æstus. Facit ad intentum querela illa operariorum vineæ,qui contra patrem familias Matth. 20. murmu-

rarunt, eo quod sibi fecerit pares in præmio illos qui vna hora tantum laborauerant, cum ipsi portauerint pondus diei, & æstus: & ex his priuilegiis non solum resultat fieri pares iuniores, sed etiã fieri maiores illis, qui totam vitam in choro, & aliis Religionis obsequiis consumpserunt. Facit pro eodem intento querimonia illa fratrum Ioseph, qui ægrè tulerunt fratrem iuniorem Ioseph sibi præferri à patre in maioribus amoris indiciis illi exhibitis à patre, & in tunica particulari polymita, quam illi soli pater concessit. Facit denique ille versus Psalmi 62. *In labore hominum non sunt*, &c. ad quem locum Lorinus explicat, id est: *Communia Reipublicæ onera deuitant, & in aliorum humeros capitaque reijciunt.* Et subdit Psalmus: *Ideo tenuit eos superbia*, &c. Alia multa possent incommoda referri orta ex his exemptionibus, & priuilegiis, quæ omitto leuitatis gratia, quæ tamen prudentes, graues, ac zelantes Religiosi & sciunt, & dolent.

ADVERTENTIA II.

Vtrùm hæc Bulla obliget in Regno Portugalliæ.

3 NOn defuerunt qui dicerent hanc Bullam non obligare Religiosos existentes in Portugallia, ducti fortè ex eo quod Papa in illa loquitur in communi de Religiosis prouinciarum Hispaniæ: Regnum vero Portugalliæ semper fuit habitum pro regno separato ab Hispania. Quod subterfugium, seu motiuum puto omnino friuolum, & nullum. Probo imprimis, quia Papa Bullam concedens concessit illam ad petitionem,

tionem, & intentionem Regis Catholici, eiúsque intentioni Papa se accommodauit in illius concessione: at Rex Catholicus illam impetrans clarè significat se illam impetrasse etiam pro Portugallia, cum scribat epistolas singulis Prælatis Portugalliæ; vt illam exequantur: ergo obligat in Portugallia. Confirmatur clarissimo exemplo: nam communis est opinio Theologorum, quod cum aliquis impetrat à iudice Ecclesiastico aliquam excommunicationem contra scientes, vel detinentes rem aliquam, iudex Ecclesiasticus ita se accommodat intentioni impetrantis excommunicationem, vt nolit per illam ligari nisi illos, quos impetrans ligari voluerit, vt tenet inter alios Henriq. *tom. 2. Sum lib. 13. de excomm. cap. 20. n. 1.* citans multos; cum ergo Papa hanc Bullam concesserit ad petitionem Regis Catholici illius se intentioni accommodans, & Rex per suam epistolam declaret se etiam pro Portugallia illam impetrasse: quæ dubitatio manere potest illam in Portugallia locum habere? Secundo lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda, iuxta multos textus citatos à Nauar. *lib. 3. consiliorum, tit. de regul. consilio 79. num. 1.* sed ista Bulla est lex generalis pro Hispania, & loquitur generaliter, illis verbis, *In Hispaniarum regnis:* & in aliis verbis postea, videlicet, *in dictis regnis*, & Portugallia in descriptione terrarum est regnum Hispaniæ. & subiectum Regi Hispaniæ, ergo intelligenda est omnino etiam pro Portugallia. Tertiò probatur omnino ex multis, quæ doctè, & efficaciter tradit Penha *in director. Inquis. in fin. fol. 151.* in quodam titulo, quomodo probetur extrauaganrium authoritas *2. part. §. Iam non obstat*: vbi probat quod Bulla Papæ directa Inquisitoribus vnius ciuitatis extenditur etiam ad Inquisitores aliarum vrbium, vbicumque eadem est

ratio dispositionis. Quamuis enim mandata iudicum particularium solum obligent in loco ad quem diriguntur, secus est de mandato Principis iurisdictionem habentis in omni loco sicut habet Sum. Pontifex: & citat ad hoc Bartholomæũ Spin. & optimè declarat hoc exemplo. Nam ferè omnes epistolæ Decretales Pontificum positæ in Decretalibus, ex quibus compactum est ius canonicum, fuerunt Decreta, & epistolæ particulares Pontificum missæ ad particulares Episcopos, vel personas, vel regna: & tamen illæ obligant in tota Ecclesia tanquam ius commune. Ergo licet in hac Bulla non exprimerentur omnia regna Hispaniæ in qua est regnum Portugalliæ, ad illam etiam deberet extendi cum in Portugallia sit eadem ratio, & eadem necessitas istius reformationis faciendæ. Citat etiam Penha *l. vltimam, C. de legib.* vbi sententia principis lata in certa causa facit ius vniuersale, & omnes ligat: & citat alia pro eodem intento satis inseruientia.

4 Obiiciunt, quod hodie quando Papa concedit, & renouat Bullam Cruciatæ, vltra Bullam directam pro Hispania, expedit aliam particularem directam pro sola Portugallia, quod signum est, inquiunt, nolle Papam vt Decreta sua directa pro Hispania obligent in Portugallia, nisi illud exprimat. Respondeo (si ita est de expeditione particularis Bullæ Cruciatæ pro Portugallia) id fieri vt seruetur mos antiquus, quando Portugallia nõ erat subdita Regni Hispaniæ, & proinde indigebat Bulla particulari: secus hodie quando est subiecta eidem Regi, & Rex per epistolam declarat se pro Portugallia etiam impetrasse, & in Portugallia iubet obseruari. Et præterea oportebat quod isti opponentes ostenderent aliquam legem, qua disponeretur à Papa, se nolle vt Bullæ ipsius latæ pro tota Hispania non

non obligent in Portugallia ſubiecta,& incluſa in Hiſpania. In hac vero noſtra Bulla,declarat omnia Regna Hiſpaniæ, per illa verba, *In regnis Hiſpaniarum*, quæ cum ſit propoſitio indefinita, æquipollet vniuerſali apud Iuriſtas, vt expreſsè tenet gloſſa in Clementina prima *de præbendis, & dignitatibus*, in verbo,*quamuis*. colligitúrque ibi clarè ex textu.

ADVERTENTIA III.

Quæ priuilegia, & exemptiones Bulla reuocet?

5 QVatuor reuocantur in iſta Bulla:videlicet, priuilegia, prærogatiuæ, immunitates, exemptiones. Quæ quatuor, licèt in communi modo loquendi, & in ſubſtantia videantur eſſe idem, ſingula tamen habent aliquam differentiam,& habent propriam diffinitionem. Priuilegium eſt lex priuata aliquid ſpeciale concedens. Videlicet quando conceditur vt fiat aliquid contra legem, vel præter legem. Exemptiones, ſecundum Sylueſt. ver. *exemptio*, ſunt libertates, ſeu eductiones ab aliqua ſubiectione, ſeu ſeruitute, per quas quis liberatur ab aliqua lege, vel ab aliquo inferiori Prælato,& fit immediatus ſuperiori Prælato.Immunitas, teſte eodem Sylueſt. ver. *Immunitas*, importat negationem munium, ſeu munerum, id eſt officiorum:& eſt idem quod eſſe liberum ab officiis communibus,vilibus,& ſordidis. Prærogatiua, iuxta declarationem Calepini verbo *prærogatiua*, eſt præſtantia, vel eminentia qua quis alteri præfertur, aut præferri debet.Hæc ſunt quæ in genere Papa reuocat in iſta Bulla.

6 Deſcendit præterea Papa ad particularia aliqua,

illaque specificat. Primum est ne exeant à Conuentu ad libitum cum socio destinato tibi proprio absque licentia Prælati localis. Secundo reuocat licentiam datam, vt sæculares possint ad sua cubicula ire quoties voluerint, ita vt Prælatus localis id non possit prohibere. Tertio prohibet, ne ex vno Conuentu se transferant ad alium absque licentia superioris. Quarto reuocat licentias datas, quibus conceditur ne sint astricti interesse choro, refectorio, & aliis spiritualibus, & Religiosis exercitiis.

7 Declarat Papa se hæc omnia reuocare licet concessa fuerint à Prælatis Religionis, siue etiam concessa fuerint à Nunciis Sedis Apostolicæ, qui residēt in regnis Hispaniæ, vel etiam si concessa fuerint ab ipsa Sede Apostolica. Et post reuocationem illorum quatuor in particulari, dicit. *Et quæcumque eiusmodi priuilegia, quomodolibet concessa. Et addit quod illa reuocat perpetuo, ita quod nulli de cætero suffragentur, neque possint alicui concedi de cætero absque licentia Papæ, vel Sedis Apostolicæ.*

8 Antequam vero alia dubia declarem istius Bullæ, duo præmitto circa duas principales prohibitiones in ista Bulla contentas. Primum est de non exeundo à Conuentu cum proprio socio absque vlla licētia Prælati localis. Adduco solum in exemplum patrem N. Franciscum, qui in suo testamento loquens de obedientia exhibenda Goardiano Prælato locali, cum ipse esset Generalis, ordinis fundator, & talis Sanctus, loquens de Goardiano sic ait: *Ita volo esse captus in manibus suis vt non possim ire vel facere contra voluntatem suam, quia Dominus meus est.* Nota benè singula verba. Videatur etiam D. Bernard. *lib. 3. cit. ad Eugenium*: vbi sic optimè dicit. *Murmur loquor, & querimoniam Ecclesiarum.*

siarum. Truncari se clamitant, ac demẽbrari: subtrahuntur Abbates Episcopis: Archiepiscopi Patriarchis siue Primatibus: bona ne spes hæc? Facilis hoc quia potestis sed vtrum vt d. beatis, quæstio est. Factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed iustitia forte non ita. Sic ille, & addit alia contra dantes exemptionem ne obediatur Prælatis, & inter alia, considerans quod in Angelis, minores obediunt maioribus: inter homines vero aliqui procurant dispensationes vt alteri non subdantur, ait Sanctus: *Quod hoc molitur ambitio impatiens subiectionis.* Videatur Nauar. *tom. 1. suorum operum, Commentario 4. de Reg. quæst. 9. num. 36. §. Quarto dico.* vbi ait, quod non possunt videri iustæ facultates generales, quæ dantur alicubi Religiosis exeundi quoties voluerint, & alia quæ ibi ad intentum adducit. Et hoc dicit hic Papa, quod est ferè eximere subditum ab obedientia Prælatorum. Quod vero nec Generalis possit eximere subditum ab obedientia Prælati localis, tenet Rodrig. *tom. 1. qq. quæst. 23. art. 3.* dicens quod illud implicat contradictionem.

9 Secundum quod aduerto circa aliam principalem prohibitionem ex his quatuor, est circa liberum ingressum sæcularium in cubicula Religiosorum inscio Prælato locali: Religiones enim optimè sciunt inconuenientia inde nascentia: quæ sunt de ordinario violatio silentij, reuelatio secretorum, ac defectuum Religionis, impediri assistentiam in choro, & in aliis exercitijs Religiosis, & præterea quod sæculares facti domestici curiositates fratrum, vel loquelas notantes, eosdem Religiosos in æstimatione non habeant. Ad quæ euitanda sufficiat etymologia nominis Monachus, qui dicitur vnus solus, vel solitarius: qua de causa graues Religiosi antiqui secedebant in eremum. Et

vt multa omittam à Sanctis de hac materia dicta: impossibile est moraliter loquendo, vt Religiosus ex nimia conuersatione cum sæcularibus non degeneret à perfectione sui status. Videatur inter alios D. Bernard. *serm. 2. post octauam Epiphan.* vbi ait quod conuersationes Religiosi cum sæcularibus, etiamsi sint consanguinei, impediunt exercitium spirituale.

ADVERTENTIA V.

Vtrùm hæc Bulla reuocet priuilegia concessa per Capitulum cum diffinitorio.

1 DVbitari poterit vtrum ista Bulla reuocet priuilegia illa, seu immunitates quæ in Capitulo, vel per statutum, vel Prælatus cum diffinitoribus concedit aliquibus Religiosis, vt quod habeant votum in Capitulo, quod non obligentur ad aliquas horas in choro, & alia similia concessa in præmium sui laboris transacti: respõdeo quod non. Probo quia hic Papa dicit se reuocare priuilegia concessa per superiores. Cum vero hæc lex sit odiosa, restringenda sunt verba illius ad significationem propriam, vt intelligatur solum de concessis per Prælatos absque Capitulo, & absque diffinitorio. Non enim dicit concessa per Capitulum, sed per superiores. Et probatur quia quando Capitulum concedit aliquod priuilegium, cessat præsumptio mali, quæ datur quãdo solus Prælatus cõcedit. Hic enim per se solum poterit duci affectione praua, amoris inordinati, vel ob interesse alicuius lucri in concedendo priuilegio Religioso suo amico. At quando conceditur

tur per Capitulum, vel d ffinitorium, cum sint multi collatores priuilegij, cessat illa præsumptio. Hæc possunt probari ex titulo iuris canonici, de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli, vbi multi textus prohibent ne Episcopi faciãt negotia grauia, sine consensu Capituli, & secus facta annullant: sed si fiant cum consensu Capituli, sunt valida, & Papa cõfirmat. Qui textus fundantur in eo quod solus Episcopus errare poterit, vel propter prauum affectum, vel propter ignorantiam: quod de toto Capitulo non sic facilè præsumitur. Facit etiam cap. *de quibus*, 20. *dist.* vbi dicitur facilius inueniri id, quod à pluribus senioribus quæritur.

11 Hinc sequitur, quod si Prælatus Generalis ex se solo dedit alicui priuilegium vt haberet votum in Capitulo, tale priuilegium per hanc Bullam extinguitur: est enim datum per solum superiorem Prælatum, & non à Capitulo, imo addo, quod etiamsi hæc Bulla non sit publicata; nihilominus Prælatus solus etiam Generalis non potest alicui Religioso concedere vt habeat votũ in Capitulo. Probatur clarè ex *reg.* 29. *in reg. iuris*, quæ dicit: Quod omnes tangit ab omnibus debet approbari. Habere autem votum in Capitulo omnes tangit, quia habens votum in Capitulo eligit Prouincialem, diffinitores, &c. ergo ab omni Capitulo hoc votum debet concedi. Quod ego confirmo exemplo nostri Ordinis: in Capitulo enim generali Toletano, celebrato anno 606. vt daretur votum perpetuum in Capitulo, & diffinitorio, Patribus qui fuerant Prouinciales, dicit statutum, quod recepta sunt prius vota secreta, & consensus totius Capituli generalis. Et probatur, nam si Prælatus Generalis se solo posset alicui Religioso concedere votum in Capitulo, sequeretur magnum inconueniens: posset enim Generalis ante Capitulum

pitulum concedere votum octo, vel decem fratribus, & sic eligeret Prouincialem quem vellet, sæpius cum detrimento Prouinciæ. Et ex his etiam conuincitur, quod nec Prælatus Generalis, vel Prouincialis cum diffinitorio solo potest dare votum alicui Religioso: quia Prælatus cum diffinitorio non est Capitulum. Et licet diffinitorium cum Prælato eligant Prælatos locales, qui habent votum in Capitulo; illud non est dare votum, de quo agimus, sed est instituere Prælatos locales, quibus annexum est dare votum in Capitulo; idque de compromissione Capituli; quod tamen Capitulum non compromittit vt diffinitorium det votum alicui Religioso non Prælato. Si autem diffinitorium cum Prælato concederet alicui Religioso aliquod priuilegium, quod non esset votum, credo quod non derogabitur per istam Bullam, ob proximè dicta *num.* 1. quia scilicet hoc priuilegium non conceditur à solo superiore, sed iam conceditur à multis, & cessat in hoc præsumptio posita in *num.* 1. dummodo non sit ex quatuor hîc expressè prohibitis, de quibus *num.* 2. & 3. nec sit in præiudicium Regularis obseruantiæ, quam Papa vult consecrari, & reformari.

12 Hinc etiam sequitur non auferri per hanc Bullam priuilegium in aliquibus Religionibus datum Lectoribus iubilatis, vt habeant votum in Capitulo, &c. quia hoc priuilegium est datum in Capitulo per statutum. Neque item auferetur licentia quam in Ordine Patris Francisci habent soli illi Patres qui fuerunt Generales, vel Commissarij generales, vt exeant à Conuentu cum socio sibi placito non petita licentia Goardiani: hæc enim licentia data est illis à Capitulo generali, non vero ab vllo superiore particulari. Neque item prohibet hæc Bulla quin Patres graues habeant

beant ſocium ſibi placitum pro ſubleuandis ſuis neceſſitatibus corporalibus, hoc enim & lex naturalis poſtulat, & ſtatuta aliquarum Religionum concedunt. Solum prohibet Bulla ne prædicti Patres à Conuentu exeant abſque expreſſa licentia Prælati localis. Imo addo, quod non poterit Prælatus localis dicere alicui Patri graui, vt toto tempore ſuæ Prælationis exeat ad populum non ſibi petita licentia, quia iam in hoc Bullam violat, quæ expreſsè vult vt omnes ſubditi petant expreſsè talem licentiam. hoc ipſum tenere videtur Nauar. citato loco commentarij 4. vbi loquens de licentiis generalibus, quas ante hanc Bullam habebant Religioſi exeundi à Conuentu, ponit hæc verba. *Laudabilius, & melioris exẽpli obedientiæ, ſubmiſſioníſque animi eſſet, vt ſpecialis licentia ad exitum quemcumque ſpecialem peteretur, & fieret, quo memoria ſtatuti intra clauſtra manendi, in dies, & horas renouaretur, & frequentia exeundi, onere facultatis petendæ minueretur.* Sic pius ille, & magnus Doctor optimè ad intentum: quod Nauar. à fortiori diceret viſa hac Bulla, vt ſcilicet licentia exeundi petenda ſit toties quoties exeundum ſit, & non poſſit eam Prælatus localis concedere perpetuam pro toto tempore ſuæ Prælationis.

13 Dubitatur præterea, an poſt iſtam Bullam, & prædicta priuilegia reuocata, poſſint poſtea Nuncij Collectores concedere aliquod priuilegium ex illis hîc reuocatis alicui Religioſo; vel etiam an Prælati ſuperiores id poſſint concedere. Et videtur quod ſic. Nam in Bulla quando Papa illa reuocat, ponit hæc verba: *Hac vice dumtaxat reuocamus, & derogamus, ſpecialiter & expreſsè.* Quæ verba innuũt ſolum derogare Papam præterita, non futura: confidit enim, quod de cætero neque Nuncij, neque ſuperiores talia concedent.

Nihilo

Nihilominus dico, non posse Nuncios, vel superiores post hanc Bullam (si illa publicata sit) prædicta priuilegia hic prohibita concedere. Nam in Bulla ponitur aliud verbum clarius, id est, *Perpetuo, ita quod nulli de cætero suffragentur.* Quæ verba clarissima sunt, cum aliis ibidem, cum dicit Papa: *Nec possint alicui concedi de cætero, absque licentia Papæ, vel Sedis Apostolicæ.* Ibi enim per Sedem Apostolicam non potest intelligi Nuncius Apostolicus, sed alius Papa successor istius præsentis, sic explicat hanc vocem Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 28. num. 61. & 62.* vbi ait quod quando Papa concedit aliquid vtens hoc verbo, *vsque ad beneplacitũ nostrum, vel Sedis Apostolicæ*, ibi Sedes Apostolica significat alium Papam, quia est nomen proprium officij, & dignitatis. Et citat ad hoc Ioan. And. Dominic. Lapum, & alios Canonistas. Præterea ridicula esset, & nugatoria hæc Bulla, & reuocatio; si statim post illam Prælati, & Nuncij possent similia priuilegia concedere. At Summi Pontifices non concedunt Bullas frustraneas, & nugatorias. Adde quod Bulla reuocat etiam priuilegia data per Nuncios, imo & per Summos Pontifices antecessores: quomodo ergo credendum est prædictis Nunciis facultatem manere concedendi de cætero similia priuilegia? Quod autem lex non debeat esse frustranea, & delusoria, vltra lumen naturale id suadens, tenet glossa in Extrauag. *si fratrum. Ioan. 22. ne Sede vacante.* in ver. *tollatur occasio.* vbi citat textus pro intento isto. Imo & ista priuilegia data post istã Bullam fierent omnino in fraudem legis; fraus vero contra legem non debet admitti, vt omnes Doctores clamant.

14 Restat respondere ad illa verba posita, *Hac vice dumtaxat.* Et dico illa non significare, quod Papa hac vice dumtaxat reuocet illa priuilegia à se prohibita, quia

quia alias dicit se illa reuocare perpetuo. Sed volunt dicere, quod reuocat Papa aliqua priuilegia generalia Ordini concessa, per quæ Prælati possent se tueri dicentes, quod per illa priuilegia communia Ordinis concedebant illa priuilegia particularia relaxatiua Religionis: & hæc priuilegia, vel indulta Ordinis dicit Papa se reuocare pro hac vice dumtaxat: innuens, quod nolit Papa in totum dicta priuilegia Ordinis derogare, sed hac vice dumtaxat, id est, ad hoc solum intentum. Deducitur clarè ista responsio ex ipsa Bulla. Hæc enim verba, *Hac vice tantum*, non ponuntur nisi post reuocatoriam generalem, per quam reuocantur priuilegia Ordinis, quoad hoc: ait enim Papa, *Non obstantibus constitutionibus, consuetudinibus, priuilegijs*, &c. *quibus omnibus has vice dumtaxat derogamus.* Ecce quomodo verbum, *hac vice*, non refertur ad priuilegia particularia concessa particularibus hic reprobata: sed ad priuilegia Ordini in communi concessa, quibus superiores velint se tueri ad illa concedenda: & his priuilegiis derogat pro hac vice tantum, id est, ad hoc solum intentum.

15 Pro maiori etiam huius rei notitia, noto cum Reginaldo *tom.1.Sum.lib.13.n.157.* & Azor ibi citato, quod lex Papæ reuocatiua priuilegiorum (qualis est ista) non habet vim donec denunciata sit, non solum in curia Papæ, sed etiam in propria Prouincia vbi degit priuilegiatus, vel sit illi iam nota de certo. Et citat Reginaldus etiam Abbatem. Idem tenet Suarez *tom. de leg. lib.8. cap.40. n.3. & seqq.* Et dicit Reginaldus quod est opinio communis. Quo supposito, si ista Bulla fuit publicata validè, & solemniter in Portugallia per Nuncium, videtur quod obliget in conscientia; iam enim vltra publicationem, scitur de illa certo. Excepto

cepto si facta est supplicatio ad Papam, quæ supplicatio si debitè fiat, & lex publicè non recipiatur in principio, potest suspendere legem Papalem si concurrant illa quæ tradit Suarez *tom. de legibus, lib. 4. cap. 16. à num. 6. & sequentibus.* Si vero non fuit publicata in Portugallia, non obligabit, quia de essentia legis est quod promulgetur.

ADVERTENTIA V.

Si extendatur hæc Bulla ad priuilegia Monialium.

16 QVamuis Papa in hac Bulla, nec vllum verbum faciat de Monialibus, quia tamen inter illas poterit dari eadem occasio, & necessitas auferendi similia priuilegia relaxantia, quæ vel Prælati, vel Prælatæ illis contulerint, non abs re visum fuit breuiter hoc dubium proponere.

Igitur quod etiam illæ hic comprehendantur, probatur primo, quia Bulla loquitur verbis nimis generalibus, dicens: *Quorumcumque Ordinum.* Et præterea ait: *Quarumcumque personarum Regularium, vt ipsæ personæ iuxta Regularia suorum,* &c. Quæ verba satis generalia sunt, & vtrique sexui aptabilia. Secundo, quia in Monialibus currit eadem ratio, & possunt inter illas dari exemptiones, & immunitates similes, vt non eundi ad chorum, vel eundi ad crates ad libitum, & alia similia priuilegia, quæ poterunt inter Moniales causare scandala, & relaxationem. Et confirmo ex dicto Nauarri, super caput, *Hæc autem verba, de pœnitentia distinctione 1. n. 2. num. 1.* vbi ait cum multis Doctoribus citatis

tis quod caput *constitutionem, de Regularib. in 6.* loquens tantum de Dominicanis, & Minoribus, extenditur etiam ad Carmelitas, & alios Religiosos, quia in illis militat eadem ratio. At in Monialibus militat omnino eadem ratio huius Bullæ, vt patet ex proximè dictis, ne detrimentum patiatur Religio ex priuilegiis illarum quæ sunt relaxatiua illius. Si enim lex pœnalis potest extendi de vno casu ad alium in quo est eadem omnino ratio, vt multis probat Sanchez 3. *lib. de Matrimonio, disp.* 42. *num.* 4. à fortiori poterit hæc Bulla extendi de Fratribus ad Moniales, in quibus militat eadem omnino ratio, cum ista Bulla non sit pœnalis, quia nullam pœnam imponit præter priuilegiorum priuationem. Vltimo, quia non est nouum, quod lex lata cum verbo masculino, comprehendat etiam fœminino, vt patet ex cap. *si quis suadente* 17. *quæst.* 4. vbi Papa excommunicat percussorem Clerici, vtens verbo masculino *si quis*, & tamen Doctores, & praxis illam legem extendunt etiam ad mulieres. Aliud exemplum pro hac re ponit Sylvest. verbo *Hospitale, quæst.* 5. *vers.* Quartum, ex Clement. 2. de Relig. domibus, & generaliter, quod masculinum includat etiam fœminino tenent multi relati à Tiraquell. *de retract. consanguineor.* §. 1. *gloss.* 9. *num.* 221. & Menoch. *de adipiscend. possess. medio* 4. *num.* 61. *& seqq.* propter quæ potest hæc pars probabilis, vtcumque videri. Quam tamen vt certam non conculco, cum Bulla sit odiosa, & nullum verbum faciat de Monialibus: & sit opinio communis, quod in pœnalibus, masculinum non comprehendit, fœmininum, teste Geminiano ad caput *ingenerali, in* 3. *casu, de electione.* & Anton. Gabriel. *lib. comm. opinionum, tit. de verb. signific. concluf.* 7. *num.* 17.

ADVERTENTIA VI.

De aliis dubiis circa hanc bullam emergentibus.

17 QVoniam Religiones sunt multæ,& variæ, & priuilegia quæ illarum Prælati dare possunt sunt multa, & varia, nec sit possibile occurre omnibus dubiis in omnibus Religionibus exortis: omnium dubiorum resolutio petenda est ex verbis generalibus in ista Bulla positis. Constat ergo ex procœmio illius, quod finis Papæ est procurare quietem,& fœlicem statum Religiosorum, & conseruationem Regularis obseruantiæ: ex procœmio autem legis pendet explicatio totius legis, seu Bullæ, teste Sanchez *lib.2.de Matrimonio, disput.37.num.3.* in secunda ratione. Priuilegia vero quæ Papa intendit reuocare, sunt illa per quæ Religiosi eximuntur ab obedientia Prælatorum, intellige saltem in parte:& ex quibus nascuntur scandala, & inconuenientia in Conuentibus, maximè de non assistendo in choro, & refectorio. Cum ergo iste sit finis legis, videtur quod nolit reuocare Papa alia priuilegia, si quæ data sunt, quæ scandalum non generant, nec Religionem relaxant, nec à Prælatorum obedientia eximunt, quæ vnaquæque Religio debet attendere. Et in particulari noto, circa priuilegia quæ Papa dicit, de quibus nascuntur scandala: quod si contingat alicui datum esse priuilegium in ratione, & æquitate fundatum ad arbitrium prudentis viri,& nihilominus aliqui pauci de illo scandalizantur, de tali scandalo curandum non est, cum illud ferè sit Pharisaicum: quæ vero possint esse huiusmodi priuilegia in ratione, & æquitate fundata, & ex se non scandalizantia, dicam statim.

18 Pro.

18 Pro quo aduerto D. Paulum 1. ad Timoth. 5. dicere. *Qui benè præsunt Presbyteri duplici honore habeantur.* Et, Pater noster Franciscus rarissimum exemplum humilitatis, in suo testamento iubet vt Theologis honor & veneratio exhibeatur, eo quod nobis ministrant spiritum, & vitam. Bartolus grauissimus Doctor citatus à Syluestro verbo *expensæ*, dicit quod secundum ius, & rectam rationem, *Abbas debet melius vestiri quam Monachus, Magister in Theologia, quam alij fratres, Doctor quam scholaris, & sic etiam de cibariis.* Sic Syluester Religiosus ex Bartolo. Adde quod Summa, & Mathematica æqualitas inter Religiosos, esset inæqualitas, & ferè confusio, Probatur primo ex comparatione corporis humani, in quo non omnia membra sunt æqualia, neque æquè nobilia, neque æque tractantur in vestitu, sed proportionatè ad indigentiam cuiusque, vt docet experientia, quod idem seruandum est in corpore mistico Reipublicæ Religiosæ. Debet seruari respectus ad literatos, qui laborant, & laborarunt: ad senes, qui Religioni in multis obsequiis inseruierunt, & sic de cæteris officiis sicut ratio, & lumen naturale dictat. Facit quod leges ciuiles liberant ab officiis onerosis septuagenarios, & iubent ne cogantur ad talia officia l. *vltima, C. qui ætatem lib.* 1.

19 Et in particulari de reuocatione priuilegij non eundi ad chorum, dico intelligendum esse de illis, qui non habent occupationem publicam pro bono communi, vt Lectores, & similes. Religio enim indiget Lectoribus, & Scriptoribus librorum, aliisque similibus officialibus, qui si cogerentur chorum frequentare, sicut frequentant alij, careret Religio multis commodis, & proinde non erit intentio Papæ hos obligare, ed illos, qui nulla publica occupatione detinentur:

Quod confirmatur ex praxi Ecclesiæ: licet enim Concilium Tridentinum tam rigorosè obliget beneficiarios ad residendum in propris Ecclesiis, concedit tamen multa priuilegia aliquibus non residendi, quando occupantur in aliquibus occupationibus necessariis pro bono communi, vt experientia, & praxis obseruat. Quæ omnia credere debemus D. Papam considerasse. Quod probatur ex D. Thom. *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 3. *art.* 1. vbi agens quomodo violetur lex, seu mens legislatoris sic ait: *Cum probabiliter credi potest, si legislator adesset, eum obligare non vellet, talis non est reputandus legis transgressor.*

20 Vltimo aduerto, quod Papa vltra illa quæ hic expressè reuocat, ponit hæc verba: *& quæcumque eiusmodi.* Videlicet alia similia quæ sunt scandalosa, & contra Religionis obseruantiam. Quæ verba licet à Sum. Pontifice non ponerentur finis, & intentio Bullæ, ad illa debebat extendi. Nam lex pœnalis lata principaliter in fauorem animarum, est fauorabilis, & extendenda ex identitate rationis, vt tenet Sanchez *lib.* 1. *de Matrim. disput.* 39. *n.* 5. citans multos Doctores. Dixi *lex pœnalis*, non quod ista Bulla continet aliquam pœnam spiritualem, vel corporalem: sed solam reuocationem, & annullationem actus

Reuocatio autem priuilegij non est pœna, cum possit id facere princeps, quando sibi placuerit, & viderit expedire pro bono communi.

***

CASVS

CASVS XXXII.

Responsiones contra certas propositiones Doctoris cuiusdam circa Conceptionem Matris Deiparæ.

QVidam Doctor Gaspar Ram vrbe Cæsarauguſtana regni Aragoniæ, parum deuotus erga Deiparæ Matris immaculatam Conceptionem, sequentes propositiones euomuit non sine scandalo, & piarum aurium offensione. Ad quas Prælatus noster tunc commissarius Generalis paucis abhinc annis curauit responderi, iuxta zelum quem nostra Religio semper habuit in defendenda Deipara Matre à peccato originali. Mihi vt omnium minimo illud onus respondendi iniunctum est. Et quia dicta in his responsis poterunt inseruire ad alia occurentia, libuit illa hic transcribere, ad aliquorum fortasse instructionem. Propositiones ergo illius fuerunt 19. hoc modo.

1 *QVe no puede entender el modo con que aya sido possible ser la Viergen concebida sin peccado original.*

2 *Que todos los que predican de otra manera que el, la Concepcion, con desseo de satisfazer a los oyentes, faltan de la obediencia a lo ordenado por la Sede Apostolica, y pierden el respecto a los Santos.*

3 *Que contrauienen al ordenado en el vltimo motu proprio los que obligan, & hazen ley de que se jure defender, y persuadir la preseruacion de la Viergen.*

4 *Que no haziendose en Roma semejantes juramentos*

de tener la Concepcion, no ay razon para que en Eſpaña ſe hagan, y en hazellos, es querer que la Fè vaya de Eſpaña a Roma y que los Prelados de Eſpaña faltan mucho en eſta conſideracion.

5 *Que el hazer los juramentos, y votos, que en Eſpaña ſe hazen de la Concepcion, es de tanto eſcandalo para las otras naciones, como el querer canonizar en Valencia a fuerça de armas contra la Igleſia a vn Clerigo.*

6 *Que para poner remedio a los eſcandalos cauſandos por los que predicã la Cõcepcion, ſe ha viſto como obligado el Papa a mãdar no ſe predique ni ſuſtente en publico la opinion de S. Bernardo, S. Bonauentura, y S. Thomas.*

7 *Que el auer el Papa mandado eſto, es de grãde eſcandalo a las otras naciones, que ſaben mouemos y obligamos al Papa a que mande lo que no ſe deue.*

8 *Que vn Padre Auguſtino de los mas graues deſtos Reynos y aun de Eſpaña cometio gran ſacrilegio, y fue eſcãdaloſo mentiendo en el pulpito porque dixo que S. Domingo defendio la Concepcion, y que ſus hijos le ſiguen.*

9 *Que el obligarſe a ſentir, y jurar de creer la Cõcepcion, tiene grandes incomenientes, abre porta a eſcrupulos. y pone en peligro de peccar.*

10 *Que no es eſpiritu de fee inſtar como inſta el Rey N. Señor, que ſe determine por de fee la pureza de la Concepcion, y que algun dia ſe veran los indirectos que en eſta inſtancia ſe hazen.*

11 *Que el libro de Lucio Dextro, y las laminas de Granada, que affirman auer predicado en Eſpaña Santiago la pureza de la Concepcion, ſon de ningun valor, y de toda falſedad.*

12 *Que los que perſuaden el juramẽto, y voto de creer, y defender la Concepcion, y procuran ſe hagan ley, ò eſtatutos que obliguen a ello aprueuan procedimẽtos cõtrarios a*

lo

lo ordenado por los Papas, y consiguientemente aprueuan peccados: y que con estas apuxamos nuestra opinion, y que Dios lo ha de juzgar.

13 *Que los Reyes de Aragon en las leyes: y fueros que hizieron de tener la Cõcepcion pretendieron que el Vicario de Christo se tiene conformar con lo que acuerdan los Principes, Juglares, y que haziendose tales leyes, preuenieron el juyzio de la Sede Apostolica.*

14 *Que la ciudad de Zeragoça no puda jurar, ni hazer voto de guarda la Concepcion como tan poco pueden las mas ciudades y ricindades.*

15 *Que el tener la Concepcion no es materia de voto.*

16 *Que los Reyes de Aragon en particular el Rey Don Iuan II. vsurpò la autoridad del Papa, mandando no se predique en el Reyno que la Virgen tuuo peccado original, y que no pudo hazer tal ley.*

17 *Que los Prelados Arçobispos y Obispos de Espaãa no saben lo que hazen y vsurpan la autoridad al Papa quado con su parecer, y a instacia suya se hazen los juramentos y votos en las Ciudades, y Iglesias.*

18 *Que los Reyes, y Prelados a cuyo cargo està pacificar los pueblos, y poner los en la obediencia de Christo, deuen disponerlos para lo que el Papa mandare; y hazen lo contrario.*

19 *Que es orden del Domonio para desacreditar la doctrina de S. Thomas, que el aborrece, con mouer los animos de los pueblos con los sermones que se predican en fauor de la Concepcion, mas por emulacion, que por deuocion.*

Hæ sunt propositiones supradicti Doctoris: quibus vt responderetur necessarius erat integer liber, & non paruus: sed quia nec tempus suppetit, nec hodie iam ista materia tot probationes postulat, dicam summariè

quod sentio. Quia vero citatus Author in pluribus propositionibus, conqueritur de voto, & iuramento solito hodie fieri in aliquibus Ecclesiis de defendenda puritate immaculatæ Conceptionis, & expresè dicit in propositione 15. hanc materiam de defendenda sic Conceptione Deiparæ non esse materiam voti, antequam in particulari respondeam ad singulas propositiones Authoris, præmittam disputationem, in qua ostendam esse materiam voti, Deiparæ puritatem in Conceptione defendere, dicendo sic: Voueo me defensurum,& pie confessurum Deiparam Matrem caruisse peccato originali. Et pari modo hoc esse materiam iuramenti.

QVÆSTIO

Vtrùm defendere quòd Deipara Mater caruerit peccato originali, possit cadere sub voto. & iuramento.

QVod non sit materia voti, nec iuramenti, pro isto Authore potest vtcumque afferri hoc argumentum. Opus positum sub opinione, est indifferens vt eligatur, potest enim licitè eligi vtraque pars illius: ergo tale opus est etiam indifferens ad bonum, vel malum moraliter; probatur hæc prima consequentia, quia electio pertinens ad voluntatem, non tendit ad opus nisi sub ratione boni: ergo si opus est indifferens vt eligatur, est etim indifferens vt sit, vel dicatur bonum. Tunc sic Deiparam fuisse præseruatam ab originali, vel non fuisse, est res posita sub opinione: vt docent Bullæ Pontificiæ

tificiæ, proinde vtraque pars potest eligi: ergo est opus indifferens ad bonitatem, sicut est indifferens ad veritatem. Constat autem iuxta omnes Doctores, quod res indifferens non potest esse materia voti, vel iuramenti, ac proinde materia posita sub opinione non potest esse materia voti, vel iuramenti. Et confirmatur, quia vtraque pars opinionis potest esse falsa, vel saltem vna illarum est falsa, cum duæ contrariæ non possint esse ambæ veræ: cum ergo istius opinionis de Deiparæ Conceptione sine originali, possit esse falsa illa quæ affirmat illam caruisse originali, poterit iuramentum cadere sub falsa materia, & sic vt minimum exponitur iurans periculo iarandi falsum, quod nullo modo est admittendum.

1 His non obstantibus dico, quod defendere Deiparam caruisse orignali, est materia, quæ possit voto, & iuramento confirmari, iurando me id defensurum semper. Antequam conclusio probetur, suppono, quod vt plurimum, id quod est materia voti, potest etiam esse materia iuramenti de futuro. Vt, voueo me ieiunaturum Sabbata, aut iuro me ieiunaturum Sabbata. Quod confirmo, quia ferè conditiones quæ requiruntur ad materiam voti, requiruntur etiam ad materiam iuramenti promissorij, vt passim apud Doctores videre licet, maximè apud Suarez *tom.2.de Relig.lib.1 cap.7.& seq.* vbi agit de materia iuramenti, & apud eundem *eod. tom.lib.2.c.1.* vbi agit ee materia voti. Videdus est etiam Sayro *lib.5.clau.Reg.c.7.* vbi agit de materia iuramenti, *& lib.6.c.3.* vbi agit de materia voti.

2 Posita ergo conclusio, probatur primo: nam actus pius, religiosus, & laudabilis est materia voti, vt patet ex citatis Doctoribus: & est etiam materia iuramenti: sed defendere Deiparam caruisse originali, est actus

pius, religiosus, & laudabilis: ergo est materia voti, vel iuramenti: Ma. & consequentia patent. Probo Minorem per singulas partes. Et primo, quod sit actus pius probo, quia virtus pietatis est illa, quæ versatur circa cultum Dei, parentum, vel etiam circa illos quos habemus loco parentum, teste etiam Calepino verbo *Pietas*: at Sanctos, maximè Deiparam habemus loco parentum spiritualium, & proinde colere Deiparam defendendo illam ab originali est actus pius descendens à virtute pietatis. Probo etiam, quod sit actus pius, ex authoritate Sixti V. qui in Bulla posita à Rodriguez in bullario *fol.* 1143. per quam concedit Fratribus Minoribus, vt possint recitare officium diuinum in hoc festo Conceptionis cum octauario, cum prius voeauerit ibidem Conceptionem Virginis purissimam, & hanc Minores petierint celebrari cum octaua, subdit Pontifex: *Nos tam pium, & laudabile propositum fauere volentes*, &c. Ecce Papa vocat actum pium, defendere Deiparam ab originali: & simul inde manet probatum, quod sit actus laudabilis, sic enim expressè illum vocat ibidem Papa. Item Doctissimus Pater Pineda in tractatu, in quo exposuit legem Regni Aragoniæ circa Cõceptionem Deiparæ, *Aduertentia* 4. §. *Pero boluiendo*, statutum Academiæ Parisiensis de iuramento exhibendo promouendis ad Doctoratum de defendenda opinione Scoti. vocat actum pium, & fauorabilem. Quod vero idem actus defendendi Deiparam sit etiam actus Religionis, id est, ortus à virtute Religionis in communi, tenet expressè Bellarminus *tom.* 1. *Controuers. lib.* 13. *de cultu Sanctorum c* 16. § *Neque rationes*, vbi ait, colere Sanctos esse actum Duliæ, & Religionis, non vt sumitur Religio strictè, quæ respicit Deum tantum, sed vt est Religio communis, quæ respicit

ſpicit etiam Sanctos. Quis autem neget defendere Deiparam ab originali eſſe cultum illius, & proinde actum Religionis? Quod denique hic actus ſit laudabilis, iam patet, & in ſe, & ex Bulla Sixti V. citata, quæ vocat actum laudabilem. Et confirmatur: nam ſi prædicare excellentiam alicuius Sancti, eo quod raro peccauerit, vel quid ſimile eſt actus duliæ, pietatis, & Religionis in communi, actúſque valdè laudabilis, à fortiori dicendum eſt quod ſit actus pius, religioſus, & laudabilis dicere tantam Virginis excellentiam quanta fuit, neque habuiſſe originale. Secundo probo principaliter, percurrendo breuiter per ſingulas conditiones requiſitas ad materiam voti, & iuramenti, quæ poſſunt reduci ad has quinque præcipuè. Prima, quod non ſit de materia impoſſibili. Secunda, quod non ſit de re indifferenti, quæ ſcilicet ex ſe neque eſt bona, neque mala. Tertia, quod non ſit res mala. Quarta, quod ſit res melior quam ſibi oppoſita. Quinta, ne ſit opus impeditiuum maioris boni, hæc autem omnia inueniuntur in hoc actu defendendi Deiparam ab originali: ergo eſt materia voti, & iuramenti. Probatur minor per ſingulas partes: & quidem de prima patet, nam hæc materia non eſt impoſſibilis, nec enim fuit Deo impoſſibile præſeruare Deiparam ab originali, vt etiam Doctores oppoſiti fatentur; neque item eſt impoſſibile hanc opinionem cum facilitate, & ſufficientia defendere, vt experientia tot annorum docuit. Secundo, defendere Deiparam ab originali in laudem ipſius, non eſt actus indifferens, cum ſit pius, religioſus, & laudabilis. Actus enim indifferens de ſe, neque eſt pius, nec religioſus, nec laudabilis, ſicut eſt actus fricandi barbam, vel leuandi feſtucam à terra, vel ſimiles: qui proinde ex ſe non cadunt ſub voto, vel iuramento. Tertia etiam conditio

ditio non deeſt huic actui, videlicet quod non ſit res mala: nam defendere Deiparam ab originali, eſt actus pius, religioſus, &c. ergo non eſt malus. Vnde non eſt actus malus ex ſe, & ex ſua natura, vt patet: neque etiam eſt malus quia prohibitus, quia Eccleſia illum non prohibet, ſed cum gaudio, & fauoribus permittit. Quarto, actus defendendi Deiparam ab originali, eſt melior quam oppoſitus, qui aſſerit illam contraxiſſe originale: eſt melius Deiparam caruiſſe originali, quam illam habuiſſe originale: ergo iſte actus eſt melior quam oppoſitus. Vltimo defendere Deiparam ab originali, non eſt impedimentum maioris boni, neque enim id maius bonum impeditum aſſignabitur: imo defendere illam ab originali eſt actus impeditiuus multorum malorum, videlicet ſcandalorum offendentium ſaltem aures aliquorum fidelium ſimplicium, non quod ſit error dicere illam habuiſſe originale, ſed quia de Matre Dei ex affectu nimio horrent id concipere, quæ ſcandala in his annis proximè præteritis per experientiam patuerunt. Nec denique dari poterit alia conditio ob quam hic actus defendendi Deiparam ab originali excludatur à materia voti, vel iuramenti: ergo eſt materia cadens ſub voto, & iuramento.

3 Tertio principaliter probatur ex praxi, & authoritate. Nam imprimis Academia Pariſienſis cæterarum Academiarum Mater, dicentis ferè abhinc annis, ab omnibus promouendis ad Doctoratus gradum prius iuramentum exigit quo iurent ſe ſemper defenſuros Deiparam ab originali. Res eſt notiſſima in tota Eccleſia, vt refert Caniſius *lib. 1. de B. Virgine c. 7.* Suarez *tom. 2. de Incarnat. diſput. 3. ſect. 2.* Pineda in illo *tract. de lege Regum Aragoniæ, aduertētia 4. §. Pero boluiendo*, & multi alij Idem faciunt multæ aliæ Acade-

miæ

miæ in Hiſpania, Suarez,& Pineda teſtantibus. Tunc ſic. Mirum eſt quod tot,ac tam graues Doctores Pariſienſes, quot illa Academia, tot abhinc annis habuit, nunquam dubitauerint, neque ſcrupulum fecerint de tali iuramento exhibendo, vel acceptando. Secundo, adhuc etiam mirum eſt, quod tot Summi Pontifices Romani à tot annis ſcientes illud iuramentum exhiberi, illud permiſerint, cum non deberent permittere ſi aliquid erroris,vel falſitatis poſſet includere. Idémque dicendum de Prælatis, & Doctoribus aliarum Eccleſiarum, & Vniuerſitatum illud publicè permittentibus. Tertio,quod adhuc magis facit ad intentum,eſt quod Doctores Pariſienſes non ſolum prædictum iuramentum præſtant doctorandis, ſed etiam illius iuramenti violatores publicè puniunt,ſicut refert Cord. *in ſuo quæſtionario, fol.* 368.*col.*2. in fine,de quodam prædicatore punito ea de cauſa à Rectore, & Conſiliariis Academiæ, & aſſiſtente etiam Epiſcopo, vt refert Pineda loco proximè citato. Idem refert Pater Ægidius *lib.*3. *de Conceptione, fol.*324. *col.*2. Probatur quarto, quia ſicut audiui à fide dignis, Patres Ordinis D.P. Dominici, ſic docti, ſic pij, & religioſi, illos Religioſos, quos aſſumunt ad dignitatem Magiſtri,vel præſentati, prius adigunt iuramento,vel promiſſione,quod ſemper defendent doctrinam D. Thomæ:cum certum ſit quod in doctrina D. Thomæ ſint multæ propoſitiones purè ſpeculatiuæ maximè in Philoſophia quæ de ſe ſunt indifferentes ad bonum & malum : continetur etiam propoſitio quod B.Virgo habuerit originale, & tamen hæc omnia promittunt defendere: cur ergo non licebit ſub voto, & iuramento defendere Deiparam caruiſſe originali,cum ſit actus non indifferens, ſed pius, religioſus, & laudabilis.

4 Probatur idipsum, quod Deiparam defendere ab originali sit materia voti, ex miraculis factis propter emissionem istius voti. Refert N. Bernardinus de Bustis *in suo Mariali serm.7.de Conceptione.part.2.fol.28. col.2.*quod quidam insignis Prædicator Italiæ Ioannes de Viterbio, cum prius Deiparæ Conceptionem maculatam assereret,eáque de causa (vt ipse credidit) infirmatus esset ad mortem absque remedio humano: ad se rediens votum fecit, quod si sanitatem recuperaret, semper in posterum defenderet Deiparæ præseruationem ab originali: quo facto sanitatem adeptus est,& pulsata campana,miraculum,& opinionem prædicauit. Secundum miraculum refert iden Bernardinus *serm.9.de Conceptione,fol.40.1.p.litera I.*vbi refert quemdam virum pium, ac deuotum in ægritudine voluisse, quod si sanitate donaretur,poneret in limine portæ suæ titulum, quo B. Virgo caruerit originali: quo facto sanitati redditus fuit. Tertium adhuc miraculum refert de se ipso noster Alexander de Ales *in lib.de Conceptione:*vbi fatetur quod cum adhuc sæcularis graui mobo correptus esset, eo quod (vt ipse credidit)Deiparam diceret conceptam in originali, idque sic defenderet: votum emisit de illa postea defendenda,& subito ad pristinam sanitatem fuit restitutus. Citat hanc historiam noster Carthagena *tom.1.B.Mariæ, lib.1.homil.19.* propè finem:Ecce tantus Doctor,qualis fuit Alexander Alens. suo facto confirmauit quod defendere Deiparam ab origin.esset materia voti. Quartum miraculum est quod refertur communiter, maximè à Petro Nuñez *in suo Sancturali Seraphico, fol.39. col.2.*in fine,videlicet quod cũ Scotus Parisiis pergeret ad aulam publicam defensurus publicè puritatem Conceptionis Deiparæ, & præteriret imaginem lapideam eiusdem

eiusdem Virginis: cum Scotus illi caput inclinaret, potens auxilium ad futuram difficilem disputationem, imago lapidea Scoto caput inclinauit, quasi annuens, & promittens auxilium. Ecce quatuor miracula facta erga vouentes defensionem Deiparæ ab originali: ergo actus illam defendendi, est materia iuramenti, vel voti: non enim facit Deus miracula ad confirmationem rei illicitæ.

5 Obiicis. Quomodo potest esse opus bonum, & laudabile id quod pendet ex opinione dubia, quæ potest adhuc esse falsa, & proinde corruente veritate fundamenti, corruet bonitas illius operis. Respondeo id non obstare. Do exemplum. Ego habeo opinionem quod Petrus valdè indigeat eleemosyna, quia illam petit, vel illam fingit cum reuera non indigeat, hac opinione ductus facio illi eleemosynam: mea eleemosyna est meritoria facta propter Deum, licet fundetur in opinione à parte rei falsa, sed probabili. Eodem modo defensio Deiparæ ab originali, licet fundaretur in opinione falsa à parte rei (quod non concedo) quia tamen id me latet, & hæc pars opinionis fulcita est tot fauoribus Ecclesiæ, & piis rationibns, non desinet esse meritorium illam defendere, cum sit pars hæc magis pia quam opposita.

6 Pro solutione argumenti contrarij positi in principio, noto primo rem indifferentem esse illam quæ de se neque est bona, neque eius oppositum est malum: vt ingredi, vel egredi hanc domum, abstinere à capitibus animalium propter honorem Baptistæ, &c. non filare in Sabbato in honorem Deiparæ: hæc enim omnia de se non sunt bona moraliter, neque illorum opposita sunt mala: & proinde abstinere ab his omnibus, neque est bonum,

num, vel malum moraliter: neque in illis exequendis ex se fit aliquod obsequium Sanctis; dixi ex se non esse bona, vel mala, quia ex circumstantia apposita bona, poterit effici actus meritorius, vel demeritorius: v. g. votum non ingrediendi domum istam, quia in illa datur occasio vel peccandi, vel scandali: vel fiet è contra, votum malum, videlicet ne ibi exequar opus charitatis. Secundo aduerto, non idem esse in genere boni, & mali, quod opus si indifferens, & quod opus sit opinabile, seu positum sub opinione: nam opus esse indifferens est, quod neque illius executio, neque illius omissio sint aliquid bonum, vel malum. At quod opus aliquod sit opinabile, & reducatur ad praxim, licet vna pars illius sit probabilior, & bona: altera opposita non desinet esse bona, quia est etiam probabilis. Exemplum sit. Datur casus, in quo opiniones sunt, an ego tenear ad restitutionem, aliis affirmantibus aliis negantibus: in hoc casu, ille qui eligit partem affirmantem, & restituit, cum à parte rei non sit vera pars ista, nihilominus meretur, cum faciat opus quod putat esse actum iustitiæ: ac proinde nimis differunt inter se opus indifferens, & opus morale positum sub opinione, seu clarius. Nimis differunt partes oppositæ operis indifferentis, vt filare, & non filare in Sabbato, & partes oppositæ vnius operis positi in opinione: nam neutra pars operis indifferentis poterit laudabiliter eligi, seu meritoriè, cum non sint ex se bonæ, vel malæ materialiter: at partes opinionis probabilis moralis possunt eligi prudenter, laudabiliter, & meritoriè, si sint de re bona morali posita sub opinione. Intelligo hic, & in præcedentibus, si in Sabbato non abstinet ab aliis seruilibus.

7 Hinc patet solutio ad argumentum initio positum.

Dicen

Dicendum est enim, quod licèt immunitas Deiparæ à peccato sit opus positum sub opinione affirmatiua, & negatiua, & vtraque pars eligi possit, electio tamen illius partis quæ illam liberat à peccato non est opus indifferens, sed actus pius, religiosus, & honestus, quod non habet pars operis indifferentis, vt filare, vel non filare, quæ non est actus pius, religiosus, &c. & proinde licet quæuis pars circa Deiparam possit eligi, tamen illa de illius præseruatione tuenda habet in se bonitatem vt eligatur, & fundamentum laudabile, & religiosum, vt electio voluntatis licitè, & laudabiliter feratur ad illud, quale fundamentum laudabile, & pium nõ inuenit in quauis parte operis indifferẽtis: & proinde ratione huius laudabilis fundamenti potest esse hæc pars materia voti, & iuramenti. Ad confirmationem eiusdem argumenti dicendum est, etiam si aliquando Ecclesia determinaret de fide Deiparam habuisse originale (quod nullus Catholicus sperat Ecclesiam facturam ob multas causas) adhuc hodie defendentes Deiparam ab originali poterunt mereri defendentes opinionem (per te falsam) non perdent meritum, cum modo habeant tot motiua, & rationes ad illam defendendam. Et quod homo possit mereri nixus opinione à parte rei falsa, sed pntata vera, ostendimus suprà n. 5. de dante eleemosynam putato pauperi, cum sit diues. Nunc adduco aliud exemplum clarum. Ecclesia per multos annos ante emendationem Breuiarij factam nuper à Clemente VIII. in alio Breuiario recitabant officium Inuentionis sanctæ Crucis, in quo referebatur quomodo Helena S. Crucem inuenerit, adigendo Iudæos sub pœna ignis vt ostenderent locum Crucis, &c. præterea in die sanctæ Petronillæ dicebatur propria lectio qua dicebatur illam esse filium D. Petri, &

postulatam à Comite Flaquo in vxorem ; Clem. VIII. abrasit à Breuiario has ambas historias, quia (sicut dicunt) constitit illas continere falsitatem : quæro ergo, nunquid recitantes antea officium illud Crucis fundatum in opinione falsa, sed putatam veram, & toleratum ab Ecclesia, nunquid peccabant recitantes : nonne meritum habebant recitando, etiam si niteretur in falsa historia, ignorata, & ab Ecclesia tolerata ? Eodem ergo modo licet opinio Scoti stet sub opinione, & licet Ecclesia illius oppositum aliquando determinaret, quod non speramus, adhuc hodie meritorium erit defendere Deiparam ab originali cum sit opinio ab Ecclesia tolerata, imo & tot Bullis, & fauoribus roborata : & tot, ac tam piis rationibus communita. Neque cum his fundamentis iurans iurabit falsum, tum quia ille non putat se iurare falsum: tum quia ille non iurat Deiparam caruisse originali, hoc enim iurari non potest, cum stet sub opinione : sed solum iurat se defensurum id quod iudicat valdè probabile ob tot rationes prædictas: iurans vero id quod credit verum, & habet motiua ad sic credendum non est periurus, vt Doctores dicunt in materia de iuramento.

Responsiones particulares ad singulas propositiones Doctoris.

Ad primam.

8 IN prima propositione asserit Author se non intelligere modum quo Beata Virgo potuerit in prima Conceptione præseruari à peccato originali.

Quibus

Quibus verbis sic videtur argumentari. Ego non capio quomodo id fieri non potuerit: ergo factum non fuit. Argumentatio sanè tanto digna Authore, vel saltem magna indeuotio erga Deiparam, nolle scilicet assensum dare, nisi illis quæ clarè caperet proprius intellectus, vel suum intellectum proponere omnibus tanquam formam iudicandi de rebus. Non intendo per hæc quæ dicam quod Deiparæ præseruatio ab originali sit credenda assensu fidei, sed solo assensu opinatiuo: & hoc suppositio arguo sic cõtra istum Doctorem. Capis modum quo Christi D. humanitas est sub Eucharistia consecrata: & modum quo D. essentia est in tribus personis? & modum quo humanitas est vnita Verbo diuino? Teneris dicere, quod non capis: & tamen credis: ergo poteris assentiri assensu opinatiuo illi rei quam non capis, videlicet præseruationi Deiparæ ab originali. Secundo, si es verè discipulus Diui Thomæ, vt profiteris, recordare illius doctrinæ, qui circa Deiparæ Conceptionem non dicit se non posse capere, neque negat potuisse fieri, sed solum dicit non fuisse factum, & tamen concedit potuisse fieri. Lege Augustin. citatum à Flores Doctorum, ver. *fides lit. G.* vbi de difficultate credendi mysterium Trinitatis sic inquit. *Quomodo creditur Trinitas rectè homo interrogas: imo ideo benè creditur, quia cito non capitur, nam si cito caperetur, non esset opus vt crederetur.* Hæc ille. Satius, ac modestius faceret Author, si Galenum imitaretur, de quo fertur, quod cum non intelligeret quemdam textum Hippocratis, neque audens textum impugnare, sic dixit: Melius est dicere nos non intelligere istam sententiam Hippocratis, quam ipsum refutare. Vide modestiam Gentilis erga textum Gentilis quem non capiebat. Iterum dico per hæc nolle me dicere quod

præseruatio Deiparæ sit credenda assensu fidei. Sed arguo à simili.

9 At sanè quod potuerit Deus præseruare Deiparam ab originali, & modum quo id fieret, intellexit turba Doctorum hanc opinionem defendentium, quos esset infinitum citare. Nam in eodem instanti quo anima Deiparæ fuit infusa corpori, in illo posteriori naturæ eiusdem instantis quo peccatum originale debuit resultare, potuit Deus gratiam statim illi infundere, per quam peccati resultatio impedita fuit, cum gratia & peccatum simul esse non possint. In hoc autem nulla est impossibilitas, vt Suarez asserit *tom. 2. de Incarnat. disp. 3. sect.* declarans modum istius præseruationis, non enim impossibile est apud Deum omne verbum: maximè cum Doctores oppositi concedant Angelos in primo instanti fuisse creatos in gratia, & in illorum creatione Deum simul condidisse naturam, & infudisse gratiam: & dicunt præterea primos parentes creatos fuisse in gratia: cur ergo non potuit sic creare animam Virginis statim in gratia?

Ad secundam.

10 IN secũda propositione asserit Author, quod prædicantes Conceptionem Deiparæ alio modo ab illo quo ipse prædicat, deesse obedientiæ circa Decretum Ecclesiæ, neque habere respectum ad Sanctos. Vbi vides quod in 1. propositione posuit se vt formam credendi, & in hac 2. proponit se vt formam prædicandi. Non explicat Author cui Decreto Ecclesiæ contradicat prædicans Conceptionem diuerso modo ab eo quo ipse prædicat, & propterea mentem illius oportet inquirere. Et quidem imprimis non debet prædica-

re

re ad populum opinionem D. Thom. dicendo Deiparam contraxisse originale : iam enim hodie sic prædicans incurret censuram Pauli V. Pontif. Maximi positam contra sic prædicantes. Secundo non videtur prædicare opinionem Scoti quam impugnat. Tertio non videtur prædicare potuisse Deum Deiparam præseruare, hoc enim ipse fatetur se non intelligere, neque talis mens ex his propositionibus colligitur : restat ergo vt solum intendat dicere rem esse sub opinione : si autem hoc dicat, dico etiam quod prædicantes opinionem Scoti, & illam probantes, non dicunt illam esse de fide, sed esse opinionem, licet dicant esse opinionem probabiliorem. Secundo dico, quod prædicantes clarè opinionem Scoti, illamque probantes rationibus probabilibus, & authoritatibus, non desunt obedientiæ Ecclesiæ, neque contradicunt alicui illius præcepto, vt videre licet in Concilio Tridentino, & Bullis Sixti IV. & Pij V. & Pauli V. cumque in particulari Paulus V. prohibeat prædicari ad populum opinionem D. Thomæ, clarè concedit quod possit prædicari opinio Scoti : iuxta illud commune dictum Iuristarum, exceptio firmat Regulam, & praxis Ecclesiæ idipsum confirmat, in qua opinio Scoti ad populum cum applausu prædicatur, & nullus Prælatus sic prædicantes condemnat. Sin minus prodat hic Author Decretum Ecclesiæ cui contradicant prædicantes populo opinionem Scoti. Quod vero, addit Author, prædicantes opinionem Scoti, suas probationes adducere, vt populo placeant, innuit se non sanum iudicium ferre de proximo suo, sinistre iudicando de illorum vana intentione. Dato autem quod aliqui id facerent, vt secundario placerent populo, id per accidens est ad nostrum intentum, neque ex eo contradiceretur aliqui-

bus Bullis Pontificiis, vel Decretis Matris Ecclesiæ.

11 Quod attinet ad secundum dictum in eadem secunda propositione, videlicet, prædicantes opinionem Scoti more solito cum probationibus, non seruare decorem, vel respectum debitum Sanctis: si id intelligit, quia per hoc videtur fieri iniuria D. Thomæ, D. Bernardo, & aliis Sanctis, qui oppositum contra Scotum tenuerunt, gratis, & sine causa hoc asserit Author. Quæ enim iniuria fit Sanctis, qui olim aliquam opinionem tenuerūt, si alij Sancti, vel Doctores posteriores discedant ab opinione priorum, ducti scilicet nouis, & meliorjbus motiuis, & fundamentis quæ longo tempore, & multo posteriorum studio sunt adinuenta? Nonne Ecclesia comparatur Auroræ, quæ in dies crescit? Nonne posteriores Doctores accuratius vnam rem considerantes, & maiori studio pertractantes potuerunt aliquid assequi quod priores Sancti non fuerint assecuti? Nonne scholastici Doctores, & alij Recentiores reprobant sæpius dicta Patrum Hieron. Augustini, Chrysost. & aliorum, quibus tamen reprobatis per hoc iniuria non infertur? An illi Patres antiqui habuerunt assistentiam Spiritus sancti, vt in nulla re possent errare: sit vnum exemplum. Iudam Iscariotem communicasse, & sanctissimam Eucharistiam de manu Domini recepisse in Cœna, & tradunt Augustinus, Hieronym. Chrysostom. Bernardus, Leo Papa D. Thomas, & alij Patres citati à Barradas *tomo* 4. *Concord. lib.* 3. *cap*''' Quibus non obstantibus alij multi Patres, quos ibi citat, & sequitur Barradas, renent oppositum tanquam probabilius: idque tenent absque iniuria Patrum citatorum. Et multa alia exempla facilè esset passim reperire. Concludat discursum vnum dictum D. Hieron. *tom.* 7. ad illum locum *Psal* 86. Dominus

minus narrabit in scripturis populorum, vbi sic ait ad nostrum intentum. Quamuis ergo aliquis Sanctus sit post Apostolos, quamuis diſertus sit, non habet authoritatem (intellige infallibilem.) Hæc ille. Soli ergo Apostoli, & Authores librorum Canonicorum irrefragabiliter sunt audiendi, illorúmque dictis omnino standum est.

12 Vltimo perpende nostri Authoris ne dicam iactantiam, sed fiduciam. Se solum ponit vt Regulam, & exemplar ad prædicandam Conceptionem, quasi quod aliter prædicantes censendi sint à rectitudinis tramite deuiare. Ego nimis dubito, imo probabiliter asſero, quod si ille suam opinionem hodie in Hispania prædicaret, præmium prædicationis fortè reciperet, sicut Bernardinus de Bustis refert in suo Mariali recepisse in Gallia quemdam prædicatorem, qui cum prædicaret contra immaculatam Deiparæ Conceptionem, finito sermone in eadem Ecclesia à plebeis verberibus publicè affectus est.

Ad tertiam.

13 IN tertia propositione dicit contrariare vltimo Motui proprio illos qui iuramentum aliquibus exhibent, per quod se obligent ad defendēdam, ac persuadendam Deiparæ præseruationem ab originali. Non exprimit Author cuius Papæ sit iste vltimus Motus proprius. Cum tamen vocet vltimum, conuincitur id intelligere de Motu proprio Domini Pauli V. promulgato anno 1617. die 12. Septembris. Neque enim loqui potest de Bullis Sixti IV. Pij V. &c. quæ non sunt vltimæ. Si ergo Motus proprius Pauli V. attentè legatur, nihil omnino continet in fauorem Authoris, nisi

fortè illa verba per quæ ibi Papa præcipit, vt vnuſquiſque poſſit liberè in ſecreto vtramuis opinionem defendere. Sic enim ait. *Relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & aſſerendi vtramque partem.* Vnde poterit arguere Author hoc modo. Papa decernit vt vnicuique relinquatur libertas defendendi quamcumque partem maluerit. At qui iurauit, vel vouit defendere Scoti opinionem, admit ſibi libertatem defendendi partem oppoſitam: ergo tale iuramentum eſt illicitum, vtpotè impediens hanc libertatem à Papa conceſſam: ac proinde non licet tale iuramentum à populo extorquere, cum per illud perdatur libertas defendendi vtramuis partem ſicut Papa concedit.

14 Hæc etiam argumentatio nihil efficit, nec prædictum iuramentum, vel votum facit amittere libertatem defendendi vtramuis partem eo modo quo Papa intendit. Pono prius exemplum, per quod res clara, & nota fiet. Conſtat quod contrahere matrimonium eſt res omnino libera, ita vt omnino liberum cuique ſit vtramuis partem eligere, illud ſcilicet contrahere, vel non contrahere? Quo non obſtante, ego licitè poſſum petere, à quolibet, imo perſuadere vt fiat Monachus pro ſalute animæ ſuæ, cum per Monachatum ille impediatur à libertate contrahendi matrimonium: at neque ego peccaui conſulens Monachatum, ipſumve ſuadens, quamuis peccarem ſi vi cogerent, vt ille Monachus fieret, quæ omnia ſunt notiſſima. Applicando vero dictum exemplum ad intentum, dico, Prælatos hodie, & ſuperiores, exhibentes iuramentum, vel votum petentes de defendenda Deipara ab originali, vel illud ſuadentes ſine vi, & ſine coactione licitè facere, neque per hoc impedire libertatem conceſſam à D. Papa defendendi vtramuis partem, vt clarè deducitur

ex

ex proposito exemplo. Non enim exhibens iuramentum, vel petens votum, cogit, vel libertatem impedit: solum proponit ob laudem Virginis,& bonum iuratis, vt ipse si velit liberè iuret, vel voueat,per quod liberè renunciat libertati quam posset habere ad vtramuis partem defendendam, cui ipse liberè renunciat per votum, vel iuramentum emissum. Eo modo quo vouens Religionem sua sponte renunciat libertati contrahendi matrimonium.

15 Cum ergo in prædicto vltimo Motu proprio Pauli V. nulla alia verba faueant Authori, nisi proximè posita, & explicata, sequitur quod gratis, & sine fundamento dicit, contradicere vltimo Decreto Papæ illum qui petit à populo, vel suadet, vt fiat iuramentum de tuenda Deipara ab origin. Imo contra Authorem dico, quod si hodie alicubi peteretur à populo iuramentum defendendi opinionem D.Thomæ per tale iuramentum magis violaretur dictus Motus proprius Pauli V. nam per tale iuramentum in communi præstitum sine distinctione, daretur occasio defendendi opinionem D. Thomæ etiam in disputationibus publicis, quod prædictus Motus proprius claris verbis interdicit.

Ad quartam.

16 QVarta propositio continet illicitum esse in Hispania tale exhibere iuramentum,eo quod Romæ non sit in vsu,& proinde Prælatos Hispaniæ in hoc maturè non procedere,sed agere inconsideratè: & quod per hoc volunt Prælati, vt fides ex Hispania deferatur ad vrbem Romam. Et quod attinet ad primam partem propositionis, dico quod non valet argumen-

tũ iſtud, Hoc Romæ non fit, ergo non debet fieri in Hiſpania: nam ſi valeret, etiam valeret ſic. Hoc Romæ non fit, ergo non debet fieri Pariſiis, ſicut tamen fit ibidem à ducentis annis, & tamen Eccleſia non reprobat fieri Pariſiis: nec reprobat fieri in Hiſpania, cum ſit eadem omnino ratio de Gallia, atque de Hiſpania. Et ad maiorem iſtius argumenti probationem, debuerat Author meminiſſe ſancitum eſſe ab Eccleſia, vt conſuetudines particularium Eccleſiarum obſeruentur, & permaneant ſi bonæ ſunt, nec Eccleſiæ Decretis repugnantes, etiãſi tales conſuetudines Romæ non ſeruentur. Habetur hoc *in tota diſt. 12. in Decreto*, maximè in cap. *Scit Romana.* vbi ex duobus Pontificibus in Rubrica poſitis, ſic habetur: *Nihil obſunt ſaluti credentium diuerſæ pro loco, & tempore conſuetudines, ſi illis canonica non obſtet authoritas.* Idem habetur ibidem cap. *Nouit.* vbi Gregor. I. ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum ſic ſcribit: *Placet, vt ſiue in Romana ſiue in Galliarum, ſiue in qualibet Eccleſia aliquid inueniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicitè eligas,* &c. Ex quibus duobus capitibus clarè colligitur, permittere Summos Pontifices, vt Eccleſiæ particulares retineant ſuas conſuetudines, quando ſunt Deo placitæ, nec à Romana Eccleſia reprobatæ, etiamſi prædictæ conſuetudines ſeruentur extra Romanam vrbem, & in illa non extent. His adde quod in materia ſacramentorum, id eſt, in cæremoniis cum quibus illa miniſtrantur, tolerantur alibi conſuetudines, quæ non vigent Romæ, conſtat clarè ex cap. *de trina, de conſecrat diſt. 4.* vbi Greg. Papa dicit Romæ in baptizando infante fieri trinam merſionem, alibi verò fieri vnam tantum, & vtrumque eſſe licitum, & tolerandum. Ad quod alludens D. Thomas *3. p. quæſt. 66. art. 8.* dicit ſeruandam eſſe conſuetudinem

tudinem particularium Ecclesiarum. Quibus positis. Cum exhibere nostrum iuramentum, sit consuetudo laudabilis, pia, & non prohibita à Prælatis, neque à Summo Pontifice, & hæc vigeat Parisiis ab annis ducentis, & Valentiæ, & alibi per annos sufficientes ad introducēdam consuetudinem validam, & laudabilem, sequitur quod licitè eadem consuetudo possit continuari, licet Romæ non obseruetur. Multæ enim sunt Romæ consuetudines in cultu diuino, quæ in Hispania, vel Gallia non obseruantur, neque Papa vult ad consuetudines particulares Romæ fideles obligare, cum videat id non esse necessarium ad salutem.

17 Quod vero asserit Author in eadem quarta propositione, quod exhibentes, vel suadentes hoc iuramentum, suo facto volunt, vt fides ex Hispania vadat Romam, si intelligit per hoc, velle prædictos, vt fides Hispaniæ Romæ recipiatur, vel quod Roma conformet se in fide cum Hispania, perperam, & ferè temerè colligit: nunquam enim superiores, vel hi tale iuramentum petentes, vel suadentes somniarunt. Primo enim petentes, vel suadentes hoc iuramentum, non hoc stabiliunt, vt dogma fidei: neque suadent vt iuretur Deiparam caruisse originali, sed iurant se defensuros opinionem Scoti intra terminos suæ probabilitatis, idque sub correctione Ecclesiæ, à qua sola protestantur saltem virtualiter, se expectare definitionem fidei, sollicitante illam definitionem Rege Catholico, & aliis Principibus: & proinde volunt quod fides circa hanc materiam de Roma veniat in Hispaniam, non è contra. Neque enim hoc iuramentum in Hispania, & Gallia seruatum obligat Papam vt hoc definiat. Et confirmatur, quia cum hoc iuramentum Parisiis ducentis ab hinc annis seruetur, nemo dixit velle per hoc Parisienses

sienses vt fides ex Parisiensibus vadat Romam. Si vero Author per hoc intelligit velle nos, & desiderare, vt fides de Hispania Romam vadat, id est, ex Hispania fiant postulationes, & instantiæ cum informationibus erga Sum. Pontificem, quibus ille motus rem de fide definiat, si hoc velit, impropriè loquitur: nos enim licitè facimus id postulando à Domino Papa vt amplius patebit ex dicendis in respons. ad decimam, in qua Author carpit Catholicum Regem eo quod istius rei definitionem à Sede Apostolica procuret.

Ad quintam.

28 QVinta propositio ait. Exhibere hoc iuramentum, vel facere votum de tuenda Deipara ab originali tot scandala causare in aliis Nationibus, quot causauit in vrbe Valentia velle canonizare quemdam Clericum recens defunctum, cum opinione Sancti, idque reclamante Ecclesia. Ad hanc propositionem imprimis dico, mihi videri impossibile, quod alicubi caúset scandalum talis iuramenti suasio, vel acceptatio, nisi fortè apud aliquem, vel aliquos malè affectos erga opinionem Scoti, qualis noster Author in his omnibus propositionibus esse conuincitur. Scio illud statutum Academiæ Parisiensis ab omnibus laudari, & ferè cum gaudio citari, & approbari, & neminem legi, qui illud scripto, aut voce reprobauerit. Neque credo in ciuitate Valentiæ vbi idem statutum seruatur, aliquod scandalum inde exortum est. Et fortasse idem iuramentum solet exhiberi in aliis Academiis, vt refert Suarez *tomo 2. de Incarnat disp. 3. sect. 3. § secundum fundamentum*, quod clarè indicat ex tali voto, seu iuramento tale scandalum non resultare.

16 Secun

16 Secundo dico, quod quando ex forma prædicti iuramenti alicubi scandalum resultaret, de tali scandalo nihil esset curandum, cum sit scandalum ferè pharisaicum, id est, sumptum de re quæ est bona: iuxta illud Matthæi 15. dictum à Christo Domino de Pharisæis, qui cum de quodam bono opere Christi Domini scandalum sumerent, dixit: Sinite illos, qui cæci sunt, & duces cæcorum. Quod autem hoc scandalum passiuum de tali iuramento ortum sit pharisaicum, & non iustum, neque scandalum fidelium, probatur, quia tale iuramentum, vel votum de opinione Scoti defendenda, est actus pius, religiosus, & laudabilis, vt satis manet probatum in præcedentibus: ergo scandalum sumptum de isto actu pio, & religioso, est scandalum de re bona, & proinde est pharisaicum, & proinde de illo non est curandum. Confirmatur etiam argumento ducto ab opposito. Nam si adeo fideles scandalizantur audientes in disputationibus, & concionibus Deiparam contraxisse originale, vt ea de causa tumultus, & rixas excitauerint, clarè sequitur, quod audientes prædicare, asserere, & iurare se defensuros esse opinionem Scoti, non scandalizabuntur, sed potius ædificabuntur. Probo illud antecedens, quod scilicet fideles scandalizantur audientes Deiparam habuisse peccatum originale. Testatur id imprimis Papa Paulus V. in illo suo vltimo motu proprio, vbi dicit se hoc nouum Decretum mandare non publicando in publico opinionem Diui Thomæ, *Propter scandala, iurgia, & dissensiones inde exortas cum magna offensa Dei.* Testatur idē in particulari tota ciuitas Hispalensis, in qua ea de causa tumultus magnus fuit excitatus, etiam cum periculo vitæ aliquorum. Testatur etiam Italia, in qua in multis vrbibus eadem scandala sunt exorta in populo propter

pter disputantes, vel asserentes Deiparam habuisse originale peccatum. Testatur hoc Bernardinus de Busto maximè *sermone 9. de Conceptione, p. 1. littera C.* vbi refert verberatum fuisse à populo quemdam prædicatorem, eo quod dixisset in sermone Deiparam habuisse originale. Secundo idipsum testatur, *eodem sermone 9. littera S. fol. 35.* vbi asserit mulieres Mantuanas noluisse dare eleemosynam panis quibusdam malè affectis ad puritatem Conceptionis Deiparæ nisi ipsi resipiscerent, & illam opinionem deponerent.

2 Quod tandem Author adducit de populo Valentiæ volente canonizare Clericum defunctum Papa inconsulto, mihi imprimis non constat de circumstantiis historiæ, videtur enim nimis durum id credere de populo Catholico, cum ibi sit Academia, & sint Doctores, Episcopus, &c. qui deberent aduertere id non posse fieri: fides historiæ sit penes Authorem. Dato vero quod ita fuerit, debili argumento conatur probare suũ intentum, videlicet per errorem, & furorem, populi insipientis, & tumultuantis, (quem nos etiam reprobamus) velle condemnare populum deuotum, qui de assensu Prælatorum, ac de concordia populi in laudem Matris Dei iurant se defensuros opinionem ex qua eidem laus magna resultat. Adde quod populus Valentiæ errauit si volebat canonizare Sanctum, cum id facere non posset inconsulto Papa: in hoc autem nostro casu populus emittens hoc iuramentum facit actum licitum, & laudabilem, vt probauimus, ad quem actum peragendum non indiget licentia speciali Papæ. Cum iste actus iurandi sit in substantia colere festum Deiparæ, quod festum est iam canonizatum ab Ecclesia. Quod autem festum Conceptionis sit canonizatum ab Ecclesia tradit doctè, & fusè Pater Ægidius *3. lib. de Concept.*

*Concept.q.6.art.*1.§.9.vbi ostendit canonizationem Ecclesiæ, non solum fieri de Sanctis, sed etiam de festis Sanctorum. Pro quo facit etiam Suarez *tom.*1.*de Relig. lib* 2. *cap.*3. & explicat Ægidius, quod canonizare Sanctum, est Ecclesiam decernere personam illam fuisse sanctam, & animam illius esse in gloria. At canonizare festum, est quod Ecclesia definit veram illius mysterij sanctitatem, eámque proponit fidelibus celebrandam. Neque vero sanctitas istius festi Conceptionis Deiparæ consistit solum in gratiis agendis Deo pro concepta persona Deiparæ in originali, eo quod Incarnatio Verbi Diuini iam habuerit principium in persona illa, seu Matre illa sic concepta: sed sanctitas istius festi consistit etiam in eo quod Deipara concepta sit sancta, & absque originali peccato: vt enim optimè aduertit Suarez *tom.*2. *de Incarnat.disp.*3.*sect.*5. *§ dicetur fortasse:* cum hoc festum etiam celebretur in honorem Deiparæ, non esset Virgo honore digna propter suam Conceptionem, nisi talis Conceptio fuisset sancta, & pura. Iurant ergo fideles, & vouent se defensuros Deiparam ab originali, & festum de hoc mysterio canonizatum ab Ecclesia, in quo iurando, & vouendo, quis poterit error intercedere? Quis non licitè iuret illud in quod Mater Ecclesia sic propendet? vt enim alios fauores Ecclesiæ circa hoc festū sileam: pro Deiparæ Conceptionis puritate sufficiat fauor ille quem refert Pineda *tract. citato aduertent* 20. ad priuilegium Ioan. primi Regis Aragoniæ, fauor inquam factus à Clemente VIII. in Bulla particulari, qua non solum approbauit, verum etiam præcepit obseruari in Italia compendium illud puerorum doctrinæ, recognitum, & approbatum à Congregatione reformationis doctrinæ Ecclesiasticæ, in quo compendio edocentur pueri

pueri sic dicere in explicatione Aue Maria. Quod scilicet illa fuerit gratia plena, quia illa per gratiam nec originalem culpam vnquam habuit, nec actualem mortalem, nec venialem. Ecce summus Ecclesiæ Pastor hoc lacte doctrinæ nutrit pueros. Nunquid Ecclesia hoc dictum postea reuocabit cum nota tanti Pastoris? Ego nihil definio in eo quod Ecclesia postea faciet: solum dico, quod si fecerit, quod non errabit, & quod in eo quod modo facit, & permittit non errat, nec proinde errant iurantes se defensuros quod illa permittit.

Ad sextam.

21 SExta propositio asserit, Sum. Pontificem motum, & quasi obligatum propter scandala orta ex prædicatione præseruationis Deiparæ, iussisse ne ad populum prædicetur opinio D. Bernard. D. Bonau. & D. Thomæ.

Si Author intelligit, vt videtur, Paulum V. publicasse suam Bullam ne in publico prædicetur, vel defendatur opinio D. Thom. propter scandala orta ex prædicatione opinionis Scoti eandem comprobando rationibus, & exemplis, errat omnino, nec videtur Bullam legisse, cum potius oppositum clarè contigerit. Clarè enim Papa in illa exprimit se moueri ob scandala orta ex eo quod pars affirmatiua prædicatur ad populum, id est, Deiparam habuisse originale. Verba Bullæ sunt hæc. *Ex occasione assertionis affirmatiuæ, quod Beatissima Virgo fuit in originali cõcepta, oriũtur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala,* &c. Quomodo ergo palpat in meridie, & tam claram lucem non intuetur? Cur non videt opinionem Scoti populo prædicatam, & probatam, non scandalum, sed deuotionem excitare?

re ? & è contra quis non videt opinionem oppositam populo prædicatam scandalum parere sicut Papa tam claris verbis in Bulla testatur, & nos retulimus in responsione ad præcedentem quintam propositionem ex Bernardino de Bustis Hoc ipsum insuper ratione confirmo : nam populus Christianus in Deiparam vt plurimum deuotissimus, eidemque multum obsequi desiderans, nunquam scandalizatur audiens quod illa caruerit peccato originali, & actuali : imo potius audiendo contrarium scandalum patitur. Facit etiam vltra iam dicta id quod refert noster Cord. *lib.* 1. *quæstionarij, quæst.* 44. *de Concept. fol.* 368. §. *Nouerint, & seqq.* quod scilicet ex prædicatione, vel assertione cuiusdam prædicatoris impugnantis Deiparæ puritatem in Conceptione, ortum fuit graue scandalum in Gallia ad oppidum Deppe, Rothomagi, & alibi, propter quod delatus fuit ad Rectorem, & Consiliarios Academiæ, & ab illis carceratus, & iussus assertionem retractare. Idem refert P. Ægidius *lib.* 3. *fol.* 295. de alio qui ab Innoc. VII. anno 1403. iussus est Palinodiam recantare, circa id quod dixerat contra puritatem Conceptionis, Deiparæ.

22 Neque vero est quod Author noster aliquid magnum, & quasi insolitum ducat Dominum Papam præcipere, quod opinio D. Bernard. D. Bonauent. & D. Thom. in Ecclesia ad populum non prædicetur: per hoc enim imprimis nondum illos Doctores damnat, vt errantes in fide, cum rem nondum de fide definiat, & illorum opinionem permittat in secreto. Secundo illorum Doctorum authoritas non est authoritas de fide, vel Ecclesiæ. Tertio etiamsi Papa hodie definiret Deiparam caruisse originali, & proinde consecutiuè damnaretur illorum trium Doctorum opinio, nullam

inde illi infamiam incurrerent, quando enim illi viuebant, & sic opinabantur, nondum aliquid contra Ecclesiæ definitionem asseruerunt. Et sic in Ecclesia successiuè multa sunt definita, quorum opposita multi Sancti Doctores antea tenuerant sine labe infamiæ, vel hæresis, vt facilè esset exemplis ostendere. Quarto, quia magis ponderat scandalum populi Christiani, illique magis deferri oportet, quam ponderet authoritas illorum trium Doctorum. Quinto, quia plures Doctores tenent opinionem Scoti quam illorum trium Doctorum. Horum Doctorum turbam videre poteris apud Patrem Ægidium *lib.3.de Concept.q.1. art.vnico, à fol. 158.& q.4.toto art.4.* Qua de causa Scotus, vel quiuis deuotus puritatis Conceptionis Deiparæ, iure poterit dicere illud, quod dixit Eliseus famulo suo referenti de magno exercitu contrario circumdamte, 4. Reg. 6. *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Similiter dico. Quamuis exercitus quidam videatur circumdare ciuitatem Dei altissimi, Mariæ scilicet in Conceptione, asserentium illam maculatam, plures sunt nobiscum Doctores, quam pro illis; plures pro nobis sunt ratione congruentiæ, fundamenta, miracula, fauores Pontificum quam pro contraria opinione.

23 Addo quod D. Bernardus licet *epistola* 174. primo contra Deiparæ præseruationem senserit, attamen postea *sermone de Cœna Domini* 13 *post initiũ tom. 2.& sermone* 4. *in Salue Regina*, oppositum tenuit prout citat, & probat Pater Ægidius, *lib.3.quæst.4. art.2. fol. 238.col.2.* D. vero Bonauentura *in* 3. *distinct.* 3. dubie loquitur, neque resolute affirmat. Imò *tom.3.operum suorum serm.2.* clarè loquitur pro Deiparæ præseruatione ab originali, sic dicens. Nouo sanctificationis genere redemptam Matrem à peccato originali (non

quod

quod infuit, sed quod infuisset) præseruauit Deus. Sic ille ibi. Quod vero attinet ad D. Thomam, ille prius *in 1. distinct. 44. art. 3. ad 3.* Deiparæ immunitatem asseruit, licet postea oppositum docuerit *in 3. parte.* Si autem piæ reuelationi fidem adhibere licet, citat Pater Ægidius *lib. 3. de Conception fol. 335.* quod Beatus Thomas post mortem suam in Italia apparuit cuidam Episcopo Fautino suo deuoto, cui dixit se non benè scripsisse, cum dixit, Deiparam conceptam fuisse in peccato originali, quasi illum sui dicti pœniteret. Non ergo est quod Author noster tantum zelum ostendat pro his tribus Doctoribus, tum ob illa quæ proximè diximus *n. 22.* tum quia sufficienter ostenditur in hoc numero, illos dictum retractasse.

Ad septimam.

24 SEptima propositio profert nouum Decretum Pauli V. fuisse magni scandali apud alias nationes, quæ sciunt nos mouere Papam, & illum obligare vt faciat quod non debet.

Mira audacia, imo & error peior omnibus ab isto Doctore assertis, vt audeat asserere Papam in suis Bullis pro Ecclesiæ regimine, & animarum salute editis, & pro illarum pace, & quiete datis, facere quod non deceat. Non solum autem Dominus Paulus V. in citata Bulla scandalum non dedit exteris nationibus; verum etiam credere possumus, quod si à tali Decreto abstineret, posset argui socordiæ, & somnolentiæ in suo pastorali officio, si certus de tot scandalis, & tumultibus ortis in Hispania cum Dei offensa, suis ouibus non succurreret cum illo opportuno remedio. Firmari potest exemplo à simili: nam minus inconueniens esset

excitari in Hiſpania ſcandala, & diſſenſiones circa ſtigmata P. N. Franciſci, ſi illa habuerit, vel non, quam ſint ſcandala orta ex prædicatione an B. Virgo habuerit peccatum originale, vt patet. Et tamen conſtat, quod orto tumultu in Hiſpania ab aliquibus dicentibus P. N. Franciſcum non habuiſſe in corpore ſtigmata Chriſti, Papa Alexander IV. Bullam particularem direxit ad Hiſpaniam, vt habetur in Compendio Mendicant. ver. *ſtigmata*, §. 6. in qua grauiſſimis pœnis & cenſuris prohibet, ne in Regnis Caſtellæ, & Legionis prædicatores prædicent P. N. Franciſcum dicta ſtigmata non habuiſſe, eaſdemque cenſuras voluit incurrere illos, qui dicta ſtigmata ab imagine prædicti Patris abraſerint. Quinimo ante Alexandrum IV. Papa Gregorius IX. in eodem compendio, & eodem verbo mandauit, & præcepit inquiri de quodam Religioſo, qui dicebatur prædicaſſe contra ſtigmata P. N. Franciſci, in quo debuerat populum ſcandalizare, dicens in mandato, quod ſi fuiſſet culpatus inuentus, ad Sedem Apoſtolicam mitteretur audaciæ ſuæ pœnas recepturus. Si ergo duo hi Pontifices tanta diligentia occurrerunt ſcandalo orto circa prædicationem contra ſtigmata P. N. Franciſci, quorum aſſertio non tam intereſt Eccleſiæ, quam honor Deiparæ. Quid culpandus eſt D. Paulus V. & dicendus facere quod non debuit, eo quod ſua Bulla obuiauerit ſcandalis prædicantium contra puritatem Conceptionis Deiparæ, quæ magis ſpectat ad Eccleſiam, & fidelium deuotionem, quam ſtigmata P. N. Franciſci? & tamen de illis duobus Summis Pontificibus Greg. IX. & Alexand. IV. ſic præcipientibus circa ſtigmata P. N. Franciſci, non legibus quod exteræ nationes ſint conqueſtæ, ſed omnes vſque adhuc paruerunt. Quod à fortiori debuit nos cogere ad obediendum

dum decreto D.Pauli V.circa prædicationem publicam contra Deiparæ præseruationem ab originali.

25 Neque ego possum mihi persuadere quæ sunt Prouinciæ scandalizatæ de tali mandato,nisi fortè sint aliquæ in Germania,quæ nec Sum.Pontifici, imo nec Christo Domino obediunt, de quarum proinde scandalo curari non debet.Si vero essent aliquæ Prouinciæ Catholicæ (de quibus non audio, nec credo) quæ sic scandalizarentur, illarum scandalum, tanquam verè pharisaicum curari non debet, iuxta illa quæ supra iam diximus in responsione ad 5.propositionem. Imo credo quod etiam aliqui hæretici de tali Decreto non essent scandalum sumpturi in Germania. Nam si illi Lutherum,vel Erasmum sequuntur & audiunt; hi ambo affirmant Deiparam caruisse peccato originali, vt passim videre est apud multos Theologos ambos pro hac opinione citantes, sicut in particulari citat Canisius *lib.*1. *de B. Virgine,cap.*8.*propè finem*, §. *Cæterum aduersus.*

26 Quod tandem innuit Author fideles Christianos Hispaniæ esse in culpa, eo quod Papam mouerint, & quasi obligauerint ad tale decretum indebitè promulgandum, percontor ego Authorem. Per quæ prædicti fideles D. Papam mouerint, quomodo obligarunt? Nunquid muneribus & donariis? Nunquid preces illicitas interponendo? Nunquid aliqua falsa narrando? Mouit profecto sanctum & Summum Pontificem pastoralis officij cura,& sollicitudo,mouit animarum periculum, salusque earumdem: mouit erga Deiparam deuotio; cum enim sit Vicarius Christi D. filij Deiparæ,ipsius Christi Matris honori sedulo tenebatur prospicere: ac proinde nec Papa fecit, quod non debuit, sed quod debebat. Neque externis nationibus dedit

scandalum : nec fideles Hispaniæ tam principes quam Prælati, errauerunt in aliquo tam pias preces Vicario Christi Domini præsentantes,& offerentes. Adde quod Author in ista sua propositione innuit clarè quod Papa possit errare in suo regimine directo pro salute animarum, cum dicat illum in hoc Decreto feciſſe quod non debebat. Quod tamen dictum Doctores in materia de fide abominantur.

Ad octauam.

47 OCtaua propositio dicit, certum quemdam Religiosum D. Augustini dicentem in publica concione, quod B. Dominicus dixerit Deiparam caruisse originali, fuisse in hoc mendacem, scandalosum, & sacrilegum.

His verbis clarè innuit, seu potius vult Author quod B. Dominicus nunquam asseruerit Beatam Virginem caruisse originali. Quod autem gloriosus Sanctus. & Monarcha Dominicus id tenuerit, citant, & probant graues Authores moderni ex antiquis referentes. Primus est Canisius *lib.* 1 *de B. Virgine c.*7. *post. medium, fol.*38. *col.*2. vbi citat alios. Secundus est Pater Petrus de Oieda *in sua informatione de Conceptione,c.*7. Tertius est Pater Ægidius *lib.*3. *de Conceptione fol.*201 *col.*2. in fine citans ad eundem finem tres Doctores. Quartus est Suarez *tom.*2. *de Incarnat. disp.* 3. *de Concept. sect.*5. §. *Tertio principaliter.* Ecce quatuor Doctores moderni, & tam graues, præter illos quos isti citant, asserunt B. Dominicum benè de Deiparæ ab origin. præseruatione sensisse ? & puto quod Author noster nimis inferior sit his quatuor Doctoribus in citandis historiis, & Doctoribus Quo posito ille Religiosus Ordinis D. Augustini

à

à noſtro Authore accuſatus, vel calumniatus, non fuit mentitus, cum dixerit id quod tam graues quatuor Authores referunt. Secundo ex hoc ſequitur quod prædictus Pater non fuit ſcandaloſus, cum nec mendacium dixerit, nec propoſitionem ſcandaloſam prædicauerit, vt patet ex præcedentibus. Neque item Beato Dominico calumniam intulit, imo potius in laudem Sancti ſuum dictum redundabat. Non ergo video cur fuerit prædictus Religioſus id attribuens Beato Dominico, mentiens, ſacrilegus, vel ſcandaloſus, niſi fortè id ſolum noſtro Authori, viſum fuerit, quaſi dolenti, quod B. P. Dominicus, benè de Deiparæ præſeruatione ab originali iudicauerit,

Quod denique prædicator ille non commiſerit ſacrilegium, probatione non indiget: vltra enim iam dicta dato quod B. Dominicus noſtræ non fuerit opinionis, quæ materia ſacrilegij eſt, dicere aliquem Sanctum aſſeruiſſe aliquid quod non aſſeruit? Hoc vt plurimum mendacium eſſe poterit, non ſacrilegium. Si enim quis malè citet pro ſua ſententia Auguſtinum verbi gratia, vel Hieronymum, eo quod vel illos ſic intelligat, vel ſic citatos inueniat, non dicetur contra illos ſacrilegium committere, licet poſſit mentiri, & hoc vtplurimum non formaliter, ſed ſolum materialiter.

Ad nonam.

28 NOna propoſitio continet, iurare, vel obligare ſe ad defendendam Deiparam ab originali habere multa inconuenientia, & eſſe occaſionem multorum ſcrupulorum, imo & periculum peccandi.

Gratis hæc omnia, & ſine fundamento dicuntur: oportebat enim exprimere, quæ ſint iſta inconuenien-

tia,qui ſcrupuli,quæ peccandi pericula : quæ quoniam non exprimuntur,nos quaſi diuinantes ſic diſcurrimus; & ſupponimus ex iam dictis,& amplius dicendis,quod iuramentum de Deiparæ immunitate ab originali defendenda,eſt iuramentum de re pia,religioſa, & laudabili; vt patet ex quæſtione procemij, & eſt etiam actus voluntarius,& denique opus ab Eccleſia permiſſum,& miraculis confirmatum.

29 Quibus poſitis,ſic diſcurrimus contra Authorem. Hæc inconuenientia non naſcuntur ex parte Prælatorum,vel communitatum offerentium hoc iuramentum, poteſt enim hoc iuramentum ab illis offerri licite, & voluntarie,cum ſit de re pia,licita,& religioſa : ergo licite ab illis poteſt offerri pro bono communi, & pro laude Deiparæ, vt amplius patebit ex reſponſione ad 12.propoſitionem : cumque licite hi poſſint petere, & offerre tale iuramentum , ex parte ipſorum non ſunt ſcrupuli , neque periculum peccandi cum neque ipſi peccent , neque alios peccare faciant : ſcrupulus autem hic daretur, vel occaſio peccandi ex parte ſuperiorum, ſi illi cogerent ad iurandum , vel actus iurandus eſſet malus,vel impoſſibilis,vel nimis difficilis, quorum nihil in hoc actu reperitur,vt conſtat.Vide infra poſt finem horum omnium reſpõſionum modum,& formam quam dedit circa hoc Archiepiſcopus Cęſarauguſtanus, & Academia Complutenſis.

30 Secundo ex parte ſubditorum iurantium , & ſe obligantium,nullum datur inconueniens , nullus ſcrupulus , nulla peccandi occaſio ; probatur fundamentis numero præcedenti poſitis. Nam taliter iurantes voluntarie, iurant actum pium , religioſum, laudabilem, miraculis confirmatum , facilem , &proinde licitum: ergo ex parte iurantium ſcrupulus non datur. Secundo

proba

probatur, quia si Petrus, v. g. potest in secreto absque iuramento amplecti vtramuis partem istius opinionis, & opinioni sic electæ potest adhærere absque iuramento vsque ad mortem, poterit vtique eidem opinioni sic electæ, & licitæ se conformare, & in illa firmari per iuramentum: quod enim licitè, ac religiosè possum facere, possum vtique iurare me facturum in posterum: nullum ergo inconueniens, vel scrupulus datur ex parte iurantium, vel peccandi periculum.

31 Dices forte hunc scrupulum, vel periculum peccandi, nasci ex duobus. Primo quia cum iurans vt plurimum sit laicus, & idiota, nescict defendere id quod iurat, cum ignoret Theologiam ad disputandum de tali quæstione difficili. Secundo, quia si Papa postmodum definiat opinionem D. Thomæ, is qui antea opinionem Scoti iurauerat, agitabitur scrupulis si bene iurauerit, &c. Ad primum argumentum dico quod quando in confraternitatibus petitur hoc iuramentum à laicis, & idiotis, non petitur vt sint defensuri Deiparam ab originali disputando Theologicè, imo hoc non possunt petere à laicis: sed solum petitur ab illis vt verbo simplici id defendant, & Scoti opinioni non contradicant, quod poterunt facere absque Theologia, & sic ab omni scrupulo liberantur. Ad secundum dico quod licet Papa definiret opinionem D. Thomæ, (quod non speramus) is qui antea iurauerat defendere opinionem Scoti, nullo scrupulo poterit agitari, nam si iurando non fuit periurus: cum iurauerit id quod putabat verum, & tot rationibus, & miraculis comprobatum.

32 Adhuc pro dictorum confirmatione, hoc exemplum subiicio. In aliquibus collegiis sæcularium studentium (qualia sunt Conimbricæ, Salmanticæ, & alibi (ingredientes collegium iuramento se obligant,

quod in omni ſtatu, quem poſtea extra collegium ſortiti fuerint, defendent quoad poterunt, res, ac bona, & iura talis collegij: ſi ergo hoc licitum eſt iurare pro defendendis bonis temporalibus illius collegij, cur non licebit ingredienti confraternitatem Conceptionis, verbi gratia, defendere quoad poterit illius præſeruationem à peccato, ex quo magna eidem Deiparæ laus, imo & Chriſto Domino reſultat?

33 Neque denique ex tali iuramento reſultant inconuenientia, vel periculum peccandi in populo, vidente populo fieri tale iuramentum. Nam populus pius, fidelis, & tam benè affectus ad Deiparam, non poteſt ſcandalizari de tali iuramento pro Deiparæ laude ſuſcepto: neque aliqua inconuenientia ex parte populi poterunt aſſignari, quibus non facilè reſpondeatur.

Ad decimam.

DEcima propoſitio ſic habet. Non eſt ſpiritus fidei inſtare, vt inſtat Rex noſter Philippus, vt definiatur de fide præſeruatio Deiparæ ab originali: & futuro tempore apparebunt incommoda iſtius petitionis.

34 Per ſpiritum fidei videtur Author intelligere zelum fidei, & proinde innuit non eſſe zelum fidei, neque duci zelo fidei illum, qui petierit à Sede Apoſtolica prædictam definitionem circa Deiparæ Cõceptionem. Contra quod ego aſſero eſſe clarum, & magnum zelum fidei id à Sede Apoſtolica poſtulare. Pro quo ſuppono, piè iuxta multos Doctores, quod opinio Scoti poteſt definiri de fide, vt inter alios tenet, & probat Suarez *tomo 2. de Incarnatione, diſput. 3. ſect. 6.* & Pater Ægidius *lib. 3. de Conceptione, q. 8. art. vnico*, vnde iam conſtat opinionem Scoti poſſe definiri de fide ſi Papa volue

voluerit. Cum ergo ſpiritus fidei, ſeu zelus fidei, ſit amor intenſus, ſeu grande deſiderium, ſeu magnus affectus ad res fidei, vel obiectum fidei, vel ad augendam fidem, ſequitur quod procurare vt opinio Scoti definiatur, & ſit obiectum fidei, erit zelus fidei: ſaltem enim per hoc deſiderium procuratur, vt obiectum fidei augeatur extenſiuè, id eſt, vt ſint in Eccleſia plures propoſitiones fidei. 2. in alio ſenſu eſt etiam hæc petitio zelus fidei: nam per talem petitionem exaltatur maximè Dei potentia, & ſumma miſericordia Dei erga Deiparam Exaltatur etiam ipſa Deipara: creſcit fidelium deuotio erga eandem, quæ tria quis non videat pertinere ad zelum fidei? addo exemplum, poſtulauit Rex Hiſpaniæ, & alij Principes, à Pio IV. & Sixto V. vt canonizaretur B. Didacus, ſicut continetur in Bulla canonizationis ipſius edita à Sixto V. idémque contigit in canonizatione Beati Iacinthi illam petente Rege Poloniæ, vt habetur in Bulla canonizationis eiuſdem, quas ambas Bullas habes *in Bullario Rodrig. fol.* 1122. *& fol.* 1247. idque ſolet fieri communiter in canonizatione aliorum Sanctorum, ſemper enim Reges, & Principes illas poſtulant. In Bulla vero D. Clementis VIII. in principio dicit Papa ex canonizatione Sãctorum reſultare: *Quod Deus prædicetur mirabilis in Sanctis ſuis. Item quod Rex ſempiternæ maieſtatis in Sãctorum Concilio glorificetur. Diuini cultus augeatur obſeruãtia: fidelium pietas & deuotio excitetur, deteſtãdæ hæreſes magis, magiſque cõuincantur.* Sic ibi Dominus Papa. Si ergo Reges non arguũtur ex eo quod petant à Papa canonizationẽ vnius Sancti, ex qua reſultant illa tot, ac tam clara motiua fidei: cur arguentur ex eo quod petant ab eodem Papa definitionem præſeruationis Deiparæ ab originali, cum ex illa definitione ſimilia motiua fidei ſunt oriunda?

Nonne

Nonne magis exaltabitur, & Deipara cum ista definitione, magisque lætabitur Ecclesia quam cum canonizatione vnius Sancti? Eadem ferè verba habentur in Bulla canonizationis sancti Didaci. Vbi ait Sixt. V. se illum canonizare. *Vt se Deus mirabilem in Sanctis suis demonstret, vt hæreticorum prauitatẽ coërceat, peruersitatem confundat.* Merito ergo dici poterit quod Reges, ac Principes postulantes à Papa istam definitionem vnde similia fidei bona resultare possunt ducantur spiritu, ac zelo fidei. Addo quod per talem definitionem, si daretur, cessarent tumultus, & poneretur silentium perpetuum in hac materia contradicentibus, neque in contrarium possent amplius quæstiones, & querelas opponere.

35 Secundum adhuc exemplum sit. Si hodie Imperator, vel Principes Germaniæ peterent à Sede Apostolica, vt pro quiete, & salute fidelium illius regni dignaretur aliquid definire de fide propter dubia exorta, quod olim multi Reges à Sum. Pontifice postularunt: quis neget prędictos Principes moueri, ac duci bono zelo fidei? Hoc ergo est quod facit Rex Catholicus in petenda ista definitione circa Conceptionem Deiparæ pro laude Dei, B. Virginis, & Hispaniæ quiete.

36 Quod vero Author in vltimis verbis istius propositionis male prophetat, de futuris incommodis hinc resultantibus, & futuro tempore conspiciendis, voluntaria diuinatio est, & sine fundamento. Quin potius ab oppositio quies magna sperari poterit ex obtenta definitione, vt patet ex supradictis, cum aliis bonis motiuis supra iam dictis.

Ad

Ad vndecimam.

VNdecima propoſitio aſſerit librum Lucij Dextri, & Laminas repertas in monte ſancto Granatæ, in quibus dicitur Iacobum Apoſtolum prædicaſſe in Hiſpania Deiparam ab originali immunem, nullius eſſe valoris, ſed potius falſitatis.

37 Quod attinet ad librum Lucij Dextri, fateor me illum non habere, nec vidiſſe. Vide tamen librum doctiſſimum Gregorij Lopez Madera, quem ſolum compoſuit de reliquiis, & Laminis inuentis in illo ſancto monte Granatæ, in quo libro fusè ſatis, & ſapienter multis oſtendit, & probat veritatem, & authoritatem illarum reliquiarum, & Laminarum, reſpondens omnibus dubiis, quæ circa illarum veritatem poſſent proponi. Nec puto quod liber dicti Gregorij quoad hoc, erit inferior libro Lucij Dextri. Ad ſingula propoſitionis verba ſigillatim reſpondens.

38 Dico imprimis D. Iacobum Apoſtolum prædicaſſe in Hiſpania, eſt adeo certum ex traditione Hiſpaniæ, librorúmque multitudine, vt probatione non indigeat. Quod autem Deiparam ab originali liberam prædicauerit, quid mirum eſt id feciſſe Apoſtolum Deiparæ deuotiſſimum, cui adhuc illa viuens Cæſarauguſtæ apparuit, & ſibi ab illo templum ibidem ædificari mandauit. Quid item mirum ſi Apoſtolus de illa prædicaret, id quod ille de ipſius præſeruatione ab originali ſentiebat, quod idem ſenſit Iacobus Minor de eadem Deipara, vt patet ex Liturgia eiuſdem Iacobi Minoris, vbi ſic habet: *Dignum eſt vt Beata Virgo dicatur ſemper Beata, & omnibus modis irreprehenſibilis.* Sic refert Pater Ægidius *lib. de Conceptione, fol. 194. col. 2.* & alij multi. Ex quibus verbis clarè conſtat Apoſtolum

Deipa

Deiparam ab originali liberam credidisse. Nam si illud habuisset, non foret pro illo tempore Beata, nec irreprehensibilis, sed è contra infœlix, & reprehensibilis. Adde quod graues Doctores dicunt à tempore D. Iacobi solitum esse in Hispania celebrari festum Conceptionis Deiparæ, & hoc est clarum indicium ab illo tanto Apostolo hoc fuisse prædicatum. De hac celebratione refert Petrus Nuñez in suo Sanctorali Seraphico *discursu* 1. *de Conceptione*, *fol.*78.§. *De manera.* vbi citat sanctum Marcum Maximum Episcopum Cæsagaugustanum, idque tunc maximè verum erit, si verum est quod multi docent recentiores, Apostolos Hierosolymis ante dispersionem, in quodam Concilio definiuisse Deiparam caruisse originali: citat Petrus Nuñez citato loco *fol.*37 *col.*2. ex Laminis repertis in monte sancto Granatæ ex duobus sociis sancti Iacobi. Idem tenet Pater Ægidius *lib.*3. *de Concept.q.*3.§.1.*n.*20.& §.10.*n.*52. multa pro eodem adducens.

39 Quod vero attinet ad principale intentum de Laminis ibi repertis, antequam de illis referam graue testimonium, præmitto quod pari assensu poterimus assentiri veritati Laminarum illarum, atque assentimur veritati Reliquiarum Sanctorum, quæ ibidem cum Laminis repertæ sunt, est enim vtrobique eadem ratio de credendis Laminis, atque Reliquiis simul repertis, vt patet ex iis, quæ tradit Gregor. Lopez cit. lib. *fol.* 21. *cap.*7.& *seqq.*& *cap.*4. narrat miracula quæ contigerunt in inuentione prædictarum Reliquiarum. Quam ergo authoritatem habeant Reliquiæ, & proinde Laminæ cum illis repertæ in illo sancto monte Granatæ, constat ex euentu secuto. Nam statim Archiepiscopus Granatensis coacta Synodo Prouinciali vocauit duos Episcopos, & alios Prælatos, & viginti alios viros doctissimos,

ctiſſimos, inter quos fuit vnus Pater Thomas Sanchez Societatis IESV, Author illorum librorum de Matrimonio, & affuerunt alij graues, & doctiſſimi viri, qui omnes iuxta Decretum, & formam Concilij Tridentini, vnanimiter decreuerunt, & ſcripto firmarunt prædictas Reliquias eſſe veras, & populo proponendas in publico, vt poſſet populus illas venerari: & ita mox factum fuit. Cuius hiſtoriæ, & facti meminit exactè Gregor. Lopez ad finem citati libri, ponens tranſumptum originalis Decreti Diœceſani, & nomina omnium Doctorum, qui ibi ſubſcripſerunt, Quo poſito, quæro à noſtro Authore: ſi hodie quis irreuerentiam faceret Reliquiis in illo monte repertis, & prædicto modo in publico, populo propoſitis ab Archiepiſcopo, iuxta Tridentinum, iniuriam aliquam irrogaret, nonne vt ſuſpectus de fide foret puniendus? Cum ergo eadem ſit authoritas de Laminis repertis cum eiſdem Reliquiis, ſuo modo poterimus iudicare de pœna iſti Authori debita, eo quod dicat prædictas Laminas eſſe falſas. Secundo pro earumdem Laminarum veritate facit omnino, quod tradit Pineda *lib.8.tom.de rebus Salomonis, cap.1.ſect.8. fol.577.* vbi poſt multas probationes adductas ad probandum quod Salomon ſaluatus eſt, vltimo adducit quamdam Laminam repertam cum aliis in iſto ſancto monte Granatæ, cuius exemplar ibi tranſcribit literis Arabicis, Latinis, & Hiſpanis: quarum ſubſtantia eſt quod Salomon poſt peccata ſua fletu magno egerit pœnitentiam de peccato ſuo. Et facit Pineda vim magnam in probatione iſtius Laminæ, dicens illos libros Laminarum plumbearum, eſſe ſanctiſſimos, vel ſolo antiquitatis nomine probatiſſimos eſſe cenſendos. Tertio de prædictarum Laminarum authoritate diſſerit Pater Ægidius

lib.3

lib.3.de Concept.q.3.§.2.n.22. vbi probat, & concludit prædictas Laminas in dicto monte Granatæ repertas, in quibus asseritur Deiparæ præseruatio ab originali, esse recipiendas vt veras & permagnæ authoritatis. Ecce cuius authoritatis sint Laminæ illæ repertæ nuper in monte sancto Granatæ testibus Gregor.Lopez,Pineda, P.Ægid.quas noster Author sua solita fiducia,ne dicam proteruia,falsas appellat.

Ad duodecimam.

DVodecima propositio dicit in sum. procurantes fieri statutum de exhibendo iuramento supradicto,& taliter iurantes, approbare processus contra Decreta Pontificum, & proinde approbare peccatum: & quod cum peccatis fulcimus nostram opinionem(id est Scoti)quod proinde Deus debet iudicare.

40 Falsum,audax, & temerarium assertum, & multa animaduersione dignissimum. Ad cuius responsionem præmitto, quod Iuristæ in materia de tortura dicunt, quod iuramentum reo exhibitum est quoddam genus torturæ.Applico ad istum Authorem, cui iuramentum de Deipara defendenda ab originali, non illi exhibitum,sed fidelibus, eidem genus grauis torturæ est: & innuit in tot propositionibus quod non plus Diabolus torquetur exorcismis Ecclesiæ, quam ille torquetur hoc iuramento fidelibus exhibito, de quo in tot propositionibus sic anxiè queritur. Quamuis ergo huius propositionis difficultas, & obiectio soluta satis maneat ex quæstione posita in procemio huius casus, vbi probauimus iuramentum hoc esse licitum,Religiosum, &c. pro maiori tamen istius propositionis impugnatione, dico quod principes sæculares possunt exhibere

subditis

subditis suis iuramentum cum viderint id expedire pro bono communi,& possunt condere legem de tali iuramento exhibendo,& suscipiendo,quod à fortiori facere possunt Prælati Ecclesiæ.Sic tenet Suar.*tom.2.de Relig. lib.3.c.1.§.dico 2.* & confirmatur, quia si pro bono tertiæ personæ leges omnes cogunt testem ad iurãdum,quanto magis poterunt Prælati, ac principes legem facere, vt pro bono communi, & pace publica ciues subditi iuramentum præstent in aliqua materia? Hinc obtinuit consuetudo,vt Reges,& communitates quando denuò creant,& assumunt officiales inseruituros,prius iuramento illos astringunt de officio fideliter obeundo,de suis legibus fideliter obseruandis,& sic de cæteris.Si ergo principes, & Rectores communitatum suis oficialibus laudabiliter tale iuramentum exhibent & suadent pro bono temporali,vel communitatis,cur licitum non erit Prælatis, Academiis,confraternitatibus,& similibus simile iuramentum suadere, & exhibere pro bono spirituali,honore scilicet Dei, B.Virginis ac deuotione fidelium?

41 Et in particulari sic discurro. Sunt in aliquo regno aliquando leges contrariæ, vel saltem dissimiles legibus iuris communis ciuilis, v.g. in Portugallia, vt experientia patet. Hoc tamen non obstante, Reges Portugalliæ à suis iudicibus denuo creatis petunt iuramentum quod seruabunt leges Portugalliæ in iudicando contra vel præter leges iuris communis ciuilis. Si ergo hoc iuramentum non reprehenditur in rebus ciuilibus, cur damnabitur iuramentum de defendenda Deipara ab originali,cum non contradicat vlli iuri diuino,vel Ecclesiastico,vt suppono certissimum?Secundo principaliter: qui fieri potuit vt tot Doctores Parisienses,& Valentini, & alij hoc iuramentum exhiben-

tes tot abhinc annis tale peccatum in illo exhibendo non aduerterint, quale noſter Author in illo ſubodoratur? Cur tot Sum. Pontif. à tot ſæculis de tali iuramento conſcij, non illud peccaminoſum iudicarunt, nec condemnarunt? Cur etiam multi Doctores maximè recentiores piiſſimi pariter, & doctiſſimi, quorum non eſt numerus, prædictum iuramentum recolentes, non ſolum peccati non arguunt, ſed cum gaudio, & approbatione citant, imo & approbant?

42 Denique oſtendat hic Author, cui Decreto Pontificio contradicat ſtatutum factum de iuranda defenſione Deiparæ ab originali. Nunquam enim oſtender. Si enim Concilium Tridentinum, & omnes Bullæ Pontificum iam citatæ permittunt tenere vtramuis opinionem, quomodo credendum eſt quod prohibeant me firmiter proponere, imo & iurare me defenſurum opinionem Scoti, quam liberè poſſum eligere?

43 Hinc manet perſpicuum quam calumniosè dicat Author prædicto iuramento approbari peccatum. Si enim ſentit peccare nos defendendo opinionem Scoti, vltra calumniam nobis illatam, incurrit pœnas poſitas à Pontificibus contra damnantes peccati alterutram opinionē. Adde quod iurando pro Scoti opinione defendenda, non approbatur peccatum, ſed potius actus pius, religioſus, & laudabilis, vt manet probatum in quæſtione procœmij, de hoc enim actu exhibetur iuramentum: nec proinde ſic iurare, eſt fulciri opinionem noſtram peccatis, ſed iuramento licito, & laudabili, à Sum. Pontificibus cognito, & tolerato, & à tot, ac tam piis, & doctis viris exhibito. Vnde neque timendum eſt vltimum dictum propoſitionis, ſeu comminatio Authoris; quod ſcilicet Deus hoc aliquando iudicabit: vel vindicabit. Quin potius ego maiori fundamento

damento Authorem moneo quod iure diuinam vindictam poterit timere, si illum non pœniteat suæ proteruiæ, vel audaciæ in his propositionibus effusæ, contra Papam, Regem, & Catholicos deuotos in cultu Deiparæ.

Ad decimam tertiam.

DEcimatertia propositio sic habet. Reges Aragoniæ per suam legem de semper defendenda opinione Scoti, prætenderunt quod Papa se conformet Decretis principum sæcularium: & per talem legem præuenerunt iudicium Sedis Apostolicæ.

O absurdam, & calumniosam illationem contra Reges Aragoniæ adeo pios Ioannem I. & Ioannem II. illius regni. Si enim hi pro sua deuotione in Matrem Dei, suique regni pace statuerunt semper se culturos festum Conceptionis Deiparæ cum titulo immaculatæ, aut ne in suo Regno aliter prædicaretur, quomodo per hoc festum voluerunt Papam se conformare illorum statuto, vel Decreto? Quæ verba posuerunt Reges in illo suo Decreto significatiua huius intenti, vel imperij, vt Papa illorum Decretis stare deberet? nullum profecto verbum; vel indicium talis desiderij in illis reperitur. Nouerunt potius piissimi Reges in rebus fidei supremi pastoris Papæ leges spectare, illisque promptissimè obedire. Nunquam enim intendunt Sedi Apostolicæ leges præscribere, nec suo facto obligare ad Regiam legem sequendam. Imo confidero in hoc nostrum Authorem peius sentire de suis piis Regibus Aragoniæ, quam posset sentire de Iacobo Rege Angliæ: nam hic profitetur falsissimè se esse caput Ecclesiæ Anglicanæ, non dicit tamen se præren-

dere, quod Summ. Pontifex se conformet legibus Angliæ ab eodem Iacobo conditis: at N. Author hanc calumniam Regibus Aragoniæ infert, quod prætenderint Papam suis legibus conformari, quod illis nunquam venit in mentem. Neque vero factum ipsum, seu lex illa Regum, ex se erat potens vt Papam secum traheret ad idem faciendum. Nam liberum semper fuit Sum. Pontifici eandem legem corrigere, seu annullare, si eam videret errorem continentem, sicut iam alij Sum. Pontifices fecerunt annullando aliquas leges latas à Regibus, quas fidelibus nociuas esse intelligebant. Alias dicendum esset quod multi Reges, qui in suis Regnis leges condiderunt pertinentes ad cultum Dei, & animarum salutem, per hoc voluerunt trahere Papas vt se conformarent legibus ipsorum Regum, quod nullo modo est dicendum. Legatur Petr. de Oieda Societ. Iesu *in suo tract. de Concept. fol.* 11. *pag.* 2. vbi citat has leges Regum Aragoniæ, & nihil tale de ipsis suspicatur, imo magnificè de iisdem loquitur, legatur idem P. Pineda *in sua explicatione ad legem Ioannis I. Regis Aragon.* in qua illum de tali lege non damnat, sed potius laudat. Imo & Ioannes II. eiusdem Aragon. Rex, in sua lege quam tulit de cultu Cóceptionis Deiparæ, quam transcribit idem P. Pineda in fine sui tractatus, nullo modo innuit velle se vt Papa suæ illi legi conformetur: quin potius addit se illam legem condere, vt se conformet cum Concilio Basilien. (cuius definitioni, etiam non validæ vt de fide voluit se conformare.) Si ergo Rex ille se conformauit cum Concilio inualido, & Acephalo sic definiente, quomodo vellet Papam caput Ecclesiæ conformari legibus eiusdem Regis? verba Regis omitto, videre illa poteris apud Pined. cit. loco, post medium legis ibi transcriptæ.

44. Quod

44 Quod tandem asserit Author prædictos Reges Aragon. sua illa lege præueniſſe iudicium Sedis Apoſtolicæ, ſi per hæc verba præuenire iudicium intelligit, quod vſurpauerunt iuriſdictionem Papæ, malè id colligit: & de hoc dicemus in reſp. ad 16. propoſitionem, vbi Author id clarè obiicit prædictis Regibus. Sed pro iſto Doctore, hoc verbum præuenire iudicium volo explicare: & dico quod prædicti Reges Aragon. in hoc ſenſu facto ſuo, vel lege ſua præuenerunt iudicium Sedis Apoſtolicæ, quia defendentes immunitatem Conceptionis Deiparæ, præuenerunt, & anticipare fecerunt, quod ſperamus facturum Papam in futurum, ferendo legem, ac definiendo de fide opinionem Scoti, ſi ipſi conſonum videatur. Hæc enim præuentio, ſeu expectatio non eſt culpabilis, neque Sedi Apoſtolicæ iniurioſa. Declaro prædicta per illam ſententiam D. Ambroſij *lib. 1. de Abraham Patriarcha, c. 2.* vbi laudans Patriarchã, quod relicta patria, amicis, &c. Deum fuerit ſecutus per terras longinquas, & alienas, ſic ait: *Facto præuenit Abraham dicta ſapientum, & ſecutus Deum exiuit de terra ſua.* Id eſt, Abraham ſuo facto relinquendi omnia, præuenit, id eſt antea fecit, quod poſtea Philoſophi docuerunt de temporalibus relinquendis; imo & quod poſtea Chriſtus Dominus conſuluit circa omnia relinquenda propter illum. Sic etiam à ſimili: Reges Aragoniæ, ſua illa lege de defendenda præſeruatione Deiparæ ab originali, præuenerunt, ſeu antea fecerũt, quod fortaſſis poſtea iudicabit Eccleſia idipſum definiendo, quod illi Reges antea fecerunt, non definiendo tamen, quia id nec potuerunt, neque intentarunt: ſed puto noſtrum Authorem hanc ſui dicti bonam expoſitionem non admiſſurum: ſi vero illi diſpliceat, aliis fortaſſe non diſplicebit aliquando.

Ad decimamquartam.

DEcimaquarta propositio contendit, ciuitatem Cæsarauguſtanam nó potuiſſe iurare, vel vouere defenſionem Deiparæ ab originali, neque hoc potuiſſe facere vrbes alias circumuicinas.

45 Reſpondeo licitè potuiſſe, ſicut iam ſatis, ſuperque conſtat ex quæſtione proœmiali, & ex reſponſionibns ad particulares propoſitiones præcedentes, in quibus probauimus hoc iuramentum, & votum eſt de actu pio, religioſo, & laudabili, miraculis confirmato, & ab Eccleſia tolerato, & toties practicato.

Ad decimamquintam.

IN decimaquinta propoſitione aſſerit, defendere præſeruationem Deiparæ ab originali non eſſe materiam voti, nec iuramenti. Huius oppoſitum etiam abunde probauimus in quæſtione proœmiali, & in multis aliis reſponſionibus, neque opus eſt aliquid amplius ad iſtam propoſitionem reſpondere.

Ad decimamſextam.

DEcima ſexta propoſitio continet, quod Reges Aragoniæ, maximè Ioannes I I. vſurparunt ſibi authoritatem Papæ: præcipientes ne prædicaretur ad populum Deiparam caruiſſe originali, & quod talem legem facere non potuerunt.

46 Fundari videtur hic Author in eo quod Ioannes II. Rex Aragoniæ in illa ſua lege tranſcripta à Pineda citato tractatu in Reſponſion. ad 13. punit. exilio prædicatores aliter prædicantes contra ſuam legem, iam vero

vero Princeps sæcularis non potest punire personas exemptas, quales sunt Clerici, vel Religiosi prædicatores. Secundo fundari potest, quod prædicti Reges Aragoniæ statuentes legem circa Conceptionem Deiparæ, tulerunt legem de re spirituali, & ecclesiastica, vt patet: & cõstat ex multis locis, & Doctoribus vtriusque iuris quod princeps sæcularis non potest ferre legem in spiritualibus pro regimine Ecclesiæ, vt habetur tota *dist. 96. in Decreto.* & tradit Suar. *lib. 3. contra Regem Angliæ, cap. 7. & 9.* ac proinde Reges Aragoniæ condentes legem de re Ecclesiastica vsurpasse videntur iurisdictionem Summi Pontificis.

47 Ad hæc duo argumenta, primo responderi posset (quidquid sit de culpa Regum illorum in lege illa ferenda ob defectum potestatis) non errasse ex parte materiæ, præcipiendo scilicet rem ex se illicitã; nam præceperunt rem piam, & licitam, vt patet ex dictis, & hoc nobis sufficit; quia nihil aliud prætendimus, quam ostendere hoc esse licitum; & saltem cadere posse sub lege à Papa concedenda, & sub voto, & iuramento. Secundo tamen nos in gratiam tam piorum Regum Aragoniæ nitimur prædictos Reges defendere à culpa in prædictis legibus concedendis. Primo, quia bona fide fecerunt ducti impetu fidei, & zelo honoris Dei Matrisque illius: constat autem apud omnes quod factum aliàs malum, si fiat bona fide excusare à peccato, maximè quando fit contra legem positiuam tantum, quale hoc fuit, non contra legem naturalem: & in particulari, quod spectat ad primum argumentum de pœna exilij imposita à Ioanne I. prædicatoribus contra suam legem prædicantibus, quæ sunt personæ exemptæ, eidem satisfacit Pater Pineda *citato tractatu ad legem Ioannis primi aduertentia 21. fol. 47. pag. 2. §. Todas*

*estas razones,& fol.*48. vbi dicit legem magis esse comminatiuam, quam executiuam, seu esse solum ad terro em absque animo executionis. Non enim lex præcipit vt Ministri Regis ducant ad exilium aliter prædicantes, sed quod ipsi Religiosi sponte exeant à Regno pro bono pacis: quod explicare videtur alio verbo ibi addito:scilicet,aliter prædicantes incursuros indignationem Regis, Rege videlicet amplius in illis nõ complacituro: seu fiant sicut inimici Regis, vt ait Pineda. Nam teste ibidem eodem Pineda differunt valdè aliquem Regem condere legem obligantem etiam Clericos,& eandem legem mandare exequi etiam in Clericis per ministros Reg. & hæ moderationes,ait Pineda, in illa lege concurrerunt. Vide quæ ibidem ait Pineda §.præcedente, *Mas en el caso.*

48 Ad secundum argumentum, quod scilicet princeps sæcularis non possit condere legem de festis, & rebus spiritualibus Ecclesiasticis, respondet Pineda *citat. proximè.* §. *Mas en el caso, &* §. antecedente, *veniendo pues*, in summa dicens ex communi sententia, posse principes sæculares condere legem de rebus Ecclesiasticis in hoc sensu, quod legem possunt condere statuentem pœnas quibus obligent subditos vt magis obseruent leges Ecclesiasticas, & sic feciſſe illos pios Reges Aragoniæ in fauorem rei Ecclesiasticæ,condẽdo leges quò magis voluntas Ecclesiæ,ac Summi Pontificis executioni daretur. Sed clarius soluitur argumentum extraditis à Suarez *tom.de legibus, lib.*4.*c.*11.*n.*11. *& seqq.* vbi tradit posse aliquando vnam, & eandem materiam pertinere ad potestatem Ecclesiasticam, & ad potestatem ciuilem, qua scilicet materia partim temporalis est, partim Ecclesiastica: sunt enim etiam crimina aliqua mixti fori, & ab vtraque potestate puni untur,

niuntur, vt vsura, sodomia, blasphemia, & similes iniquitates: & proinde poterũt lex Ecclesiastica, & ciuilis simul versari circa vnam materiam, quamuis magis competat ad Ecclesiasticam, quam ad ciuilem. Exemplum clarum est; nam causa matrimonialis, est causa Ecclesiastica vt patet, & tamen leges ciuiles in aliquibus se intromittunt in illam, videlicet ratione doris, adulterij: & leges ciuiles puniunt matrimonium clandestinum, & nuptias incestas, vt melius obseruetur lex Ecclesiastica, de quo optimè Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 47. num. 12.* Idque tunc maximè locum habet, teste Suar. quando lex ciuilis neque contradicit Ecclesiasticæ, neque ab Ecclesia reprobatur. Cum ergo in multis Ecclesiis iam celebraretur festum Conceptionis ante illos duos Reges Aragoniæ, vt latè, & doctè deducit P. Ægidius *lib. 3. de Concept. q. 6. a. 1. §. 13.* festum enim hoc cœpit in multis Ecclesiis anno 1200. leges vero dictorum Regum fuerunt saltem ab anno 1380. sequitur quod potuerint validè, ac piè prædicti Reges legem condere pro lege Ecclesiastica melius obseruanda circa Deiparæ Conceptionem. His omnibus adde quod princeps sæcularis in similibus legibus suo gladio temporali subseruit gladio spirituali Ecclesiæ, iuxta dictum in extrauag. *Vnam sanctam, de maiorit. & obedient.* vbi dicitur, duos esse gladios, spiritualem, & temporalem, & hunc priori subseruire debere. Adde vltimo saltem Ioannem II. in sua lege præcipuè intendisse obuiare scandalis iam tunc ortis ex prædicta opinione in populo prædicata contra Deiparæ immunitatem ab originali: & tunc clarius potuerat eam legem condere pro tollendis tumultibus, & pro pace sui regni, & pro melius seruando festo Conceptionis Deiparæ ab Ecclesia iam celebrato.

Ad decimamseptimam.

DEcimaseptima propositio continet, errare Episcopos Hispaniæ, quando ad illorum instantiam exhibetur iuramentum, & fiunt vota de defendenda Deipara ab originali,& quod in hoc vsurpant authoritatem Papæ.

49 Iam in præcedétibus responsum manet ad vtramque partem istius propositionis, cum probatum maneat hoc iuramentum esse de re pia,religiosa, laudabili, miraculis comprobata, & proinde, nec exhibentes, nec iurantes facere ré illicitam.Item sicut probauimus duos illos Reges Aragoniæ per suas leges circa Deiparæ Conceptionem non vsurpasse iurisdictionem Papæ:ita per easdem rationes probatum relinquitur, Episcopos hoc iuramentum fidelibus exhibétes non vsurpare potestatem Summi Pontificis. Imo Episcopis magis hoc licitum est, quam fuerit Regibus Aragoniæ, tum quia materia Conceptionis est materia Ecclesiastica, & materia iuramenti, & voti ad Episcopos magis pertinet quam ad Reges, de quo proinde facilius possunt legem statuere in sua diœcesi, quam Reges in suo regno. Si enim vt diximus in respons. 12. princeps sæcularis pro bono communi potest aliquibus exhibere iuramentum:à fortiori poterunt id Episcopi pro quiete,& bono communi suæ diœcesis. Adde quod Episcopi hanc legem non faciunt in communi vt obliget omnes: sed tantum sub conditione petunt ab ingredientibus aliquam societatem, vel confrattiam libenter, ac voluntariè iurent defensionem Deiparæ ab originali. Neque in hoc Episcopi vsurpant iurisdictionem Papæ, vt iam diximus, & vltra adicito. quia ille solum dicitur aliquid vsurpare, qui assumit id quod sibi

bi non licet, vel quod ſuum non eſt. At exhibere hoc iuramentum, & eſt licitum, & ad Epiſcopum potius pertinet, quam ad alium, cum ſit Prælatus, qui melius poteſt iudicare de cauſa Eccleſiaſtica, & de materia iuramenti.

Ad decimamoctauam.

DEcimaoctaua dicit Reges, & Prælatos, quibus incumbit pacificare populum ſibi ſubiectum, eumque firmare in obedientia Chriſti, debere diſponere ſubditos ad id quod Papa ordinauerit: eos vero contrarium facere per hoc iuramentum exhibitum.

5o Fatemur primo officium Regum, & Prælatorum eſſe pacificare populum, illumque continere in obedientia Chriſti, &c. ſed negamus per hoc iuramentum id effici, quod Author dicit, videlicet inquietari populum, nec manere diſpoſitum ad id quod Papa ordinarit: tale enim iuramentum non continet aliquid quod iurantem auertat ab obedientia Papæ, ſed ſemper ille manet paratus defendere opinionem Scoti quamdiu Papa non contradixerit, eo modo quo Pariſienſes iurantes à ducentis annis, neque inquietant populum, neque auertuntur ab obedientia, ac diſpoſitione Summi Pontificis. Neque propter hoc iuramentum exorti ſunt tumultus, & ſcandala Valentiæ, vel Cæſaraugustæ, vel Hiſpali, ſed ex eo quod in publico diceretur Deiparam habuiſſe originale, quod populi deuotio audire non patitur. Secundo, dictum iuramentum magis firmat populum in obedientia Chriſti, cum enim per illud magis firmentur fideles in amore, ac deuotione Deiparæ Matris, vt patet: ex conſequenti, magis affecti manent ad Chriſtum filium, ac proinde in eius obedientia magis firmantur ſicut à contrario, ſi Deiparam

ram originali maculatam credunt, minus ad illam afficiuntur, minusque proinde ad filium. Tertio exhibitio istius iuramenti non prohibet, quin populus maneat dispositus ad futuram determinationem Papæ, per illud enim non adimunt potestatem Papæ, nec dicunt se non obedituros oppositum definienti, sed parati manent, & prompti ad suscipiendam semper Sedis Apostolicæ determinationem siue per definitionem, siue per iuramenti istius prohibitionem: solum enim iurant se hoc defensuros tanquam probabilius, & tanquam Dei honori, & Beatæ Virginis decori congruentius.

Ad vltimam.

VLtima propositio dicit, esse opus Diaboli ad infamandam doctrinam D. Thomæ, quam Diabolus execratur, mouere animos populorum per sermones prædicatos in fauorem Conceptionis Deiparæ, eiusdem Doctoris doctrinam infamare: & hos sermones plus habere æmulationis, quam deuotionis.

51 Hoc est corollarium, & conclusio Authoris: hæc illius deuotio in Matrem Deiparam. Mira, & excessiua æmulatio pro doctrina D. Thomæ, cum non sit Ordinis D. Patris Dominici. O si tantam haberet Author æmulationem pro Deiparæ cultu, quantum ostendit pro D. Thom. doctrina zelum. Non dico hunc Authorem errasse in defendenda opinione D. Thomæ: sed miror adeo tenacem illius adhæsionem doctrinæ D. Thomæ, vt cogatur talia dicere. Hic enim locum habet prouerbium, Ne quid nimis. Et quidem puto potuisse D. Thomam hodie illi dicere si ad nos descenderet illud quod Moyses *Num.* 11. dixit cuidam suo Ministro.

nistro. *Quid æmularis pro me? Quis tribuat vt omnis populus prophetet.* Tolerabile est, quod Author D. Thom. opinionem sequatur: sed intolerabile prorsus quod innuat se non tolerare sermones prædicatos in fauorem præseruationis Deiparæ ab originali.

52 Dico ergo primo. Maioris authoritatis est in Ecclesia Dei, vel saltem æqualis, doctrina D. August. & D. Hieronymi, quam sit doctrina D. Thom. Magis odibilis diabolo est doctrina D. Augustini, quam D. Thom. Nam D. August. cum pluribus hæreticis decertauit facto, & scripto, quam D. Thom. ita vt ea de causa D. Augustinus vocetur in Ecclesia Malleus hæreticorum, quod nomen D. Thom. non est sortitus, nec tot libros contra hæreticos scripsit sicut D. Augustinus: & proinde doctrina D. August. odibilior est diabolo quam doctrina D. Thom. Cum quo tamen stat quod hodie sæpius aliqui Doctores in aliquibus nō sequuntur opinionem D. August. nec ex eo dicitur in hoc interuenire diabolum ad infamandam doctrinam D. August. Secundo dico, Quam infamiam incurrit D. Thom. vel illius doctrina eo quod in vna opiuione deseratur ab aliis? Nunquid infamatur D. Augustinus, D. Hieronymus, & alij, si in vno illorum dicto deserantur? Nunquid D. Augustinus, Hieronymus, vel D. Thomas in omnibus quæ scripserunt habuerunt assistentiam Spiritus sancti? Nunquid errare non potuerunt in aliquo? Nunquid doctrina D. Thomæ desinit esse mirabilis eo quod in vno, vel altero dicto reprobetur? Credo hæc omnia esse euidentia.

53 Tertio dico. Qua conscientia potest hic Author asserere, quod tales sermones prædicati cum probationibus de præseruatione Deiparæ ab originali, plus habent æmulationis quam deuotionis? Nunquid omnium

nium prædicatorum cor intuetur, ac deuotionem? Nunquid omnium deuotionem introſpicit? Nonne vt plurimum, vel ſemper benè præſumendum eſt de proximo, maximè quando opus quod facit eſt de ſe bonum, & laudabile quale eſt iſtud? Nunquid de omnibus Religioſis grauibus, & piis, Deiparæ præſeruationem ab originali prædicantibus ſiniſtre cogitandum, & ſuſpicandum eſt? Non ego ſic conſulerem ferre indicium de proximo, quia clarum periculum eſt iudicandi temerariè. Et per hæc puto ſufficienter reſponſum eſſe ad omnes propoſitiones Authoris.

Vt autem conſtet vera eſſe noſtra reſponſa ad prædictas propoſitiones datas circa iuramentum hoc ſic ab Authore iſto impugnatum, conſtet item de intentione Prælatorum Hiſpaniæ illud concedentium, & de forma quam aliquæ Academiæ ſeruant in iurando, & videatur quomodo dictum iuramentum nihil erroris contineat, libuit hîc tranſcribere formam conceſſionis Archiepiſcopi Ceſarauguſtæ Aragoniæ, in qua Author iſte tunc viuebat, & ſimul formam iurandi ſeruatam ab Academia Complutenſi, idque in ſuo ſermone Hiſpano.

Conceſſaõ do Arçobiſpo de Zaragoça para o iuramento da Conceiçaon.

NOs Dõ Fray Pedro Gõçalles de Mendoça por la gracia de Dios, y de la S. Sede Apoſtolica, Arçobiſpo de Zaragoça del conſeje de ſu Mageſtad, &c. A los amados nueſtros el Dean, y Cabildo de nueſtra S. Igleſia Metropolitana, y a los Priores, Rectores, y Vicarios de nueſtro Arço

Arçobiſpado ſalud en Segñ. que es verdadera ſalud.

Conſiderando el feruor con que los Catholicos de Eſpaña ſiguen el eſpiritu dé la Igleſia ſanta, y la deuociõ de ſus Romanos Pontifices, que conuidan, y exortan a la limpia Concepcion de la Reyna de los Angeles ſin peccado original, concedendo muchas indulgencias: y la deuocion, que nueſtros Principes, y Reyes le han tenido, deſeando dexarlo vinculada a eſta Corona, y Reynos de Aragon, para que como principal parte de ſus entranas los ſubditos la metan en ſus pechos, y los ſucceſſores la hereden. Viendo logrados en la Mageſtad del Rey nueſtro Señor eſſos deſſeos, moſtrando en las diligencias que haze ordinarias, y extraordinarias con la ſanctidad de nueſtro my ſancto Padre Papa Paulo V. (eſpirito verdaderamente Catholico, pio, deuoto y ſancto) y el cuidado con que ha aſſentado, y apoyado eſto por las Vniuerſidades madres nueſtras dignas de toda veneracion, y reſpecto, cuyo exemplo doctrina ſana, y Catholica abier to los braços al zelo de los Prelados, y Cathedrales de Eſpaña para que la abrazen, y eſtre chen en ſu pecho con voto, y iuramento de celebrar, enſeñar, y defender la immaculada Concepcion de la Virgen Maria nueſtra Señora por todos los ſiglos que la Igleſia la ſolemnize, y celebre: iuzgando los eſtatutos, votos, y juramentos que ſobre eſto ſe han hecho en las ciudades, por obras religioſas, y agradables a la diuina Mageſtad. Que conſiderado todo, y la obligacion que la Sanctidad de Sixto IV. dize nos corre de alabar, y dar gracias a Dios toto poderoſo por la immaculada Concepcion de la Virgen nueſtra Señora. Dignum, quin potius debitum reputamus, vniuerſos Chriſti fideles, vt omnipotenti Deo de ipſius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias, & laudes deferant, &c. *Y viſto el feruor que los fideles de nueſtra dioceſis y prouincia tienen de vnir (para mas morito) a la deuocion el voto:*

Damos

Damos nueſtro decreto, faculdad, y licencia a todos los ſobredichos Cabildos, Priores, Rectores, y Vicarios, para que admitan al voto, y juramento las ciudades, villas, y lugares, y mas communidades que le quiſieren hazer, ſolemnizando aquel dia quanto les fuere poſſible, alentando lo a las alabanças diuinas, deſpertandolos a coſa tan agradable a los ojos de Dios, y de toda la Corte celeſtial, reuerenciar, y glorificar eſta ſereniſſima Reyna, para que aſſiſean mas aptos, y diſpueſtos a la gracia por ſus meritos, y interceſſion. Y por no perder el camino que tantos ſumos Pontifices han abierto con gracias, y indulgencias, ni dexar de dar algun paſſo en el en ſe vea el reconocimiento con que viuimos a eſta celeſtial Señora y con el que nos hemos criado en la Seraphica Religion de nueſtro Padre S. Franciſco concedemos aquel dia a los que hizieren el voto quarenta dias de indulgencia. Y a todos los fieles de nueſtra dioceſis, y prouincia que auiendo dicho el Aue Maria, dixeren cada dia, Bendita, y alabada ſea la limpia Concepcion de la Madre de Dios concebida ſin peccado original: y a los predicadores, y perſonas que en el pulpito, o fuera del con affecto ſanto, y deſſeo del bien-y prouecho de las almas enſeñaren y perſuadieren eſta deuocion. Dat. en nueſtro Palacio Arçobiſpal en 17. de Agoſto de 1619.

Fr. Pedro Gonçalles de Mendoça, Arçobiſpo de Zaragoça.

Forma

Forma del iuramento que hizo la Vniuerſidad de Alcalà.

QVoniam glorioſiſſima Virgo Maria Mater Dei Auguſtiſſima, his qui elucidant ipſam (hoc eſt ipſius ſanctitatem eximiam, & gratias propè diuinas in lucem proferunt) vitam æternam pollicetur. Ego N. N ad grauiſſimam illam quæſtionem, quæ de illius Conceptione, ſanctificationiſque exordio eſt, Patrum monumentis diligenter inſpectis, proſpectiſque matura conſideratione Theologiæ, momentis, amplam admodum occaſionem nactus elucidandi eius gloriam: doctrinam, quæ diſſerit glorioſiſſimam Virginem Mariam, præueniente, & operante diuini Numinis gratia, nunquam actualiter ſubiacuiſſe peccato originali, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali culpa, ſanctamque & immaculatam, tanquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & ſacræ Scripturæ hactenus ſemper ſumma confiſione defendi, ac propugnaui. Sed quo fœlicius tandem eiuſdem Sanctiſſimæ gloriam in lucem proferam, vtque ſit illuſtrius omnium oculis teſtata eandem veram ſententiam tenendam, & amplectendam poſt hæc ſub ſacroſancta iuramenti Religione tactis Euangeliis, promitto, recipio, ſpondeo. Sic illi grauiſſimi Doctores.

TERTIA PARS

CASVVM MORALIVM, QVÆ MAIORI ex parte continet casus non spectantes ad Regulares.

CASVS I.

An Episcopus successor teneatur soluere debita Episcopi sui antecessoris.

VIDAM Episcopus vltramarinus, non Religiosus, sed Clericus, existens in morbo, antequam moreretur fecit testamentum non habens licentiam Papæ ad illud faciendum. In testamento reliquit tria legata principalia. Primum fuit, vt darentur Petro mille quadraginta scuta aurea quæ illi promiserat viuens

uens eo quod duxerat in vxorem consobrinam quamdam ipsius Episcopi. Hanc summam pecuniæ deposuit testator coram depositario fideli à se electo, declarans quod illa maneret inclusa in certa capsula, & certo sacculo: & iniunxit executori sui testamenti, vt prædictam summam pecuniæ daret prædicto Petro legatario. Succedente Episcopo successore, notificatum est illi de testamento. Episcopus successor, respondit, se nolle intromittere se in materiam illius: & quod executor illud executioni mandaret. De Episcopi mortui spoliis nihil accepit nisi certas res mobiles, quæ possent æstimari pretio trecentorum ducatorum. Aperta capsula testatoris non sunt inuenta nisi mille scuta, & defuerunt quadringenta: Petrus recepit mille, & petiit ab Episcopo successore, vt sibi restitueret quadringenta quæ deerant, & sibi fuerant promissa in dotem ab Episcopo antecessore. Et non defuerunt viri docti, qui scripto dixerunt Episcopum successorem illam pecuniam quæ defuit, teneri dare Petro. Et declaratur, quod ille Petrus hanc pecuniam non petiit ab Episcopo successore nisi post transactos decem, vel duodecim annos.

1. Et videtur quod Episcopus successor teneatur ad illam pecuniam soluendam. Nam hæres tenetur ad soluenda debita illius cui succedit, vt communis opinio tenet, de quo præcipuè Syl. ver. *hæreditas*, 3. q. 5. citans alios: at Episcopus defunctus contraxit illud debitum licitè, cum illud promiserit causa dotis, quæ est causa pia, & Episcopus successor accepit, tanquam hæres illa spolia defuncti 300. ducatorum: ergo tenetur ad illud debitum defuncti: & hoc maiorem habet locum, eo quod Episcopus successor non facto inuentario acceptauit illas res mobiles defuncti Episcopi, per

hanc enim acceptationem publicauit se hæredem : & hæres adiens hæreditatem non facto inuentario tenetur ad debita defuncti, etiam vltra vires hæreditatis iuxta communem Doctorum sententiam quam tenet, & citat Vega Minimus ver. *Herederos, casu* 4.

2 Antequam ad principale quæsitum respondeam, suppono primo hoc testamentum Episcopi factum sine licentia Papæ, si fuit factum de rebus acquisitis ex redditibus Ecclesiæ fuisse omnino inualidum, & nullum, cum de iure communi, & particulari Pontificio, prohibitum sit Episcopis testari de rebus acquisitis ex beneficio. Habetur expresse ex cap. 1. *de testam.* & cap. *relatum, eod. tit.* & cap. *Quia Ioannes* 12. *quæst.* 5. vbi Papa Gregorius præcipit Episcopo Rauenati, qui volebat reuocare testamentum sui antecessoris, in quo certa bona legauerat cuidam Monasterio, ad quod idem Papa Gregor. concesserat licentiam Episcopo defuncto, vt illa Monasterio posset donare, scribit Gregor. viuenti Episcopo, ne donationem reuocet : nam ipse Papa dicit se illam approbare, non quod Episcopus defunctus illius mentionem fecerit in testamento, sed quia (inquit Papa) hoc ei viuenti promisimus : ergo istud testamentum factum de redditibus Ecclesiasticis, vt suppono, fuit nullum, & donatio facta Petro de qua meminit testamentum, fuit nulla, vtpote facta sine licentia Papæ : & vt omittam alias citationes, Nauar. *in commentario de spol. Clericorum*, §. 6. *fol. mihi.* 185. *col.* 4. *& sequenti fol.* 106. *tom.* 1. *suorum operum*, citat tres Bullas trium Summorum Pontificum, videlicet Pauli IV. Iulij III. & Pij IV. qui omnes claris, ac disertis verbis prohibent Episcopis ne possint testari de bonis acquisitis ex redditibus Ecclesiasticis : & multa ibi Nauar. accumulat ad intentum maximè in §. *Tertio noto.*

Quod

Quod adeo verum est. vt dicat, & probet Sarmient. *de reddit. Eccles. part. 3. c. 2.* quod neque possit testari Clericus de illis rebus, quas emit ex redditibus Ecclesiasticis, quia hæc sic empta sunt in rigore bona Ecclesiastica. Imo ad hoc intentum dicit Panorm. super primum cap. *de testament. num. 1.* quod Ecclesia habet fundatam præsumptionem, vel intentionem de iure communi super omnibus bonis possessis à Prælato defuncto, vnde omnia præsumuntur esse Ecclesiæ nisi probetur ex aduerso esse patrimonialia, vel acquisita ex propria industria: de his enim duobus vltimis poterit testari addit Sarmiento *4. p. reddit. Eccles. cap. 4. num. 6.* quod cum Episcopi in Hispania testari non possint, licet possint donare in vita: tamen si sint morti proximi in infirmitate, ex qua decedunt, etiam si inter viuos nomen illi donationi imponatur, & ad traditionem deueniatur, censetur dari per testamentum, & proinde non valet donatio. Consonat id quod dicit Lessius. *lib. 2. de iustit. c. 19. dub. 4. n. 44.* quod id quod Episcopus poterat donare inter viuos, non potest dare per testamentum. Idem tenet Azor. *tom. 2. lib. 7. toto cap. 6.* præcipuè in *§. Sexto quæritur*. Denique Nauar. *tract. de reddit. Eccles. q. 3. n. 6.* ait quod neque consuetudo in Hispania licentiam dat Episcopis testandi de rebus acquisitis ex redditibus Ecclesiasticis sine speciali licentia Papæ.

3 Suppono secundo, quod Episcopus successor non est hæres Episcopi antecessoris, & quod si aliqua bona mobilia Episcopi defuncti ad successorem deueniunt, non deueniunt iure, seu titulo hæreditatis, sed ex donatione Papæ, qui cum sit dominus bonorum acquisitorum ex redditibus Ecclesiasticis illa bona per mortem Ecclesiastici, vel applicat Cameræ Apostolicæ, vel iuxta consuetudinem aliquarum Prouinciarum il-

la relinquit Episcopo successori. Declaratur exemplo maioratus; nam is qui ingreditur maioratum, non illum accipit ab isto defuncto proximè antecedente, sed à primo fundatore maioratus. Probo insuper quod Episcopus successor non sit hæres sui antecessoris: nam non est hæres voluntarius, id est, voluntariè institutus hæres ab Episcopo antecessore, vt suppono fieri communiter. Item non est hæres necessarius, id est, consanguineus de iure succedens defuncto eriam ab intestato, nunquam enim Episcopus successor succedit iure consanguinitatis antecessori suo. Imo nec potest, cum enim bona Episcopi defuncti sint bona Ecclesiastica, non possunt adiri per successionem hæreditatis, cum neque Episcopus moriens illa possit relinquere, vel donare titulo hæreditatis. Denique hoc expressè affirmat Panormit. ad caput 1. *de solutionibus.* vbi expressè ait successorem alicuius in beneficio, non esse hæredem illius cui succedit: pro quo assignat inter alia, rationem illam quam proximè attigimus de maioratus successore, non accipiente illum de manu proximi antecessoris, sed de manu primi fundatoris, & alia ibi addit Panorm. ad intentum quæ paulò post referemus.

4 Suppono tertio iuxta communem opinionem Doctorum in materia restitutionis, quod debitor debens aliquam pecuniam, v.g. Petro, & Petrus mittit ad debitorem Nuncium, dicens, vt per illum Nuncium mittat sibi pecuniam suam, si talis debitor pecuniam debitam tradit illi Nuncio, & Nuncius fugiat, neque det pecuniam creditori, debitor liberatur à debito, nec tenetur amplius soluere, quia misit pecuniam per Nuncium destinatum à creditore; qui sibi debet imputare infidelitatem Nuncij à se electi, & liberari istum debitorem in foro interno, & externo; tenet Nauar. *in Sum.*

*Sum.cap.*17.*num.*67. Sylueſt. Medina, citati à Rebello 1.*p.de obligat.iuſtit.lib.*2.*quæſt.*13.*ſect.*3.*num.*13. & idē dicendum eſt de re depoſitata: ſi enim deponens elegit depoſitarium,& per Nuncium ab illo petat depoſitum,reddatque Nuncio,& res ad deponētem non perueniat,liberabitur depoſitarius, quia eſt vtrobique eadem ratio:addunt Nauar.*cit.cap.*17.*n.*185. Sylueſt.*loco citato,*& Gom.2.*tom.cap.*7.*n.* 3. quod ſi depoſitarius rē depoſitatam miſit ad deponentem per Nuncium fidelem,& pro tali reputatum,facta debita diligentia ſuper fidelitate requiſita,& res non peruenit ad deponentem, depoſitarius manet liber à reſtitutione in foro conſcientiæ. Videatur Rebello 2.*p.de obligat.iuſtitiæ lib.*16. *quæſt.vnica,*§.*Quintum dubium.*

5 His poſitis ſit concluſio. Iſte Epiſcopus ſucceſſor de quo agitur,non tenetur nec in foro interno, neque externo ad ſolutionem iſtorum quadringentorum ſcutorum, quæ Petrus dicit ſibi deberi per teſtamentum Epiſcopi anteceſſoris. Probo imprimis ab authoritate. Sic enim expreſsè tenet Panorm.ſuper citato cap. 1. *de ſolution.*vbi expreſsè dicit,quod ſuccedens alicui in beneficio non tenetur niſi ad ſoluenda debita, quæ anteceſſor contraxit pro neceſſitate Eccleſiæ: & Hoſtienſ. ſuper idem primum Capitulum *de ſolut.*dicit quod ſucceſſor Prælati tenetur de omnibus, de quibus tenebatur Prælatus,in quantum Prælatus. Idem tenet Zerola olim Epiſcopus Italiæ.*in* 1.*part.praxis Eccleſ.*ver. *Succeſſor.*§.4.*An teneatur*, citatque Nauar. & declarat Zerola,quod licet Epiſcopus anteceſſor contrahat debita nomine Eccleſiæ, ſi tamen non conſtet fuiſſe facta pro neceſſitate Eccleſiæ, non tenetur ſucceſſor ad talia debita ſoluenda. At in caſu præſenti conſtat quod Epiſcopus anteceſſor non contraxit illud debitum, quo

scutorum pro necessitate Ecclesiæ, sed pro affectu carnali ad consanguineos: & habetur hoc clarè in textu cit. cap. 1. *de solution.* vbi successor in beneficio non cogitur soluere debita antecessoris, nisi facta fuerint in vtilitatem Ecclesiæ. Videndus est etiam Azor. *tom.* 2. *lua Sum. lib.* 7. *toto cap.* 6. maximè *quæst.* 6.

6 Denique probo conclusionem hac ratione principali. Episcopus successor, de quo agitur, non tenetur ad hoc debitum soluendum ratione testamenti conditi ab antecessore: nec ratione alicuius hæreditatis sibi delatæ: nec ratione debiti quo defunctus tenebatur Petro legatario: nec quia successor aliqua obligatione particulari se obligauerit ad soluendum illud debitum: ergo ad illud non tenetur. Consequentia clara est. Probatur antecedens quoad singulas partes. Nam successor non tenetur id soluere ex vi testamenti facti: probauimus enim clarè supra, prædictum testamentum factum sine licentia Papæ fuisse nullum: quod autem nullum est, seu quod nihil est, nihil potest operari. Imo etiamsi prædictum testamentum esset validum, non posset obligare Episcopum successorem, cum defunctus in illum iurisdictionem non haberet, neque successor esset hæres, vel consanguineus defuncti Episcopi, vt iam ostendo. Secundo non tenetur successor soluere illud debitum ratione hæreditatis sibi delatæ. Nã Episcopus defunctus non instituit illum hæredem in testamento, neque Episcopus successor defuncto successit ratione consanguinitatis vt constat: ergo ratione hæreditatis aditæ non tenetur soluere. Si vero Episcopus successor defuncti ex mobilibus accepit illos 300. ducatos, hos non accepit titulo hæreditatis, sed accepit illos tanquam donatos à Papa, qui est dominus illorum spoliorum, seu bonorum Ecclesiasticorum, &

secun

secundum consuetudinem istius Prouinciæ Papa illa spolia relinquit Episcopo successori, qui illa recipit à Papa, non vero à suo antecessore Episcopo titulo hæreditatis, vt tenet Panormit. cit. cap. *de solut.* Tertio non tenetur successor illa 400. scuta soluere, eo quod defunctus Episcopus illa debebat Petro legatario, nam vt probauimus ex textu cit. cap. *de solut.* & ex tot Doctoribus, successor non tenetur soluere debita antecessoris, nisi facta fuerint pro necessitate Ecclesiæ: hæc vero debita non sic contracta fuerunt, sed pro maritanda consobrina Episcopi. Quarto denique non tenetur successor soluere hoc debitum ex obligatione aliqua, qua se specialiter, & spontè obligauerit ad illud soluendum, vt suppono, nec talis obligatio, seu promissio soluendi ostenderur: ergo nullo modo ad illud soluendum obligatur. Et confirmatur per doctrinam communiter traditam à Doctoribus, maximè à Vega Minimo 2 *part.* ver. *Mandas, casu* 20. vbi tradit, successorem alicuius in maioratu, licet sit consanguineus, & aliàs hæres legitimus antecessoris proximi, si tamen renunciat hæreditati illius, non tenetur soluere illius debita, pro quo citat multos recentiores, Quod confirmari videtur ex *regul. iuris in 6.* dicente. Qui sentit commodum, sentire debet & onus, & è contra. Id est, qui non sentit commodum, non debet onus sentire. Cum ergo iste Episcopus successor, neque fuerit hæres, neque habuerit commodum hæreditatis, non debet sentire onus soluendi debita. Circa id vero quod dixi illos 300. ducatos de spoliis defuncti Episcopi sumptos à successore, non fuisse ab eo sumptos ratione hæreditatis, tanquam donatos à Papa, vel à iure communi; addo, seu declaro de iure communi bona Episcopi defuncti pertinere ad successorem Episco-

pum, sicut habetur cap. *Hac huius*, 12. q. 2. & cap. *de laicis*. & cap. *Illud, ead. causa & quæst.* licet de iure particulari Summi Pontifices aliud decernant, illa vt plurimum applicando Cameræ Apostolicæ, vel relinquendo Episcopo successori, vt audiui esse positũ in more apud Episcopatus vltramarinos: sed in hoc standum consuetudini Prouinciarum: neque vero Episcopus successor notificatus de testamento antecessoris, & dicens, seu permittens quod executioni daretur, per hoc dictum, vel permissionem se obligauit ad soluendum id quod deerat pecuniæ in capsula, vel sacculo. Nam approbare testamentum, vel permittere vt executioni mandetur, non est se obligare ad soluenda debita testatoris. Aliàs iudex, cui defertur testamentum post mortem testatoris, & dicit quod executioni detur, per hanc iussionem, vel permissionem diceretur se obligare ad soluendum id quod de bonis defuncti solui non potest: quod nemo vnquam dixit.

7 Nunc probo, quod dato (& non concesso) quod Episcopus successor aliqua via esset obligatus ad soluendam hanc pecuniam, attentis tamen circumstantiis in informatione positis, adhuc tamen ab illius solutione deobligaretur. Probo 1. ex eo, quod diximus supra ex Nauarro in Sum. de debitore mittente pecuniam creditori per famulum fidelem à prædicto creditore destinatum, qui debitor deobligatur ab vlteriori solutione: nam Episcopus defunctus elegit depositarium pro sua pecunia depositata, & per ipsum depositarium, & testamenti executorem iussit illam reddi Petro. Episcopus vero successor per eosdem depositarium, & executorem iussit pecuniam dari Petro: ergo licet tota pecunia ad Petrum non deuenerit, & licet Episcopus successor ad illius solutionem teneretur, iam satisfacit

suæ

ſuæ obligationi mittendo pecuniam Petro per depoſitarium,& executores fideles Nuncios ab ipſo defuncto pro ſolutione deſtinatos. Faciunt adhuc pro liberatione Epiſcopi ſucceſſoris duo caſus poſiti à Sylu. *in Sum.* ver. *legatum*, 3. *q.* vbi ponit primum caſum in hunc modum. Si teſtator in teſtamento dicat : relinquo Petro tria millia ſcuta, quæ ſunt clauſa in tali ſacculo , & in illo non inueniantur niſi duo millia, hæc ſolum duo millia habebit Petrus , & non amplius. Cum ergo Epiſcopus defunctus iuſſerit dari Petro 1400. ſcuta deſignatè contenta in tali ſacculo , & in illo ſolum inuenta ſunt mille, hæc ſolum mille habebit Petrus, & non amplius, maximè ſi depoſitarius non accepit pecuniam numerando , ſed illam in ſacculo obſignato recepit : potuit enim deponens illam , decipi, vel obliuiſci. Et eadem quæſt. 5. addit aliud exemplum, videlicet , ſi teſtator in teſtamento dixit: Dentur Petro decem menſuræ olei, quæ ſunt in tali vaſe : & in tali vaſe non ſunt inuentæ niſi ſex: hæ ſex ſolæ illi debentur. Et aliud tertium exemplum ibi ponit ſeruiens ad intentum, & citat text. iuris ciuilis. Secundus caſus ponitur ab eodem Sylu. verbo *depoſitum q.* 7. videlicet: ſi quis in vna naui , vel in diuerſorio reliquit ſacculum pecuniæ obſignatum , non numerata pecunia coram nauta, vel hoſpite diuerſorij, & poſtea deponens dicat in ſacculo manſiſſe, v.g. mille ducatos , & ſibi deeſſe ducentos : in tali caſu neque nauta , neque dominus diuerſorij tenentur ad ſoluendos illos 200. quamuis deponens iuret illos deeſſe, pro quo citat Cardinalem, Speculatorem, & vnam legem ciuilem: quæ omnia nimis faciunt pro noſtro caſu, ad probandum , quod nedum Epiſcopus ſucceſſor , neque item depoſitarius iſtius pecuniæ tenentur reddere Petro 400. illa ſcuta , quæ dicit de-

fuiſſe

fuiſſe in ſacculo. Nam ſicut colligitur ex informatione propoſita, Epiſcopus moriens non numerauit pecuniam ſacculi coram ipſo depoſitario, ſed ſolum dixit in tali capſula manere in ſacculo 1400. ſcuta reddenda Petro. Vnde neque ipſe depoſitarius tenetur reſtituere 400. quæ deſunt, neque ipſe Petrus legatarius habet ius ad illa petenda, cum culpa huius rei ad ſolum teſtatorem reduci debeat, qui vel fuit oblitus, vel pecuniam non numerauit coram depoſitario: & proinde multo magis excuſatur à reſtitutione Epiſcopus ſucceſſor, qui neque eſt hæres, nec vidit pecuniam, neque illam iuſſit deponi, nec ad illud debitum ſoluendum aliqua via ſe obſtrinxit. Et confirmatur adhuc, quoniam iſte Petrus hodie petens iſta 400. quæ dicit defuiſſe in ſacculo, non oſtendit aliquod teſtimonium, vel inſtrumentum publicum fide dignum, per quod conſtet defuiſſe in ſacculo illa 400. ſcuta: ſed ſolo ſuo dicto id nititur confirmare. Cuius dictum, cum ſit pars habens intereſſe in cauſa propria, nihil poteſt probare. Oportuit enim pro cautela recipere, & numerare pecuniam ſacculi coram Notario publico, vel teſtibus, qui poſſent probare defectum talis pecuniæ.

8 Argumentum in contrarium initio poſitum iam manet ſolutum ex dictis: negandum eſt enim Epiſcopum ſucceſſorem fuiſſe hæredem Epiſcopi defuncti, vt clarè oſtendimus ex Panorm. & aliis rationibus adductis. Negandum eſt etiam Epiſcopum ſucceſſorem per acceptationem illorum 300. ducatorum de ſpoliis defuncti, ſe feciſſe hæredem, vel acceptaſſe hæreditatem. Probauimus enim illos 300. ducatos non accepiſſe titulo hæredis, neque de manu Epiſcopi defuncti, ſed de manu Papæ, vel conſuetudine permiſſa à Papa: & ſic accipiens illos vt donatos à Papa, non ſe obliga-

uit

uit ad ſoluenda debita Epiſcopi defuncti, maximè cum oſtenderimus ex iure communi non teneri ſucceſſorem ad debita defuncti Epiſcopi, niſi cum probatum fuerit illa fuiſſe contracta pro Eccleſiæ neceſſitate ſubleuanda. Et eadem reſponſio danda eſt ad ſecundum argumentum, vel confirmationem primi.

CASVS II.

De quodam matrimonio pratenſo ab vna fœmina.

QVædam fœmina pauper, non præcedente fraude, nec promiſſione, nec precibus importunis ſui corporis copiam fecit cuidam adoleſcenti diuiti, & cum illius amicitia longum tempus cõtinuauit eidem fœminæ dans ordinaria alimenta etiam quoad veſtes, ita vt donata ab illo æſtimari poſſent pretio quingentorum aureorum. Durante hac conuerſatione propter remedia, & alimenta, quæ fœmina ſibi, & matri pauperi recipiebat, cum ille eidem nec verbo, nec ſcripto matrimonium promiſerit, illa è cõtra iuueni ſcriptum dedit à ſe ſubſcriptum, quo fatebatur ſe neque illi eſſe nuptam, nec illum ſibi aliquid debere, nec ſibi matrimonium promiſiſſe, & ideo liberè poſſe illum cui vellet nubere, neque illam ab illo aliquid expectare: & hoc idem dixit illa coram multis aliis perſonis ſub eadem forma verborum: tranſacto aliquo tempore fœmina peperit ex illo filiam, quam ille ſtatim ſub ſua cura recipiens, iuſſit filiam alibi educari: poſt hæc omnia citat iuuenem coram Ordinario, petens vt ſe ducat

cat in vxorem, eo quod ab illo defloratа fuerit, & ille sub titulo sponsæ de futuro domum suam frequentauerit. Adolescens asserit se cum primum ad illam accessit virginem non inuenisse, nec domum suam intrauit cum animo, vel titulo sponsæ, vel vxoris, sed tanquam ad domum fœminæ communis.

Quæritur an prædictus adolescens cogendus sit illam ducere in vxorem, vel in foro interno, vel externo? 1 Prima conclusio, in foro interno prædictus iuuenis non tenetur illam ducere in vxorem, neque eidem aliquam restitutionem facere vltra iam factam. Hæc est communis Doctorum, & in particulari eam tradit Nauar. *in summa Latina, cap. 16. num. 16.* & quia est cõmunis doctrina, solum in probationem adduco Regulam illam iuris citatam à Nauarro, videlicet, Scienti, & consentienti nõ fit iniuria: & hæc mulier sciuit, & consensit non fraude, non vi, nec precibus importunis: ergo illi nõ est facta iniuria: & proinde prima pars conclusionis manet probata, videlicet non teneri ad illam ducendam in vxorem: & etiam si quoad copulam fuerit rogata leuiter, id non obstat, quia hoc non est facere preces importunas, quæ inducant restitutionem matrimonij. Secunda pars conclusionis, quod scilicet neque aliam restitutionem facere teneatur, probatur ex multis. Primo, quia iam illi, ac matri dedit in alimentis æstimationem 500. aureorum, quæ solutio sufficientissima fuit vt restitueretur defloratio fœminæ pauperis, etiamsi per preces importunas verè fuerit defloratа. Secundo, quia ipse asserit illam nõ fuisse à se virginem repertam, & sic cum illam non defloraverit, multò minus illi debebat, imo & cum 500. illis aureis cum excessu illis satisfecit. Tertio, quia Sãchez *lib. 4. de matrimonio, disput. 10. num. 1. citat. 9.* Doctores graues dicentes

tes,quod neque quando præcedunt preces importunæ, dèflorator tenetur reſtituere aliquid fœminæ ſic conſentienti,licet ipſe Sanch. oppoſitum teneat cum communi.Si ergo tot Doctores, & graues illud aſſerunt de vero defloratore, præcedentibus precibus importunis: iſte de quo quæritur, qui nec defloruit, neque adhibuit preces importunas, & iam quingentos aureos dedit fœminæ iſti,à fortiori liberabitur ab vlteriori reſtitutione facienda.

Maius dubium eſt, an in foro externo cogendus ſit iſte ducere in vxorem prædictam mulierem? Nauar. citato loco clarè innuit cogendum eſſe in foro externo ad illam ducendam,licet illam iam defloratam inuenerit. Probat ex cap.1.& 2.*de adulteriis*,vbi dicitur quod in iſto caſu fœmina dotanda eſt, vel in vxorem ducenda.Aſſignat Nauarrus hanc rationem. Nam licet hæc mulier à parte rei non ſit virgo, ius commune virginem illam præſumit in foro externo, & ſicut virgini facienda eſt illi reſtitutio, & non alio modo quam ducendo illam in vxorem:& citat ad hoc Panormitanum, Ioannem Andr. S. Antoninum, & ait eſſe opinionem communem.

2 Hoc non obſtante credo, quod neque in foro externo cogendus eſt illam ducere. Ante probationem reſpondeo ad illos duos textus citatos à Nauarro, ex illis enim deducitur clarè probatio iſtius ſecundæ concluſionis,& dico illos non loqui de noſtro caſu. Nam caput primum incipit;ſi ſeduxerit quis virginem, dormieritque cum ea, &c. Secundum Capitulum dicit: Peruenit ad nos quod Felix quandam virginem ſtupro decepit,&c.Itaque vnum Capitulum ait,ſeduxit, aliud dicit, quod decepit:quæ duo verba ſignificãt fraudem, & dolum, quibus præcedentibus iubet Papa vt ducatur

tur in vxorem. Cum ergo in hoc casu iuuenis iste non seduxerit, nec deceperit, nec promiserit verbo, vel scripto, nec preces importunas adhibuerit, clarè constat, quod illam non tenetur ducere. Secundo probatur, quia licet ex parte iuuenis aliqua obligatio daretur ducendi illam in vxorem, ipsa illum ab ista obligatione liberauit confitens scripto suo, & coram testibus, quod ipse iuuenis nihil sibi promiserat, neque aliquid debebat: quod constat ex verbis positis in scripto fœminæ. *Por me não ter obrigaçon, nem eu a elle, & podera fazer de si o que quizer.* In quibus verbis clarè confitetur, quod iuuenis illi non est obligatus. Et infra dicit quod de illo nihil prætendit, & quod illa posset remittere omnem obligationem, si extaret, constat ex communi opinione dicente quod sponsalia possunt dissolui per consensum, ac remissionem vtriusque sponsi, de quo Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disp.* 52. vbi citat ad hoc multa.

3 Nec contra hoc obstat, quod illa dicitur allegare, quod dictum scriptum dedit cum illa adhuc esset constituta in minori ætate, id est, non habens vigintiquinque annos, quæ ætas per leges regni dicitur ætas minor ad contractus ineundos in minori habente tutorem; nam ad contractum matrimonij validè ineundum, nõ requiritur illa ætas vigintiquinque annorum, nec licentia tutoris, sed satis est habere annos pubertatis, qui in fœmina est annus duodecimus. In quo fœmina potest contrahere validè matrimonium inuito patre, & tutore, vt definit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 1 *de matrimonio*, & tradit Sanchez *lib.* 4. *de matrimon. disput.* 22. & ego confirmo ex praxi: nam si fœmina in anno duodecimo per scriptum promittat sponsalia, tenent sponsalia, imo & matrimonium, si

per

per procuratorem id contrahai, vt praxis obseruat: ergo etiam per scriptum poterit remittere obligationem quam aliquis vir habebat ad contrahendum cum illa, est enim eadem omnino ratio in contrahendo sponsalia, & in illa dissoluendo.

CASVS III.

De quadam donatione facta à Clerico nepti cuidam, filiæ fratris sui.

QVidam Clericus rogatus à Petro per epistolam, quid dare vellet Francisco si duceret in matrimonium neptem quandam ipsius Clerici. Clericus per epistolam sic respondit. Dono illi quinque meas proprietates immobiles, quas omnes specificauit, explicans loca particularia vbi erant sitæ. Et addidit quod donabat illi omnia bona quæ haberet ipse Clericus in morte. Et insuper statim misit ad illam munus quoddam pretio 100. aureorum æstimabile. Virtute huius donationis per epistolam factæ, celebratum est matrimonium inter Franciscum, & neptem Clerici, & viuente Clerico acquisierunt possessionem rerum illarum immobilium promissarum, seu donatarum pro dote. Mortuus est Clericus sine testamento. Aliæ neptes Clerici volunt annullare donationem præteritam; inter alia allegant, quod Clericus donauit duas proprietates ex illis quinque alteri nepti priori, & nunc viuenti iam donatas quæ est in possessione illarum; cumque illas iam alteri donasset in vita, effectu secuto non potuit illas donare huic secundæ nepti, & sic donatio in

vno claudicans,claudicat in toto. Addunt quod donatio facta fuit per epistolam missiuam, & secretam quæ non videtur sufficiens ad validandam tantam donationem. Addunt per quandam legem istius Regni,ad hoc vt donatio facta per epistolam absenti valida sit, opus est vt tres, vel quatuor testes interfint scriptioni epistolæ, & videant donatorem epistolam suo scripto firmare,vt dubitatio omnis tollatur circa fidem epistolæ, & donationis:quæ solemnitas defuit in epistola huius Clerici donantis.

Quæritur an prædicta donatio valida fuerit in vtroque foro.

11 CRedo quod valida fuit in vtroque foro de iure communi,ciuili, & Theologico, & quod aliæ neptes illam non possunt annullare. Et imprimis quod fuerit vera donatio, patet quia in epistola Clericus vtitur verbo, Dono, & do, per quæ communiter fiunt donationes:& præterea fuit donatio acceptata à donatario, cum statim viuente Clerico possessionem acquisiuerit de proprietatibus donatis. Præterea facta fuit causa dotis, quæ donatio causa dotis est multum priuilegiata in iure. Quod vero donatio pura, simplex,& acceptata (si est inter viuos,qualis fuit ista quoad illas quinque proprietates) statim firma sit,& effectum sortiatur, sine eo quod possit amplius reuocari,est expressa lex istius Regni *lib.4. Ordin.tit.63.§.10.* & est communis sententia omnium Iuristarum, & Theologorum,ita vt vbi primum acceptatur, sortiatur effectum, & dominium rei donatę statim transeat ad donatarium: tenet inter alios Rabello *de obligat. iust. lib. 18. q. 12.* vbi citat text.& Doctores: idque adeo verum est,vt si

dona

donator moriatur antequam donatarius acceptet, poterit donatarius post mortem donantis validè acceptare, vt tenet idem Rabello *cit. lib. quæst. 3. num 6.* & tenebuntur hæredes donantis rem donatam tradere donatario. Idem tenet Sanch. *lib. 1. de matrim. disp. 6. num. 5.* citans multos, & dicens hoc fore verius, quando donator ante mortem misit epistolam, in qua diceret se donare, sicut misit iste Clericus dicens se donare nepti, & illa, viuente Clerico acquisiuit possessionem rerum promissarum Quod vero donatio fieri possit validè per epistolam missam, tenet expressè Iulius Clarus *lib. 4. §. Donatio, quæst. 12. num. 1.* dicens esse communem opinionem, pro qua citat vnam glossam, & Capicium. Nec potest obiici contra hanc donationem, quod fuerit facta sine insinuatione, vel licentia Regis, cum aliàs illa excedat quantitatem 300. aureorum: nam lex prohibens fieri donationem talem summam excedentem absque insinuatione, non comprehendit donationem quæ sit causa dotis, qualis est ista; sic tenet expressè Rabello *cit. lib. 18. q. 6. ad finem*, dicens esse opinionem communem, maximè Gamæ *decis. 163. & 213.* Si vero dicas, verba quibus iste Clericus vsus est in epistola, dicens: Do talem & talem proprietatem, non fuerunt verba donationis, sed stipulationis, quæ est veluti promissio dandi de futuro, quæ promissio est stipulatio facta præcedente petitione, seu percontatione aliorum, quod est requisitum ad stipulationem. Dico imprimis prædicta verba non fuisse promissionem de futuro, sed reuera donationem de præsenti: non enim dixit dabo: sed do. Dico secundo, quod licet essent verba de futuro, ac stipulatio, adhuc obligarent in foro interno, & externo, postquam stupulatio fuit acceptata, & possessio rerum promissarum acquisita. Sic tenent commu-

niter Doctores loquentes de ſtipulatione acceptata, vt inter alios tenent Sylueſt. ver. *pactum.* in principio, & ver. *ſtipulatio.* adeo vt iuxta illum ver. *ſtipulatio.* ſtipulatio acceptata tranſeat ad hæredes. Et idem tenet Azor *tom.* 3. *Sum. Moralis, lib.* 11. *in princip.* §. *Quinto ſtipulatio.* Cum ergo conſtet quod iſta donatio fuit vera, & valida, per quam dominium rerum donatarum tranſiuit ad donatarium, non poſſunt hodie hæredes Clerici annullare illam. Quod adeo verum eſt, vt dicat Sanchez citat. diſp. & num. quod licet donator moreretur antequam donatarius acceptaret, hæres donantis non poteſt illam reuocare, quia facultas reuocandi non tranſit ad hæredes, vt tenet Couar. 3. *part variar. c.* 14. *num.* 17. & Iulius Clarus cit. lib. 4. §. *Donatio, q.* 13. *ad finem.* & alij citati à Sanch. ibid.

2 Contra iſtam donationem obiiciunt (ſicut extra informationem poſitam accepi) quod iſte Clericus in iſta donatione, inter proprietates, ſeu poſſeſſiones huic nepti donatas, fecit mentionem, & donauit illi duas poſſeſſiones, quas antea iam donauerat alteri nepti nunc viuenti, & illas poſſidenti: & ſic donans modo Clericus huic ſecundæ nepti poſſeſſiones alteri nepti iam donatas, & de facto poſſeſſas, donatio corruit, cum dederit id quod dare iam non poterat: ſicut quando ſcriptura eſt falſa in vno, eſt etiam falſa in alio. Et confirmatur, ſeu probatur illius nullitas à ſimili. Nam vendere, vel donare rem litigioſam eſt illicitum, imo in iure punitur, & venditio, ſeu donatio annullantur, vt habetur *lib.* 4. *Ordinat. iſtius regni, tit.* 10. §. 3. *& ſeqq.* ergo à ſimili magis illicitum erit, & in iure nullum, donare rem clarè alienam, quales ſunt, hæ duæ poſſeſſiones, quas iſte Clericus donauerat priori nepti, quæ illas actu poſſideret, & ſic manſit ſecunda hæc donatio inualida, & nulla,

nulla, quia par illam donata est res aliena.

3 Pro responsione istius obiectionis, præmitto, quod etiam mihi dictum fuit, quod quando Clericus fecit donationem priori nepti illarū duarum possessionum, declarauit in donatione, quod si prior illa neptis filios non haberet illæ possessiones redire deberent ad alios Clerici consanguineos. Et hodie prædicta prior neptis caret filiis; & nec sperat illos habere. Præterea mihi dictum fuit, quod prior neptis sciens dictum Clericum donasse huic secūdæ nepti suas duas possessiones, consensit, nec restituit, imo quod eas eidem statim vult dimittere. Hoc supposito ad obiectionem dico, donationem secundam factam nepti secundæ, esse validam saltē quoad illas possessiones, quas illi denuo donauit, & quas non donauerat antea priori nepti: & quod donatio quoad has saltem fuerit valida, probatur clarè *ex Regula 37. de reg. iur. in 6.* quæ dicit. Vtile per inutile non debet vitiari: id est, actus qui ex vna parte est bonus, & vtilis, non debet reddi nullus, & & inutilis ob aliam patem eiusdem actus. Et affert ibi glossa in principio exemplum satis ad propositum istius casus, quod est huiusmodi. Dicunt leges ciuiles (& est lex expressa Portugalliæ *lib. 4. Ordin. tit. 63.*) quod siquis donauerit alicui rem aliquam excedentem valorem 300. aureorum absque licentia, & insinuatione Regis, talis donatio sit nulla quantum ad id quod excedit summam 300. aureorum, erit autem valida quoad 300. illos aureos. Vbi vides posse vnam, & eandem donationem esse validam quoad vnam partem, quam donare poterat, & nullam quoad illam partem quam donare non poterat. Quod in ista Clerici donatione locum habet: dato enim, quod fuerit nulla quoad illas possessiones priori nepti iam donatas (de qua tamen statim dico) fuit ta-

men valida quoad illas quas præsenti nepti donat, & priori non donauerat. Et adducit glossam in citata Regula legem *sancimus*, *C. de donatio.* & alios multos text. & Doctores. Et ideo non potest verti in dubium validitas istius donationis quoad dictas possessiones, quas Clericus nepti præsenti donauit priori nepti antea non donatas.

4 Tota controuersia est, an ista donatio valida fuerit, vel valida reddi potuerit quoad illas duas possessiones, quas antea iam donauerat nepti priori? Respondeo, suppositis quæ suppositi numero præcedenti, etiam quoad has duas possessiones donationem istam fuisse validam. Probo, quia accedente hodie consensu prioris neptis, & ratificatione illius quoad donationem illarum suarum possessionum, donatio præterita quoad has duas possessiones nulla, vel dubia, per consensum prioris neptis conualescit, & rata manet. Neque est nouum in iure quod donatio, vel alienatio alicuius rei, quam ego dare non poteram, conualescat, & reualidetur accedente postea consensu illius, qui erat verus rei dominus, ac si consentiret ante donationem. Habetur clarum exemplum in cap. *Cum nos*, de his quæ fiunt à Prælatis, &c. Vbi dicitur quod collatio cuiusdam Ecclesiæ facta ab vno Episcopo sine consensu Capituli, quæ sine isto consensu fuerat nulla, postea potest ista collatio, & donatio reddi valida accedente nouo consensu Capituli: vbi glossa notat, quod aliquando subsequens consensus valet: & quod ratificatio retrotrahitur; & quod id quod ab initio non valet, interdum ex post facto conualescit. Aliud huius rei exemplum est in c. *si qua* 12. *q.* 2. & aliud in c. *vlt.* 16. *q.* 1. quæ vide. Dato ergo quod donatio secunda istius Clerici quoad illas duas possessiones priori nepti donatas, non fuerit valida,

cum

cum illas donauit huic nepti secundæ; nihilominus etiam quoad has duas possessiones est hodie valida, quia accedit consensus, & ratihabitio prioris neptis illas dimittentis, iuxta tres textus proximè citatos. Secundo principaliter probatur, quia actus factus cum confidentia probabili, quod ad illum interuenit ratihabitio de præsenti, vel de præterito ex parte illius cuius licentia requiritur, talis actus valet, vt est communis Doctorum opinio apud Sanchez *lib. 3. de Matrimonio, disput. 35. n. 2. & seqq* vbi citat multos Doctores, & est actus validus etiam in materia Sacramentorum, quod est grauius (de quo dat Sanchez exempla.) Quod maximè inseruit ad casum præsentem: satis enim probabiliter credi debet, quod Clericus iste moralem, & certam confidentiam habebat, quod prior neptis illam donationem de suis duabus possessionibus ratam haberet. vel esset habitura, eo quod nec filios haberet, nec sperabat habere: & illæ duæ possessiones illi fuerint à Clerico concessæ sub conditione, si filios haberet, & aliàs rediret ad alios consanguineos. Confirmantur hæc omnia per id quod tradit Nauar. *in commentario de spoliis Clericorum §. 2. n. 5. fol. 100. pag. 2. col. 1.* ex Bartolo, & aliis in *l. inter omnes, §. rectè, ff. de furt.* videlicet, quod cum intercedit iusta causa credendi, quod dominus alicuius rei velle debeat vt alius capiat, vel ea in aliquem vsum vratur, eo quod est cognatus, amicus, vel de ipso benemeritus, vel ob alias circunstantias, præsumitur in dubio illud velle, sic Nauar. ibi. Imo ab affectu secuto constitit, quod Clericus benè fundatam habuit hanc confidentiam de ratihabitione prioris neptis, quia nempe illa consensit, & dixit se velle secundæ nepti dictas possessiones dimittere.

5 Ad argumentum primum initio positum in con-

trarium iam satis patet solutio ex dictis : ac dicendum primo, quod ista donatio in nullo claudicauit, nam valida fuit etiam quoad duas possessiones priori nepti prius donatas accedente ratihabitione prioris neptis post Clerici donationem : cumque de aliis possessionibus nullum sit dubium, vt patet ex dictis *num.* 3. sequitur quod donatio non claudicauit in aliquo. Dico secundo, quod saltem donatio non claudicauit ex parte illarum possessionum quas Clericus donauit nepti secundæ, & priori nepti non donatas. Ad secundum argumentum dico talem, ac tantam donationem validè potuisse fieri per solam epistolam missiuam, vt probaui *num.* 3. ex Iulio Claro, & Sanchez. Ad tertium dico illam legem Portugalliæ (si extat) requirentem ad valorem donationis factæ per epistolam, vt epistola scribi videatur per duos, vel tres testes, intelligi dummodo alias certissimè non constet de voluntate donantis per rei euidentiam ; si enim constet de illa per rei euidentiam, non erunt necessarij testes in epistolæ scriptione, iuxta illud commune dictum Iuristarum, quod euidentia facti probatione non indiget. At per euidentiam facti constat quod iste Clericus donauit, ac voluit donare, eo quod illo viuente secunda neptis acquisiuit possessionem dictarum rerum sibi per epistolam donatarum. Hinc colligo, quod licet Clericus epistolam non scriberet, in qua dixit se donare, adhuc ista donatio valida esset sine scripto, quia scilicet interuenit donatio, re, & facto per consensum Clerici, qui adhuc viuens, sciens, & consentiens, vidit, & consensit, quod secunda neptis illarum proprietatum possessionem acquireret, quæ est donatio in re, & facto. Hoc ego probo exemplo iuridico omnino simili. Præcipitur in iure, maximè in cap. *Cordi nobis, de appellation.* quod

appel.

appellatio ab interlocutoria fiat in ſcriptis: hoc non obſtante, poteſt appellatio fieri facto, arrepto ſcilicet itinere ad ſuperiorem: imo cap. *dilectus, ly 2. de appellat.* dicit Papa plus eſſe appellare facto, quam verbo, vbi gloſſ. ver. *facto pronocare*, citat pro eodem multos textus, & addo quod plus nos factis demonſtramus, quam verbis: & quod facto cõſentimus, & quod facto renunciamus iuri noſtro, & ſic de aliis: ergo à ſimili, quamuis illa lex ad valorem donationis per epiſtolam factæ requirat epiſtolam ſcribi prædicto modo, nihilominus hæc donatio fuit valida, quia Clericus poſtea videns, tacens, & conſentiens hanc neptem poſſidere res illas in epiſtola contentas, facto donauit, & plus eſt facto donare, quam donare verbo, vel ſcripto, iuxta textum, & gloſſam citatam.

6 Ad primum vero argumentum poſitum *num.* 2. de ſcriptura, quæ ſi ſit falſa in vno, redditur falſa in totum: dicendum primo argumentum à ſimili, vel ab exemplo, non habere fidem indubitatam. Dico ſecundo, non ſemper ſcripturam falſam in vno reddi falſam in alio, de quo non libet hoc loco diſſerere, videantur Doctores cum diſputant de falſariis, ſiue de fide inſtrumentorum. Dico tertio ſicut dixi ſupra *n. 5. in 1. ſolut. ad primum*, quod videlicet iſta donatio in nullo claudicauit, cum valida fuerit quoad vtranque ſui partem, vt patet ex dictis *num.* 3. & 4. Ad ſecundum argumentum eiuſdem numeri 2. de exemplo rei litigioſæ venditæ, omiſſis aliis ſolutionibus dico, quod ex eadem lege Portugalliæ ibi citata, habetur ſolutio argumenti: nam paulò poſt §. 11. permittit lex quod res litigioſa, licet vendi non poſſit, tamen poſſit dari in dotem matrimonij. Hæ vero duæ poſſeſſiones prioris neptis, non ſunt venditæ à Clerico, ſed datæ in dotem vt patet. Secundo

dico has duas posſeſſiones non fuiſſe rem litigioſam, vt patet: res enim litigioſa eſt illa contra quã lis iam mota eſt: & contra iſtas poſſeſſiones lis nulla fuerat attentata, & præterea, dato quod fuiſſet res litigioſa, prior neptis quæ poterat litem mouere poſt Clerici donationem conſenſit, ratificauit, & poſſeſſiones dimiſit: & Clericus illas donauit, cum certa morali confidentia de tali neptis ratificatione, ſeu ratihabitione.

CASVS IV.

De quodam patre exhæredante filium ſibi iniurioſum.

A Doleſcens filius cuiuſdam nobilis alloquebatur amatorie quandam adoleſcentulam ſe in natalibus inferiorem. Pater conſcius filium coarguit, & monuit, vt à talibus amoribus, & colloquiis abſtineret, addens illud matrimonium, ſibi ac parentelæ non conuenire. Eo non obſtante filius continuans amores, cum quadam die in platea publica hanc fœminam alloqueretur, pater pertranſiens filium ſuum percuſſit gladio non euaginato, in dorſo, & mox ſecum filium in domum reduxit. Ambobus domum ingreſſis, pater aſſumpto pallio, ſeu baculo, & manum leuans ad filium percutiendum cum baculo, dixit filio: nonne tibi præcepi ne illam fœminam alloquereris? Quo audiio filius baculum vi de manu patris excuſſit, & vltra procedens, cum vterque veniſſent ad manus, filius patrem ſuperans deiecit in terram, & ex tali proiectione in terram patris vnum brachium ita læſum, & attritum fuit, vt per aliquot dies à medicis illi fuerint applicata reme

remedia medicinalia. Post aliquot dies filius vt molestaret patrem, matrimonium de facto contraxit cum alia fœmina vilioris conditionis quam erat prior. Postea cum pater in quadam platea publica hunc filium obuium haberet, ambo rixati sunt gladiis euaginatis. Rixa extincta, filius coram populo verba iniuriosa protulit contra patrem, addens eum non esse patrem sum, seque dedignari talis patris esse filium: & ex illa die, si fortè patrem in platea obuium habebat, illi caput non aperiebat leuato galero. Adueniente tempore Quadragesimæ pater adiuit Parochum prius pœnitentiæ Sacramento recepto, & à Parocho petiuit sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum. Parochus dare noluit, sed eidem iniunxit vt prius ab illo suo filio veniam peteret, & cum illo recociliaretur, pater id facere recusauit.

Quæritur primo. Vtrum hic pater in conscientia teneretur veniam petere à filio suo, & an Parochus ea de causa potuerit illi sacratissimam Eucharistiam denegare?

2 Vtrum pater huic filio veniam dare teneatur, eumque ad antiquam amicitiam, & familiaritatem recipere, si filius satisfactionem det, & veniam postulet?

3 Vtrum hic pater possit filium exhæredare ob illatas iniurias: & dato quod possit, quomodo debeat illum exhæredare.

1 Antequam ad singula quæsita respondeam, tria suppono. Primum est, neminem teneri restituere, aut veniam petere, nisi alium læserit iniustè in honore, vel cæteris bonis temporalibus. Si autem in his damnum dedit iustè, non tenebitur veniam petere, nec restituere. Probatur duobus exemplis clarissimis. Primum sit; iudex iustè condemnauit Petrum ad flagella, & ad pœnam

nam pecuniariam : clarè læsit in honore , & pecuniis, non tamen tenetur Petro aliquid restituere,quia iustè, ac licitè fecit. Secundum exmplum in eadem materia. Testis iuridicè interrogatus , suo testimonio causa fuit vt Petrus damnaretur ad triremes , & pœnam pecuniariam : clarè læsit Petrum in honore, & in pecuniis,sed non tenetur restituere,nec veniã petere,quia iustè fecit. Et confirmatur ratione,nam cum restitutio sit actus iustitiæ,debet fieri contra actus oppositos iustitiæ, id est, contra actus iniustos,qualis est ablatio honoris,vel pecuniæ iniustæ:non vero debet fieri, vel iniungi restitutio,seu veniæ petitio circa actus iustos , qualis est iusta læsio in honore,vel in pecunia.

2 Secundo suppono , quod filius tenetur obedire patri, quando filio consulit , vel suadet ne certam fœminam ducat in vxorem,vel è contra si consulat, vt certè nubat , eo quod ex tali matrimonio resultat damnum notabile ipsi patri, vel parentelæ : aut quia ex tali matrimonio prætendit pater aliquod particulare commodum,& interesse. Hanc conclusionem probat doctè,& efficaciter Bellarminus *tom. de Sacram. lib. 1. de matrim. cap. 19. propos. 3. vsque ad finem cap.* vbi imprimis ait, peccare filios , qui sine iusta causa nubunt contra voluntatem parentum,vel insciis parentibus. Probat ratione , & dat exemplum in Isaac Patriarcha , qui non nupsit nisi sponsæ sibi à patre Abraham assignatæ : & citat D. Ambrosium,multa de hac re dicentem *lib. de Abraham, cap. vlt.* vbi D. Ambrosius nimium laudat quædam verba Euripidis Poëtæ , dicta in persona cuiusdam fœminæ , cui cum quidam certum matrimonium inculcaret,illa respondit. *Sponsalium quidem meorum pater meus curã habebit,hoc enim non est meum.* Probat etiam ibidem Bellarminus , quod pater consulens

vt

vt filius nubat, vel non nubat alicui certæ mulieri, habens cauſas ad id ſuadendum, non contradicit Concilio Tridentino punienti illos, qui impediunt libertatem circa matrimonium contrahendum. Eandem concluſionem, quod ſcilicet filius ſub peccato teneatur obedire parentibus in contrahendo matrimonio, ſi illud iuſtè, & honeſtè præcipiant, tenet Sanchez *lib.4. de matrim.diſp.23.concl.2.* vbi ait teneri filium ſub peccato mortali obedire patri conſulenti matrimonium iuſtè, cum illis ſcilicet duabus circumſtantiis ſuprapoſitis: quia tunc pater præcipit iuſtè, & in materia graui & honeſta. Et probatur ratione naturali: nam pater plus amat filium, quam filius amet patrem. Item pater maiorem habet ſcientiam, & experientiam ad cognoſcendum quodnam matrimonium filio cõueniat, quam habeat filius, qui vtplurimum in matrimonio eligendo ducitur pulchritudine, ſeducitur à mulierculis, & ab amicis adoleſcentulis & ſimilibus: ac proinde tenetur ſtare iudicio, & conſilio parentum rectius conſulentium. Excipit Sanch. dummodo filius habeat intentionem nubendi. Nam ſi velit Religionem ingredi, non tenebitur patri obedire matrimonium conſulenti. Citat ad hoc Sanchez ferè viginti Doctores Canoniſtas & Theologos, inter quos eſt D. Bonauentura, D. Thom. Nauar. & alij graues Doctores. Hoc ipſum dixeruno etiam Ethnici Philoſophi: maximè Terentius *in Hecyra Actor.3. ſce.4.* vbi inducit quendam iuuenem qui cuidam matrimonium ſibi conſulenti, reſpondit: *Nam me parẽti potius, quã amori obſequi oportet.* Quod optimè ſeruit ad intentum, Denique multis in locis ſacr. Script. dantur præcepta filiis vt obediant parentibus in licitis, & honeſtis. *Prouerb.1. ad Epheſ.6. ad Coloſſ.3.* & alibi ſæpè. Iam verò contrahere matrimonium cum

cum certa fœmina honesta, concurrente vtilitate patris,& honore parentelæ,res est licita,iusta & honesta, ac proinde tenetur filius obedire.

3 Tertio suppono,patrem posse punire, & castigare filium vsque ad verbera, si filius patri sit inobediens, vel in alia materia vitiosus. Hæc satis probatur ex lumine naturali,imo ex praxi omnium gentium. Probatur etiam ex sacra Scriptura,maximè *Ecclesiastici* 7.vbi dicitur:*Filij tibi sunt,erudi illos,& curua illos à pueritia.* Primum iubet vt erudiantur filij, deinde vt curuentur punitione,videlicet corporali, disciplina,& flagellationibus necessariis. Quod adeo verum est, vt dicant Doctores communiter quod potest pater punire filium etiam Clericum, si erret, idque sine incursu excommunicationis,sicut clare colligitur *ex cap.*1.& ex cap.*cum voluntate,de sentent.excomm.*vbi glos.ver. *De familia.* ad citatum cap.*cum voluntate*,& Doctores communiter in materia excommunicationis, dum explicant Capitulum *Si quis suadente.* Quod etiam docuerunt Gentiles Philosophi,maximè Epictetus in Enchirid. dicens: *Pater est, curandum est, cedendum ei,in omnibus ferendus,cum aut obiurgat,aut verberat.* Et Romani in legibus 12.tabularum teste Hallicarnazeo *lib.*2.tantum imperium patri erga filium concedebant: *Vt posset filium, coërcere,siue verberare.siue etiam mallet occideee.* Denique ex Theologis sufficiat videre Reginald.*tom.*2.*Sum. lib.*20.*n.*41.*& seqq.*vbi cum D.Thom.Sylu.& aliis dicit posse patrem verberare filium: & ad hoc teneri quando filius malos mores induit, citat Catechismum Concilij Tridentini,& D.Antoninum.Hoc posito,

Responsio

Responsio ad primum quæsitum.

4 AD primum quæsitum dico non potuisse Parochum ob prædictam causam obligare patrem ad petendam veniam à filio; & iniustè ea de causa illi fuisse denegatam sanctiss. Eucharistiam. Prior pars probatur ex primo supposito, nam iste pater non læsit filium in honore vel cæteris bonis temporalibus iniustè: quod probo discurrendo per singulos actus relatos in informatione: primo enim, cum in platea illum percussit in dorso gladio non euaginato, illum non læsit in salute, vt patet, neque in honore iniustè; nam filium percussit, & puniuit in publico, qui in publico peccabat contra obedientiam à patre positam ne illam fœminam alloqueretur, & præterea filius illam alloquens amatoriè, peccabat contra bonos mores, & proinde potuit iustè à patre corripi, neque dedecus incurrit filius percussus à patre. Neque item pater à filio honorem, vel bonum aliquod abstulit iniustè, quando illum voluit percutere baculo: nam primo, effectus non est secutus eo quod filius baculum de manu eripuit: conatus vero ad percutiendum, effectu non secuto non obligat ad petendam veniam percussionis non secutæ: aliàs iniungi deberet restitutio, vel veniæ petitio illi, qui sola cogitatione voluit furari, vel percutere effectu non secuto, quod nullus dixit. Et confirmatur, quia in criminalibus, conatus ad crimen non punitur pœna ordinaria. Addo, quod licet iste pater de facto, baculo percuteret, non lædebat iniustè cum posset, imo deberet iustè filium errantem percutere: & proinde ob iustam percussionem filij, non tenebatur ab illo veniam postulare, poterat enim filium peccantem etiam verberare, iuxta Reginaldum supra: plus autem filius doleret,

ret, & quæreretur de patre si ab illo nudus verberaretur, quam si ab illo baculo percuteretur. Pater autem senex non sic facilè potuisset filium robustum nudare ad verbera, & proinde recurrit ad facilius supplicium per baculi fustigationem. Denique in tertio actu quando ambo rixati sunt in platea euaginato gladio, pater filium in honore, vel bono aliquo temporali non læsit, cum non dicatur quod pater fuerit in rixa aggressor, vel quod filium vulnerauit. Cum ergo in nullo prædictorum actuum pater à filio honorem, vel aliquod bonum temporale abstulerit, saltem iniustè, sequitur quod cogi non debuit ad restituendum, vel ad veniam petendam à filio, Secundo principaliter probatur: nam dato, (& non concesso) quod pater in aliquo illorū trium actuum filium læserit in honore, & aliis bonis, adhuc pater non tenebatur à filio veniam petere; nam maiorem læsionem in salute, & honore dederat filius patri illum in terram proiiciendo cum læsione brachij, & eidem in platea verba iniuriosa dicendo, illum suum patrem esse negando, ac deniqne non leuato galero ipsum pertranseundo, maius inquam hoc est damnum, & maior iniuria patri illata à filio, quam fuerit vlla iniuria à patre filio illata, vt patet: at constat quod vna iniuria per aliam iniuriam compensatur, & vnum delictum compensatur per aliud delictum: exempli gratio: Fecisti mihi vnam iniuriam, ego in recompensam aliam tibi irrogaui æqualiualentē (quidquid sit de peccato) non teneor restituere, vel veniam petere, quia delicta paria, mutua compensatione tolluntur, vt habetur expressis verbis cap. *Intelleximus, de adulter.* & cap. *Nihil* 32. *quæst.* 6. & l. *viro, ff. solut. matrim.* de quo videatur Rabell. 1. *part. lib.* 2. *q.* 18. *num.* 7. *&* 9. & proinde iuxta hanc doctrinam, maiorem obligationem petendi

rendi veniam habebat filius à patre, quam pater à filio, quia delicta non fuerunt paria, sed delictum, & iniuria facta à filio fuerunt maiora. Imo ex parte patris nec fuit delictum, neque iniuria vt probauimus. Vide Valerum Cartuxanum *lib. de different. vtriusque fori*, verbo *compensatio, differ.* 6. Facit etiam pro hoc, doctrina Nauarri *in Sum. Latina. c.* 14. *n.* 25 *in fine*: vbi agens de modo quo iniurians veniam postulare debeat ab iniuriato sic ait. Quando duo se mutuo offendunt, & amborum offensio est æquè grauis, qui prius offendit, debet prius reconciliationem petere. At vero si posterior iniuria sit maior, posterior debet prius eam petere. Sic Nauar. citatque Sylvest. At constat quod iniuria facta patri à filio fuit multo maior: ergo filius veniã debuit petere à patre, & non è contra. Et ratio naturalis id suader, nam qui maiorem iniuriam fecit plus debet, ac proinde ille veniam postulare tenetur.

5 Hinc probata manet secunda pars istius conclusionis, iniustè videlicet fecisse Parochum huic patri hac de causa sanctiss. Eucharistiam denegantem. Quod sic magis declaro: nam Sacramenta Parochiano negari non debent, nisi vel quia Parochianus aliquod graue scandalum dedit in populo, vel quia non vult facere aliquid ad quod ex præcepto tenetur, vel quia est in peccato m. publico. Iste pater circa hanc materiam non dedit scandalum in populo volens iustè punire filium. Item non tenetur ex præcepto petere à filio veniam ob multa dicta *num.* 4. præcedenti: neque proinde ea de causa, qua veniam non petit, est in peccato, vt constat ex dictis: ergo non illi possunt denegari Sacramenta, cum Sacramentorum denegatio sit pœna grauissima, & infamans, & æquiualet excommunicationi, quæ priuat Sacramentorum receptione. Si autem

hic Parochus dicat, se illum patrem priuasse Sacramenti sanctiss. receptione, eo quod nollet filio iniuriam condonare, & illum ad suam antiquam amicitiam,& conuersationem admittere, dico, quod neque ob hanc causam illum potuit à Sacramentorum receptione excludere vt statim dico,& probo in responsione ad secundum quæsitum.

Ad secundum quæsitum

6 AD secundum quæsitum dico quatuor. Primum est, quod iste pater nunquam potest in corde habere odium erga filium,neque illi velle malum aliquod authoritate propria inferendum.Hæc est communis Doctorum,ita vt probatione non indigeat: nam odium, & desiderium mali,est peccatum,ac peccatum nec pro vno instanti,potest admitti,vel retineri etiam si inde mille forent bona vtilia euentura.

7 Secundum dico.Iste pater nõ tenetur filium istum admittere ad antiquam amicitiam,& conuersationem. Est hæc etiam communis Doctorum : illam tenet Magister *in dist.*30.D.Thom.2.2.*quæst.*147.*art.*5. & Gaët. ibid.S Anton.4 *part.tit.*6.*c.*4.§ 2.Cordub.*casu* 58. Nauar.*cit.cap.*14.*& n.*25 & *lib.Consiliorum,cons.*5. *num.*2. *de pœnit. & remiss.* Valerus Cartuxus *lib. de different. vtriusque fori.* ver.*remissio.different.*2.*num.*4 Comitolus *lib.*4.*respons. Moral quæst.*32.*ad finem.*& alij ab his citati.Probatur primo ex facto Dauidis,aliàs clementissimi erga inimicos: qui tamen 2. *Reg. cap.* 14.cum offensus fuisset antea à filio Absalone,eaque de causa illum exulare iuberet ab vrbe Hierosolyma,post aliquot annos rogatus Dauid ab amicis,& Magnatibus,vt filio exilium remitteret, remisit vt Hierosolymam rediret,

sed

sed addidit: *Faciem meam non videat.* In quo clarè ostēdit se nolle illum ad antiquam cōuersationem, & amicitiam recipere. Secundo probatur, quia iste offendens ratione offensæ mihi factæ nō est factus melioris conditionis erga me, quam alij, qui me antea non offenderant, sed potius peioris: at ego non teneor recipere ad particularem amicitiam, & conuersationem vllum hominem ex illis qui me non offenderunt: ergo minus teneor ad illam amicitiam recipere istum meum offensorem. Tertio id probat Valerus Catt. cit. ver. *remissio, different.* 4. quia per receptionem ad antiquam conuersationem censetur iniuriatus iniuriam remittere, & cedere iuri quod habebat ad prosequendam per iudicem restitutionem damni resultantis ex iniuria illata, vt ibi multis probat: at nemo tenetur condonare damnum resultans ab aliqua iniuria illata, vt statim probo in tertio dicto: ergo neque tenetur admittere iniuriantem ad antiquam familiaritatem, per quam admissionem remittitur restitutio damni per iniuriam illati. Imo addit Comitolus *cit. quæst.* 32. *num.* 18. aliquando posse talem circumstantiam interuenire, ob quam laudabiliter poterit iniuriatus offensorem non alloqui, nec illum ad amicitiam particularem admittere, vt euitetur aliquod grande malum in iniuriante, vel in iniuriato, & citat ad hoc Gabriel. Sylvest. Angelum, Tabienam, & alios.

8 Tertio dico, quod iste pater non tenetur in foro externo remittere filio iniuriam sibi illatam, licet filius pœniteat, & veniam petat: quod sic explico. Non tenetur pater cedere iuri quod habet ad faciendum per iudicem sæcularem, vel per leges vt filius iste puniatur, iuxta dispositionem legum, exhæredando illum, vel quid simile, quia hoc non est peccatum, imo licitum

petendo scilicet restitutionem damni illati per iniuriam:idque accedente iudicis authoritate.Ista conclusio est expresse Nauar.*cit.cap.*14.& Cartuxani cit.loco ver.*remissio.*Probat illam Nauar:ex tribus Capitulis iuris canonici,quæ vide,& ex Sylvest. ver. *charitas*, *q.*4. Imo addit Nauar.posse aliquando contingere vt iniuriatus obligetur non remittere, nec cedere huic iuri, sed procurare vt iniuria per iudicem puniatur, si conducat ad vtilitatem spiritualem offensoris, vel obsequium Dei,vel vtilitatem Reipublicæ, quæ in hoc casu locum habere possunt:saltem enim conducet ad bonum clarum Reipublicæ punitio istius filij, vt per illius punitionem cæteri filij contineantur in obedientia,& reuerentia erga patres suos. Et probatur adhuc conclusio: nam licet nemo possit in corde habere odium, neque vindictam per se sumere de iniuriante, neque illi velle malum: tamen non obligat Deus vt quis remittat damnum datum in salute, vel pecunia, quando damnum resultauit ex iniuria illata: alioquin, si quis per iniuriam mihi vulnus infligeret propter cuius curationem multas feci expensas cum medicis, & incurri lucrum cessans:vel si quis occidit patrem sex filiorum qui relicti sunt orphani sine remedio, non posset accusari taliter vulnerans,aut occidens de damno illato,sed tenerentur offensi totum dimittere,quod nemo dicet.

9 Quartũ dico. Tenetur hic patet in publico filium se alloquentẽ,& salutantem,alloqui,& resalutare,si ex eo quod non resalutet oriatur scandalum. Hæc etiam est communis opinio.Et probatur quoniam vnusquisque tenetur vitare scandalum pusillorum, & asseritur à Doctoribus citatis supra in secundo, & tertio dicto. Vnde infertur quod cessante scandalo, ac nemine videnti

dente, vel sciente, non tenebitur pater resalutare, vt colligitur ex Doctoribus supracitatis, maximè Comitolo *citat. num.* 18. & Valero Cartuxano *citata differentia 2. num.* 4. in medio, vbi doctè aduertit, raro aliquem posse scandalizari ex eo quod videat patrem non alloqui, vel resultare filium offensorem; non enim præsumitur quod pater id facit ex odio, sed vt filium puniat, & emendet. Raro enim pater odit filium, cum carnem suam nemo odio habeat.

10 Obiicis, ac probas teneri hunc patrem dimittere iniuriam huic filio petenti veniam, & reconciliationem. Nam Christus Dominus Matth. 6. in illis verbis, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, iniunxit nobis, vt dimitteremus iniurias nobis factas à proximis, aliàs non ipse nobis dimittet peccata nostra, vt omnes Patres, ac Doctores ibidem exponunt. Quod idem probatur ex illo Matth. 18. vbi Christus D. consulens vt vnusquisque remittat iniurias proximo iniurianti, dicit. Sic pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris: vbi ex pœna ibi iuncta videtur colligi obligatio præcepti remittendi iniurias. Ad hoc argumentum benè respondet Maldonat. ad citata verba Matth. 6. *Dimitte nobis.* Ex cuius ibi doctrina dicendum est, aliud esse iniuriam, aliud vero damnum ex illata iniuria resultans, cuius rei ibi ponit exemplum: & concludit teneri nos dimittere iniuriam proximo, non vero damnum resultans ex iniuria: & in substantia innuit, remittere iniuriam proximo, consistere in his tribus, quod scilicet ei malum non velimus: quod illum non odiamus, quod de illo per nos ipsos vindictam non capiamus. Ecce in quibus consistit remissio iniuriæ, & ad hoc omnes tenentur. Damnum vero causa-

tum ex illatione iniuriæ uemo tenetur ex præcepto remittere iuxta dicta *n.*8.ſed ſolũ ex conſilio,niſi fortè proximus offendens ſit in extrema, vel graui neceſſitate:tunc enim ab illo nõ poſſemus experere compenſationem damni temporalis illati, poteſt iuuari, ſeu explicari hæc reſponſio per illud aliud dictum Chriſti D.circa inimicos conſulentis: Benefacite iis, qui oderunt vos,Luc.6.in quibus verbis,vt conſtat,non iniungit præceptum vt inimicis noſtris exhibeamus noſtra bona temporalia, vel vt illis inſeruiamus obſequio ſpeciali:hoc enim tantum eſt in conſilio,vt praxis Eccleſiæ obſeruat.Si vero ibi aliquod præceptum interuenit, eſt quod alloquamur inimicum, reſalutemus, non odiamus, non illi mala imprecemur, nec vindictam propria authoritate ſumamus.

Ad tertium quæſitum.

11 AD tertium quæſitum dico, poſſe hunc patrem exhæredare hunc filium in ſuo teſtamento,illumque priuare omnibus bonis, quæ aliàs ab ipſo patre poſſet poſt mortem accipere.Hæc concluſio eſt diffinita in iure ciuili communi,& particulari iſtius Regni Portugalliæ. Habetur expreſsè in Authent. *vt cum de appell. cognoſc.* §.*cauſas autem*,& in l.4.*& duabus ſeqq.tit.7.part.6.*vbi ponuntur 14.cauſæ ob quas poteſt pater filium exhæredare.Prima eſt,ſi filius patri manus iniuriosè iniiciat.Secunda, ſi filius contra patrem in præſentia verba iniurioſa proferat:remittitque ibidem lex iudicis arbitrio,iudicare quæ in hac materia ſit grauis iniuria patri à filio illata,& ſufficiens ad filium exhæredandum.Eaſdem duas cauſas exhæredandi ponit lex Portugalliæ *lib.* 4. *Ordin. tit.* 88. §.4.*&* 5.cum eadem

dem declaratione, seu remissione ad iudicis arbitrium. Idem habetur in glossa in cap. *Quintauallis, de iureiur.* in verb. *Exhæredaret.* Tenent etiam vnanimiter Doctores Theologi, maximè Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 170.* Reginald. *tom. 2. lib. 20. num. 37. & seqq.* Sylu. ver. *hæreditas, 2.* Couar. ad c. *Raynutius, de testam. in principio.* & multi alij ab his citati. Nec debent videri rigorosæ illæ leges filium exhæredantes ob has duas causas, duosve actus commissos & perpetratos à filio contra patrem, aut matrem: siquidem Deus eosdem duos actus in lege veteri pœna mortis plecti iubebat, quæ est pœna grauior exhæredatione. Exodi 21. habetur: *Qui percusserit patrem suum, aut matrē, morte moriatur.* & cap. 20. Leuitici, dicitur: *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur.* Nā vt ait Plutarchus opusc. de pietate erga fratr. post peccata commissa in Deum, nullum est peccatum grauius quam offensa facta parentibus, quibus nostrum esse corporeum debemus, & nunquam possumus æquale reddere. Verba Plutarch. sunt hæc. *Neque vestigiii vllum extat impietatis manus, quam contemptus, & delictum aduersus parētes.* Quæ applicando ad nostrum casum: constat quod iste filius manus iratas iniecit patri, quando baculum de manu patris excutiens, patrem proiecit in terram cum brachij læsione, & comminutione: fuit enim hæc manuum iniectio iniuriosa, violēta, & peccaminosa. Nam vt explicat Molina *cit. disput. in principio*, hæc iniectio manuum filij erga patrem, est explicanda sicut iniectio manuum facta erga clericum ad incurrendam censuram excom. constat vero quod si iste filius cum his circumstantiis manus iniiceret in Clericum, maneret excommunicatus: ergo illas iniiciens in patrem incurrit pœnam exhæredationis. Item, si prædictæ leges exhæ-

redant filium iniuriosa verba patri dicentem, idque remittunt iudicis arbitrio: quis iudex non arbitrabitur hunc filium grauissimam iniuriam verbalem irrogasse patri, cum post rixam in platea iniurias multas eidem patri dixit, de quibus iudex inquiret: item cum ibidem negauit illum esse patrem suum, illumque patrem ferè habere erubuit: & denique cum illum obuiam habens leuato galero non salutabat? Consurgit profecto ex his omnibus grauissima iniuria filij erga patrem. Quod vt clariùs constet, considero à simili, quam iniuriosum sit filiũ negare patrem suũ. Christus D. Matth. cap. 10. dixit: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo.* D. Lucas idem aliis verbis referens, ait cap. 9. *Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua.* Ergo à simili, cum iste filius negauerit patrem suum, & illum ferè erubuerit coram multis in publico, iustum videtur, vt pater possit illum similiter negare priuando illum hæreditate per testamentum. Quod item grauis fuerit iniuria istius filij obuio patri caput non discooperire, nec salutare, colligitur ex eo quod Deus in Leitic. *cap.* 19. præcipiebat, vt cuncti senibus quibusque reuerentiam exhiberent, vbi versu 32. dicitur: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Pro quo multa congerit Lorinus ad citatum locum ex multis Philosophis, & historiis. Et in particulari citat duos versus Iuuenalis, qui de Romanis sic refert. *Credebant grande nefas, & morte piandum, si iuuenis vetulo non assurrexerit.* Citat etiam Aristotelem 9. *Ethic. cap.* 2. dicentem hanc reuerentiam iuuenis erga senem ostendi in hoc, vt ei assurgatur, vt de sede, & accubatione superiore descendatur, &c. similia præstentur. Citat etiam Calliistratum dicentem, ideo Romanos hanc reuerentiam iuuenum

erga

erga ſenes commendaſſe, vt alienis honorem habendo, parentes magis honorarent. Si ergo graue delictum reputabant gentiles cuicumque ſeni non aſſurgere, eidemque reuerentiam non exhibere: grauior omnino iniuria huius filij iudicanda eſt, qui patri ſuo proprio obuiam facto, neque caput diſcooperuit, neque vt patrem reuerentiauit.

12 Contra hanc concluſionem obiicis, & probas, hunc filium nō incurriſſe pœnam exheredationis contentam in citatis legibus. Nam vt explicat Molina, & Reginaldus cit. locis, & alij, ſi filius manus iniiciat in patrem, vt ſe à patre defendat, quia ſcilicet pater filium inuadit: tunc non poteſt exhæredari, quia vtitur iure ſuo, & lex naturalis dictat vt quis ſe defendat ab inimico inuadente, & ad hoc citat Molina, Couarruuias. At conſtat quod hic filius quādo patri manus iniecit, proiiciens ad terram cū brachij colliſione, defendebat ſe à patre filium cum baculo, ſeu pallio inuadente: ex tali namque percuſſione poterat vita filij periclitari: ergo cum patri manus iniecerit ob ſuam iuſtam defenſionem, non incurrit pœnam exhæredationis: ſicut omnes Doctores dicunt, percutientem Clericum, qui ſe inuadit, non incurrere excommunicationem, quia id facit ob ſuam iuſtam defenſionem.

13 Ad hoc argumentum reſpondeo cum eodem Molina, & Reginaldo dicentibus filium non eſſe exhæredandum ob iniectionem manuum in patrem, ob ſui iuſtam, & legitimam defenſionem: at filius iſte cum patri baculum de manu excuſſit, illumque ad terram proiecit, non eſt vſus legitima, & licita defenſione, ſed illicita. Probo clarè, quia pater licitè, ac iuſtè filium baculo percutere volebat ob filij inobedientiam, & malos mores amoritios, vt ſupra diximus in tertio ſuppo-

sito: ergo filius non defendebat se iustè à patre sic iustè illum castigare volente: nam aliàs daretur bellum iustum pro vtraque parte, si scilicet pater iustè posset punire, & filius posset iustè repugnare etiam cum damno illato patri: quod bellum iustum pro vtraque parte Doctores non admittunt: addit quod pater filium baculo percutiens non intendebat, nec poterat sic filium occidere: nam baculo percutiens non præsumitur velle occidere maximè si sit pater, vt probat Iulius Clarus *in praxi crimin. §. homicidium, n. 5.* referens casum similem, qui contigit Neapoli. Quod magis declaratur, & confirmatur per ea quæ tradit Sylvest. verb. *homicidium 3. quæst. 4. dicto 3.* & Tabiena verb. *irregularitas 2. num. 3.* dicentes, quod defensio illicita illius, qui licitè impugnatur, non excusat illum ab irregularitate, cum se sic illicitè defendat: at iste filius illicitè se defendebat à patre illum punire volente: ergo non excusatur per illam manuum iniectionem in patrem. Secundo dico, quod quoad secundum casum quando iste filius euaginato gladio cum patre rixatus est, non constat quod pater fuerit aggressor, & sic per hoc filius non excusatur ab illa rixa. Deinde licet pater fuerit aggressor quoad rixam, & filius initio rixæ posset se defendere à patre iustè, non poterat finita rixa, dicere patri verba iniuriosa, neque illum negare esse patrem suum. Nam transacta rixa, ac defensione, patrem iniuriare, non pertinet ad defensionem, sed offensionem: vt enim benè probat Reginaldus cit. loco, seu, *tom. lib. 30. tract. 2. num. 106.* deducens id ex duobus iuris Capitulis, quando aliquis se defendit ad propulsandam vim sibi illatam: id non decet facere ad vindicandam iniuriam præteritam, id enim esset se vindicare, sed solum debet propulsare vim præsentem. Vnde

de hic filius dicens patri iniurias post rixam, non se defendit, sed vindicauit, & iniuriauit: idemque fecit, scilicet iniuriare, quando patrem transeuntem non salutauit leuato galero. Secundo principaliter respondeo ad hoc argumentum cum doctrina Doctorum, quam Doctores colligunt ex cap. *suscepimus, de homicid.* cum glossa ibidem ver. *tutelæ*, & Summistis ver. *Irregularitas* quando agunt de defensione facta cum moderamine inculpatæ tutelæ: vbi dicunt, quod vt se aliquis iustè defendat à præsente violentia, inter alia debent hæc concurrere. Primo, vt si potest fugere fugiat, si illi fuga indecora non sit. Secundo, vt saltem clamet, ac vociferetur. Tertio, vt pro defensione faciat minus quod facere potest, quod tunc seruabit, si illud tantum fiat, quo omisso vis illata repelli non posset. Quarto, vt si possit se defendere percutiendo, vel vulnerando, non occidat. Iam vero hic filius hanc Regulam nō seruauit in sua defensione. Quando enim pater prius baculo illum voluit percutere, poterat filius sine opprobrio patrem fugere, vt patet, & non illum ad terram allidere: poterat item baculum de manu excutere, & non patrem ad terram prosternere. Item, quando cum patre rixatus est euaginato gladio in platea, etiamsi pater esset aggressor, poterat fugere per plateam publicam sine opprobrio, nullum enim dedecus est filio patrem iratum fugere. Tertio, in eadē rixa excessit filius, quando finita rixa patri dixit iniurias, & negauit illum esse patrem suum, & caput postea non discooperiebat, hæc enim omnia finita rixa, non pertinebant ad iustam defensionem, sed ad claram iniuriam, & offensionem. Vide inter alios Reginaldum *citato tract. 2. a num. 105.*

14 Quod attinet ad secundam partem istius tertij quæsiti, quomodo scilicet hic filius debeat à patre exhæredari,

hæredari, dico id facere debere patrem in testamento posito,& expresso proprio nomine istius filij,& exprimendo causam ob quam illum priuat hæreditate, quia scilicet sibi talem,ac talem intulit iniuriam: postea defuncto patre, filij hæredes debent coram iudice probare interuenisse illam causam exhæredandi à patre in testamento relatam; & iudex debet sententiam exhæredationis pronunciare. Ita Sanch. *lib.3.de matr.disp.* 33.*num.*4.*& seqq.* Quod si pater voluerit hæredes post mortem suam liberare ab hoc onere probationis,poterit pater dum viuit coram iudice agere, & dum testes ac res sunt in memoria recenti, poterit coram iudice probare causas exhæredationis, illisque probatis tenebitur iudex ferre sententiam exhæredationis, qua sententia pronunciata non erit necessarium illum in testamento exhæredare. Adhuc pro maiori istius rei doctrina aduerto Molinam *citat. disputatio.* 170. §. Dubium præterea est, dicere quod licet iste filius ante mortem patris egerit pœuitentiam, per quam sufficienter peccatum, & ingratitudinem suam purgauerit si tamen pater illum in testamento exhæredauit, non potest filius mortuo patre illam suam pœnitentiam, & satisfactionem allegare, vt cum aliis ad hæreditatem admittatur:nam vt ait Molina, etiamsi pœnitentia deleat, ac purget crimen in foro interno coram Deo, non tamen id facit coram hominibus, nec impedit quin possit executioni mandari pœna in legibus assignata,vt multis exemplis praxis quotidiana obseruat.

CASVS

CASVS V.

De duabus dispensationibus circa matrimonium cum duobus obtentis à Summo Pontifice.

QVidam vir obtinuit à summo Pontifice dispensationem contrahendi matrimonium cum quadam fœmina sua consanguinea intra quartum gradum, allegans quod habitaret in oppido paruo,& esset vir nobilis, & quod in illo oppido non reperiretur ferè aliqua fœmina nobilis sibi æqualis quæ nõ esset sibi consanguinea,vel alio impedimento impedita: nec posset facilè extra suum oppidum aliam non consanguineam ducere:obtenta dispensatione, & celebrato matrimonio incurrit scrupulum,eo quod in dicto suo oppido vna,vel altera fœmina sibi æqualis,& non consanguinea erat, cum qua potuit contrahere absque dispensatione,Quæsitum fuit an talis dispensatio valida fuerit, eo quod narratio falsa fuisse videtur.

Alius copulam habuit cum quadam fœmina consanguinea formato conceptu, & spe formali, vt propter copulam transactam facilius dispensationem impetraret à Papa. Postea dispensationem obtinuit expressa copula in narratione, sed tacuit se copulam habuisse cum spe facilioris impetrationis, quæ taciturnitas videtur vitiasse obtentam dispensationem,& proinde matrimonium virtute illius contractum fuisse nullum,iuxta illa quæ tradit Concil.Trid. *sess.24.cap.5. de matrim.*Quod enim ea circumstantia habitæ copulę cum spe facilioris impetrationis dispensationis obtinendæ

nendæ, sit exprimenda in narratiua, tenet Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 25. cum Gutier. Ludoic Lopez, Rodrig. Corduba, & aliis quos citat, & sequitur.

1 Ad primum quæsitum respondetur, quod licet in illo oppido fuerit vna, vel altera, vel tres fœminæ pares non consanguineæ, vel duo, aut tres viri æquales fœminæ non consanguinei inter quos matrimonium contrahi posset absque dispensatione, si tamen maior pars sibi parium suæ ciuitatis, vel loci insignis quem inhabitat fœmina, sunt ei consanguineæ, vel affines intra quartum gradũ, narratiua non fuit falsa, nec matrimonium fuit irritum, sed dispensatio fuit valida. Ita in terminis tenet Sanch. *lib. de matrim. dub.* 19. *à n.* 14. citans Nauar. Petrum Ledesma, Ludouicum Lop. Graffis. Veg. rationem reddunt hi omnes, quia cum matrimonia debeant esse libera, & multas conditiones exigant vt conuenientia, & paria iudicentur, expedit valdè vt fœmina non ad vnum, vel alterum tantum virum ducendum arctetur, sed sint matrimonia varia, ex quibus detur optio. Licet autem hi Doctores ponant casum, siue exemplum in fœmina contrahere volente in oppido vbi maior pars virorum æqualium sunt consanguinei: ego posui exemplum in vito contrahere volente matrimonium cum consanguinea in oppido paruo, in quo maior pars fœminarum sibi parium sunt illi consanguineæ, vel affines, est enim vtrobique eadem omnino ratio.

2 Ad secundum quæsitum dico primo, quod si solus habuit copulam cum illa formali spe facilius impetrandæ dispensationis, neque id fœminę declarauit, dispensatio obtenta fuit valida etiamsi illius spei mẽtio facta non fuerit. Sic in terminis tenet Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 25. *num.* 31. & colligitur clarè ex prædicto

cap. 5.

cap. 5. Tridentini ponentis pœnam quod careant ſpe diſpenſationis, habentes copulam cum ſpe facilioris diſpenſationis obtinendæ; quibus verbis clarè innuit requiri ad hanc pœnam incurrendam vt vterque habens copulam hanc ſpem concipiant,& quaſi ſub illa vterque paciſcatur. Vnde ſi vnus tantum hanc ſpem formet, non vitiabitur diſpenſatio ex taciturnitate illius ſpei in narratiua. Quod ſi vterque ſpem forment facilioris diſpenſationis, & ſub illa ad copulam accedant tenet Sanchez *cit. diſp.* 25. *num.* 38. diſpenſationem fore nullam, ſi taceatur illa ſpes facilioris diſpenſationis obtinendæ. Citat pro iſta opinione Nauar. Rodrig. Cordub. Ludoic. Lopez, Gut. Probat principaliter, quia ſtylus Curiæ Romanæ habet, mentem Pontificis eſſe non diſpenſare in hoc caſu niſi exprimatur illa ſpes, cum qua habita eſt copula. Iam vero ſtylus Curiæ Romanæ facit ius, vt habetur in cap. *quam graui, de crimine falſi.* Et eſt quidem hæc opinio verior,& ſecurior.

3 Quæ non obſtante, puto defendi poſſe quod etiam ſi vterque copulam habeat ſub illa ſpe formali, facilius impetrandæ diſpẽſationis, idque taceant in narratiua, quoad ſpem illam, non ideo fore diſpenſationem nullam, dummodo copula exprimatur: idque præcipuè practicandum cenſerem quando illi qui ſic iam contraxerunt ſunt pauperes non valentes nouam diſpenſationem obtinere,& ſunt in bona fide. Moueor imprimis, quia ipſe Sanchez *citata diſput.* 25. *num.* 37. dicit hanc opinionem ſecundam teneri à Nauar. *lib.* 4. *conſil. tit de conſanguin. conſil.* 5. *n.* 5. & ab Henriquez *lib.* 11. *de matrim. c.* 3. *n.* 6. & Petro Ledeſm. *de matrim. q.* 56. *art. vlt. dub.* 2. *diffic.* 3. *poſt.* 3. *concluſ. coroll.* 2. & ad illam inclinari Humadam ibi citatum. Moueor ſecundo, quia principale fundamentũ quo nititur Sanchez de ſtylo Curiæ,

Curiæ, videtur iam hodie non obligare saltem in Hispania. Nam Rodrig. *addit. ad Summ. tom. 4. c. 39. cõcl. 5.* in simili materia ait quod stylus Curiæ non obligat in Hispania: citat imprimis ad hoc Staphileum, Ferretum, Azeuedo, & Rebuffum. Et addit paucis ab hinc annis in ciuitate Toletana bis à Vicario Generali fuisse iudicatum contra stylum Curiæ. Et probant, quia ad hoc vt stylus Curiæ obliget tanquam ius commune oportet illum esse scriptum, promulgatum, & à Sum. Pontifice approbatum; quod non constat de aliquo stylo Curiæ: maximè quia hic stylus multoties mutatur pro arbitrio Sum. Pontificum, prout notant Mandos. & Rebuffus ibi citati Rodriguez: cum ergo fundamentum Sanchez de stylo Curiæ non vrgeat, poterit securè teneri opinio oppositа Henriquez, &c. Ad Capitulum vero *quam graui, de crimine falsi*, dico primo illud Capitulum esse iam antiquatum per contrarium vsum sicut aliqua contenta in corpore iuris, saltem in Decreto. Secundo dico tunc stylum Curiæ facere ius, quando talis stylus fuerit scriptus, promulgatus, & inuariabilis. Quod confirmari potest à simili, nam declarationes Cardinalium editæ Romæ authoritate Papæ circa Concilium Tridentinum, sunt inuariabiles, & tamen iuxta grauium Doctorum opinionem non faciunt ius commune, eo quod non sint promulgatæ toti Ecclesiæ. Sic sentit Deltio *lib. 6. Magic. disquis. cap. 1. sect. 3. propè finem.* Et Valero Cartuxano *lib. de different. vtriusque fori*, ver. *Nullitas, different. 5. §. Sed certè*, vbi citat Navarrum *in concl. 34. de præbend.* & alij viri doctiss. quos suppresso nomine citat Rodrig. *tom. 2. qq. q. 11. art. 2.* & fauent tradita à Sanchez *lib. 2. de matr. disp. 14. n. 4.* Si ergo hę declarationes factę authoritate Papæ cum sint inuariabiles, nõ faciunt ius commune

mune obligans totam Ecclesiam, eo quod non promulgantur vt lex communis. Minus facit ius commune stylus Curiæ non promulgatus Ecclesiæ, & quotidie variabilis pro arbitrio succedentium Pontificum.

4 Occasione duorum præcedentium dubiorum, quæ de facto contigerunt, volui hîc apponere solutionem alterius dubij similis quidem, sed fortè quotidiani, ac difficillimi, quod mihi aliquando propositum fuit: quod tale est. An in dispensatione matrimonij obtinenda inter consanguineos, vel affines, & generaliter inter eos inter quos est impedimẽtum dirimens, sit facienda mentio copulæ habitæ inter illos. Ante cuius solutionem præmitto in triplici tempore posse hanc copulam haberi. Primo, antequam Papa Romæ concedat dispensationem per expeditionem literarum, quas dirigit, seu committit Episcopo, vel Ordinario, vt cognita veritate, si ita est, dispenset cum consanguineis: vbi vides Papam per hanc commissionem factam Episcopo nondum dispensare, sed committere Episcopo vt dispenset, & sic ista copula habetur ante dispensationem. Secundo potest haberi hæc copula postquam Papa Romæ litteras commissionis direxit Episcopo vt dispenset, sed tamen antequam Episcopus causa examinat dispenset authoritate Papæ. Et hæc etiam copula habetur ante dispensationem factam, vt patet ex proximè dictis. Tertio potest contingere hæc copula postquam Episcopus examinata causa dispensauit authoritate sibi à Papa commissa.

5 Hoc posito Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 25. *à n.* 6. refert tres opiniones hac de re iuxta illa tria tempora. Prima asserit, non esse necessariam expressionem copulæ, etiamsi fiat copula antequam Papa Romæ li-

teras commissionis expediat, sed validam fore dispensationem tacita copula in narratiua. Pro hac opinione citat nouem Doctores graues, inter quos est Nauar. Ouandus, Salzedo, Bernard. Diaz, & alij. Secunda opinio posita à Sanchez *num.* 7. ait, quod si illa copula accidit antequam Papa concedat, vel committat Episcopo dispensationem, talis dispensatio erit subreptitia, & nulla; secus si contingat post expeditas literas Papæ ad Episcopum, licet Episcopus nondum causam examinauerit, & dispensauerit: si enim contingat post Papæ commissionem, valebit etiam antequam Episcopus exequatur. Pro hac secunda opinione citat duos tantum, vel tres Doctores. Tertia opinio quam sequitur ipse Sanchez *num.* 8. vt securiorem asserit reddi dispensationem subreptitiam tacita copula in narratiua inter hos impeditos, siue illa contingat ante Papæ dispensationem, seu commissionem, siue post, antequam Ordinarius illam expediat. Ex quo dicto imprimis clarè collige, quod si copula habeatur postquam Episcopus examinata causa dispensauit, non impediet matrimonium postea celebrandum, iam enim dispensatio validè facta est. Si vero copula præcedat hanc expeditionem, seu examinationem Episcopi dispensantis authoritate Papæ, dispensatio, & matrimonium subsecutum erunt nulla ex taciturnitate copulæ. Probat hoc Sanchez cum rationibus, & cum sex præcipuè Doctoribus: præcipuum vero illius fundamentum est, quia sic obseruat stylus curiæ Romanæ, vt scilicet exprimatur in narratiua copula habita ante completam dispensationem dandam. Vltra hæc dicta à Sanchez, Rabello *tom.* 1. *de obligat. iust. lib.* 4. *de matrim. propè finem sect.* 7. *cap.* 5. inter declarationes Cardinalium editas circa matrimonium, quas refert in declaratione *num.* 149.

refert

refert illos Illustriss. DD. declarasse fore dispensationem nullam datam consanguineis pro matrimonio contrahendo non facta mentione copulæ in supplicatione habitæ inter illos; idemque dixerunt de copula tacita habita inter affines, vel cognatos spirituales, vt ibi citat Rabello. Et est quidem hæc tertia opinio multo probabilior, & securior, tum ob rationes, & Doctores citatos à Sanchez, tum propter stylum Curiæ, tum propter declarationem Cardinalium citatam à Rabello, & sic ego in praxi consulerem.

6 Hoc non obstante, quæris an possit quis tuta conscientia sequi primam opinionem dicentem fore validam dispensationem inter quosque impeditos consanguinitate, vel affinitate qui dispensationem impetrarunt pro matrimonio contrahendo non facta mentione copulæ habitæ ante dispensationem. Ego attenta fragilitate humana, paupertate, scandalo, bona fide, quæ poterunt aliquando concurrere, iudico posse confessarium aliquando illis, vel parte illorum concurrentibus quietare sic coniugatos, maximè post iam factum, vtendo prima opinione, illisque dicere valide esse dispensatos. Moueor primo, quia ipse Sanch. *cit. num.* 8. licet sequatur tertiam opinionem, nihilominus in principio citati num. dicit primam, & secundam opinionem præcedentes esse probabiles. Secundo moueor, quia prima illa opinio dicens fore validam dispensationem obtentam copulæ mentione non facta, asseritur à nouem grauibus Doctoribus citatis à Sanch. *num.* 6. inter quos est Nauarrus, Ouand. Salzedo, Bern. Diaz, iam vero, vt tenet Sanch. *lib.* 1. *Decal. cap.* 9. *num.* 7. authoritas vnius tantum Doctoris si sit probatus, ac doctus, & rationes aliquas pro se adducat, sufficit vt possit quis tute secundum illius dictum operari: vnde à

fortiori poterit quis tute ſequi in paxi opinionem illam primam Nauar. Quandi, &c. cum pro ſe afferant tres rationes probabiles citatas, & poſitas à Sanchez *citato nu m.6.* Ad fundamentum vero præcipuum cui nititur tertia opinio Sanch. de ſtylo Curiæ, iam reſpondi ſupra *num.3.* ſtylum Curiæ non facere ius commune ſaltem in Hiſpania. Ad declarationem vero Cardinalium relatam à Rabello, ſimiliter diximus eodem *num.3.* illam non obligare, iuxta Doctores ibi citatos: idque ſaltem in foro conſcientiæ, maximè ſi non ſit munita, & firmata ſigillo alicuius perſonæ in dignitate conſtitutæ, prout exponit Rodriguez *citata quaſt. 11. artic.2.*

CASVS VI.

De quibuſdam ſponſalibus de futuro iuratis.

QVidam vir, & fœmina conſanguinei adinuicem intra 4. gradum ſponſalia contraxerunt iurando coram teſtibus de futuro matrimonio celebrando, non facta mentione vel conditione, ſi Papa diſpenſaret. Pater adoleſcentis eidem promiſit pro dote certam ſummam pecuniæ. Impetrata à Summo Pontifice diſpenſatione, cognouit ſponſa, quod pater ſponſi non habebat illam pecuniam, quam filio promiſerat indotem, eam enim pecuniam ante celebratum matrimonium poſtulauit, & ille dixit poſt illud celebratum ſe daturum. Cognouit item tunc primo ſponſa quod ſponſus eſſet notabiliter ludo deditus alearum, quod ſi antea ſciret, ſponſalia non iuraret.

Quæ

Quæritur an hæc mulier teneatur in foro conſcientiæ huic viro nubere : & vtrum in foro externo ille poſſit illam obligare ad matrimonium contrahendum ?

1 Credo quod iſta mulier in foro conſcientiæ non tenetur cum iſto viro matrimonium contrahere ob rationes ſequentes. Prima, quod in contractu ſponſaliorum, ſeu in verbis iuratis non expreſſerunt, *Si Papa diſpenſauerit.* Cum enim eſſent conſanguinei, & impediti ad contrahendum, debebant exprimere, ac dicere, ducam te in virum, aut in vxorem ſi Papa diſpenſauerit: iuxta probabiliorem opinionem quam citat Sanch. *lib. 5. de matrim. diſp. 5. n. 5.* vbi citat 27. Doctores Canoniſtas, & Theologos dicẽtes quod conſanguinei ſic ſponſalia celebrantes poſſunt reſilire, & contraire prædictis ſponſalibus etiam poſt obtentam diſpenſationem : & quod non tenet matrimonium inter conſanguineos ſine licentia Papæ, & tale matrimonium promittere ſine Papæ licentia, eſt malum, & peccatum, vt conſtat: at iuramentum, & promiſſio in materia continente peccatum, non obligat, imo eſt nullum per *regulam iuris 58. in 6.* quæ dicit, non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum. Alias probationes affert Sanchez *n. 5.* quas vide.

2 Secunda cauſa ob quam iſta mulier deobligatur ab iſto matrimonio, eſt, quia patet ſponſi non implet promiſſionem factam filio dandi prędictam pecuniam, fuit enim illa promiſſio quaſi conditio appoſita, ſub qua fœmina promiſit matrimonium, ac proinde conditione non impleta promiſſio fœminæ non obligaret etiamſi fuerit inrata. Pro quo videndus eſt Sanchez *lib. 1. de matrim. q. 59.* maximè *num. 2.* vbi dicit, & probat quod ſi fœminæ non detur dos promiſſa, non tenetur

vir illam ducere etiamsi promisisset,& iurasset. Et dat rationem : quia promissio dotis est veluti conditio sub qua sponsalia celebrantur,& sic deficiente conditione, non obligat promissio,nec iuramentum quia iuramentum recipit conditiones contractus,*l.fin. C.de non numerata pecunia.* Quod dictum potest, ac debet etiam applicari ad casum præsentem : quia licet id quod viro promittitur non sit propriè dos,est tamen conditio sub qua fœmina promittit matrimonium , & acceptat nubere,& proinde non impleta ista conditione non obligat fœminæ iuramentum. Et confirmatur,quia si non interueniret ista promissio de danda pecuniæ summa prædicto sponso , fœmina non promitteret , nec iurarer, vt satis constat ex iis, quæ postea contigerunt;quæ probant illam promisisse sub spe illius conditionis implendæ. Et præterea , quia vt ait Sanchez supra citatus , si post promissionem factam res notabiliter mutentur , promissio non obligat,vt etiam patet in materia voti : at post promissionem istius fœminæ res sunt notabiliter mutatæ , cum pater sponsi promissionem non impleat.

3 Tertia causa ob quam ista mulier ad contrahendum matrimonium non tenetur , est quod denuo cognouerit adolescentem sponsum ludo nimis deditum esse ; quem defectum licet iuuenis ante sponsalia iam haberet,ad sponsæ notitiam nondum venerat, idque si illa sciret, matrimonium non promitteret : quod enim in tali casu defectus ante existens, sed postea cognitus, sufficiens sit ad sponsalia dissoluenda , tenet communis opinio,quam citat Sanch. *lib.1. de matrim. disp.63.n.2.* citans multos Doctores : idem habet *eodem libro disp. 62.num.6.* vbi ait credendum esse sponso asserenti cum iuramento se non promissurum si sciret talem defectum

ctum in sponsa : quod idem dicendum de sponsa circa sponsum, cum sit eadem ratio : & hoc quod dicit credendum esse sponso iuranti, intelligit de foro interno, & externo , si probabile sit arbitrio prudentis viri, & attentis circumstantiis non fuisse promissurum cognito illo defectu. Et citat ad hoc Nauar. Couar. Mascardum, & Gratian. At satis probabile est, imo euidens est nullam fœminam velle nubere homini auidissimo ludendi, qui sua bona paucis diebus ludo exponat, ac dissipet. Videatur etiam pro eodem intento idem Sanchez *eod. libro disp. 64.* neque ad hæc sponsalia hac de causa dissoluenda necessarium est vt intercedat authoritas iudicis Ecclesiastici, si dicta causa, vel similes sunt notoriæ, vt tenet Sanchez *cit. lib. 1. disp. 69. concl. 1.*

CASVS VII.

De sponsalibus cuiusdam nobilis cum virgine defiorata, quæ erat infimæ sortis, seu conditionis.

QVidam filiusfamlias nobilis promisit, ac iurauit cuidam fœminæ virgini, & honestæ se illam ducturum in vxorem, idemque illa iurauit : & ambo habuerunt animum iurandi, & implendi iuramentum: & cum isto pacto, & confidentia inendi matrimonij illa consensit suæ defloratione. Et declaratur quod iuuenis erat annorum 19. & cognoscebat sortem, & conditionem fœminæ esse infimam, & vilem.

Quæruntur duo. Primum, an iuuenis teneatur in conscientia illam ducere non obstante inæqualitate

natalium, & non obstante quod pater iuuenis id ægrè ferat. Secundum, si saltem pater, aut iudex Ecclesiasticus possint dissoluere dicta sponsalia, attenta sponsalium disparitate.

1 Prima conclusio. Iste adolescens in conscientia, & sub peccati mortalis pœna, tenetur hanc fœminam in vxorem ducere, & dicere contrarium, esset temeritas. Probatur primo ex iure canonico, ex cap. *ex literis, il 2. de sponsal.* vbi Papa iubet, quod filiusfamilias, qui adhuc erat in potestate patris, & iurauit virgini se illam ducturum in matrimonium, cogatur ab Episcopo, etiam cum censuris eandem ducere, etiam si dicat se velle esse Religiosum. Confirmatur conclusio, quia in hoc casu concurrunt duæ obligationes graues, & naturales. Prima est sponsaliorum iuratorum, quæ magis obligant quam sponsalia non iurata, Secunda fuit defloratio virginis, cui illa consensit sub pacto, & iuramento matrimonij futuri: & manebit infamata notabiliter, si à matrimonio illam excludat. Neque obstat contra hoc disparitas natalium, quod ille sit nobilis, & illa sit infimæ sortis: nam, vt ait Sanch. *lib. 1. de matrim. disput. 14. n. 2.* citans alios graues Doctores, iuuenis sciens, & videns fœminam sibi inferiorem, & nihilominus iurans, & promittens id quod suum erat, cessit liberaliter iuri suo, seu iuri suæ nobilitatis. Eandem opinionem tenet Molina *tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 271. §. Quoddam exemplum*, vbi in alio casu difficiliori dicit: quòd si fœmina nobilis, & diues sponsalia contraxerit cum quodam viro infimæ sortis, seu plebeio, vel paupere, idque contra voluntatem patris, & consanguineorum id indignè ferentium, & scandalum capientium, teneri nihilominus talem fœminam tali sponso nubere in conscientia, sicut probat praxis Ecclesiæ,

quæ

quæ in tali casu obligat illam ad contrahendum. Minor autem infamia est in hominum æstimatione, virum nobilem nubere fœminæ inferiori, seu dispari, quam fœminam nobilissimam, ac diuitem nubere viro dispari, & ignobili. Probatur insuper, quia hoc iuramentum fuit promissorium, & factum in fauorem tertij, fœminæ videlicet: iuramentum vero factum cum his circumstantiis, neque Summus Pontifex relaxat, cum non relaxet iuramenta cum præiudicio tertij, vt dicit communis opinio relata à Vega *in Summ. 2. parte*, ver, *iuramento .casu* 49. citans. D Thom. Gaëtanum, Rodriguez, & alios. Adde quod multi nobiles hodie, sine obligatione sponsaliorum iuratorum sponte ac liberè ducunt vxores ignobiles, pauperes, vel alia infamia maculatas, idque vel ducti amore pecuniæ, vel pulchritudinis: quod ergo facit pecunia vel pulchritudo, vt ducatur in vxorem fœmina inferior, & inæqualis, cur non faciet, & obligabit vt faciat amor Dei, & iuramentum D. Majestati exhibitum;

2 Neque in hoc casu locum habet dictum Sanch. *lib. 1. de matrim. disput. 10. num. 5. & seq.* quod scilicet si vir valdè nobilis promisit fœminæ matrimonium, quæ viro multum inferior est, ac dispar in natalibus, tunc talem virum non teneri cum illa contrahere, si ex tali matrimonio scandala debent resultare, quemadmodum resultare debent ex isto de quo agimus: non inquam obstat, quia illic, vt patet ex titulo disputationi affixo, & ex dictis *num. 1.* loquitur Sanchez de illo, qui fictè promisit animo non implendi: item non loquitur de sponsalibus iuratis, & in casu præsenti ex parte adolescentis interuenit iuramentum non fictè, sed cum animo implendi, & fuerunt sponsalia iurata, & subsecuta est defloratio virginis cum pacto, & spe matri-

monij quæ omnia magnam,& ingentem pariunt obligationem, Et confirmatur per id quod tradit idem Sanchez *lib.1.de matrim.disp.44.* vbi dicit, quod contrahens sponsalia cum aliqua fœmina,& cum spe futuri matrimonij illam defloravit,talis non potest ingredi Religionem, sed tenetur illam ducere in vxorem : & dato quod illam non defloraverit, ait teneri illam ducere,si ex modo quo cum illa conversatus fuit, illa incurrere debet infamiam,si cum illo non contrahat matrimonium.

3 Secunda conclusio. Pater istius adolescentis non potest illi relaxare, seu irritare hoc iuramentum. Est conclusio certissima,,vt patebit ex mox dicēdis.Et probatur, quia pater non potest irritate iuramentum filij maioris annis quatuordecim, quando intravit annos pubertatis,id est à decimoquarto,& supra,quando iuramentum est personale, & non de rebus realibus,vt pecunia,& similibus:sed est iuramentum personale,id est, de re quam per se solum facere potest, ac debet, vt de tradenda sua persona Religioni, vel vxori, cum hæc duo facere possit absque patris licentia, neque quoad hæc duo sit sub patria potestate. Confirmo,& declaro per ea quæ Doctores communiter dicunt in materia de voto, videlicet,quod pater potest irritate votum Religionis emissum à filio ante annum 14.secus si sit emissum post annum 14.tenet inter alios Sayro *Clavi Regia,lib.5.cap.8.n.50.*citans alios, quia est votum personale independens à patria potestate. Et eadem omnino est ratio in iuramento personali circa matrimonium. Imo maior ratio datur in iuramento personali quod non possit irritari à patre, quia est iuramentum promissorium factum homini de matrimonio quod potest validè implere sine consensu patris:& iuramentum

factum

factum homini difficilius relaxatur quam iuramentum factum Deo, vt dicitur in l. *Celsus. ff. de recept. Arbitr.* vbi dicitur quod mitius agitur cum Deo, quam cum hominibus. Et quod pater possit irritare iuramentum filij maioris quatuordecim annis quando est iuramentum personale, tenet clarè Sanch. *lib. 6. de matrim. disp.* 38. *num.* 15. *&* 16. dicens cum multis Doctoribus, quod si filius iurauit sponsalia tenetur iuramento. Per quod videtur sentire, quod pater tale iuramentum nequeat irritare: & ibidem *num.* 17. idem clarius innuit. Imo idem clarius tenet Sanch. *lib.* 3. *Decalog. cap.* 20. *num.* 3. propè finem. Denique probatur ex multis textibus, & communi Doctorum opinione dicentium, quod si filiusfamilias facit contractum alium à matrimonio, & contractum firmet iuramento, si aliàs contractus est licitus, & honestus iure humano, talis contractus valet etiam repugnante patre. Citat hos text. Sanchez *citat. proximè loco, & disp. seq. num.* 1. quos ibi vide Idem tenet Molin. *cit. in* 1. *concl.* & Rabello *de obligat. iust. lib. de contract. in genere, q.* 9. *n.* 3. vbi dicit amplius, quod si contractus initus à filiofamilias est prohibitus per legem, sed non prohibetur cum irritatione actus, & filius iurauit, contractus manet validus, & citat capitulum *quamuis pactum, de pactis.* Et habetur in gloss. ad l. 1. ver. *Emptori. C. si aduersus vendition.* & Bartol. Iason, Gom. Guttier. citati à Sanchez vltimo loco proximè citato. Hic vero contractus de matrimonio ineundo est contractus licitus, honestus, & iuratus à filio, neque est contra leges, imo conformis legi diuinæ naturali, & positiuæ Ecclesiasticæ.

4 Maius dubium esse poterit an iudex Ecclesiasticus possit hoc iuramentum relaxare, videlicet, an possit Vicarius Generalis, vel Episcopus relaxare, iubendo

ne

ne tale matrimonium contrahatur: & videtur quod id possit facere per illa quæ tradit Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disput.* 14. & 62. videlicet quod si ex disparitate sponsorum, vel alia causa, secutura sunt grauia scandala, vel odium capitale inter coniuges futuros, vel alius malus exitus timetur, potest iudex Ecclesiasticus, imo debet tale matrimoniū impedire: quia nunquam iustita obligat aliquid fieri, quod sine peccato fieri nō potest: & in hoc casu probabiliter timetur odium patris contradicentis erga filium, & filij erga vxorem futuram, & scandalum consanguineorum patris: & ita colligitur ex cap. *cum in tua, de sponsal.*

5 Hoc non obstante, credo quod nec iudex Ecclesiasticus potest hoc iuramentum infringere seu relaxare, nec sponsalia ista dissoluere. Probo, nam sicut supra probaui, nec Papa relaxat iuramentum cum præiudicio tertij, quando iuramentum est promissorium, quale est hoc: ergo nec iudex Ecclesiasticus inferior id poterit facere; videatur Vega *citat. loco casu* 49. ver. *iuramentum.* Secundo probo ex praxi Ecclesiastica, quam citat Molina *loco cit.* 1. *concl.* dicens solere Ecclesiam obligare ad matrimonium, etiam quando fœmina nobilis promisit viro ignobili, licet ideo aliqui scandalizentur, & inquietentur, tale enim scandalum videtur potius Pharisaicum, quam pusillorum, seu iustum: vel potius dicendum, quod tale scandalum non est actiuum, datum scilicet à sponsis sic contrahentibus: sed est scandalum passiuum, & Pharisaicum, sumptum ex actu honesto, & licito, imo executorio actus boni, impletionis videlicet iuramenti, & restitutionis factæ à viro ob defloration em fœminę despōsatæ. Imo videtur quod maius, ac iustius scandalum orietur in populo, si viderint hominem violantem iusiurandum, & fœminæ honestæ de

defloratæ non reſtituentem : & patebit porta, vel dabitur occaſio vt ſimiles adoleſcentes nobiles pauperes fœminas honeſtas deludant ac deflorent, ſcientes quod etiam ſi illis ſub iuramento matrimonium promittant, à tali iuramento per iudicem ſunt liberandi. Et eodem modo reſpondetur ad odium, quod ea de cauſa parentes, vel conſanguinei poterunt concipere : nam ſine cauſa, & fundamento illud odium concipient, cum odiant rem iuſtam & licitam, imo debitam de iure fieri. De odio vero inter hos ipſos ſponſos non eſt cur timeatur, cum mihi dictum ſit ambos propenſos eſſe ad matrimonium contrahendum: imo etiam ſi non eſſent propenſi tenentur odium deponere, eo quod ad id ſe iuramento obligarunt. Neque Sanchez citatus videtur his contradicere, ibi enim non loquitur de ſponſalibus iuratis, ſed de ordinariis non iuratis, & factis ſine defloratione fœminæ. Hoc vero fuit iuratum promiſſum, & cum fœminæ defloratione. Nec capitulum *cum in tua, de ſponſal.* loquitur de ſponſalibus iuratis cum defloratione, ſed de ordinariis. Et confirmatur adhuc, quod iudex Eccleſiaſticus non poſſit hæc ſponſalia diſſoluere, nam iudex Eccleſiaſticus non poteſt violare leges ciuiles fundatas in lumine naturali, & quando non contradicunt Eccleſ. ſed illi ſubſeruiunt. Imo ius canonicum ſæpius ſe remittit ad leges ciuiles quando ſunt iuſtæ, & honeſtæ, ita vt quando deeſt lex canonica, iudex Eccleſiaſticus iudicet per leges ciuiles iuſtas, & rationabiles. Cum ergo ſint multi textus ciuiles dicentes validum eſſe contractum filiifamilias factum inuito patre, ſi iuramento illum confirmet, non poteſt iudex Eccleſiaſticus has leges violare hoc iuramentum relaxando. Hi textus habentur l. *tam ex contractib.* §7. *ff. de iudiciis*; & l. *filiusfalias ex omnibus* 8. *ff. de actionib.*

actionib.& obligat.& in Authent.*Sacramenta puberum.*
6 Extra informationem mihi propoſitum fuit, quod iſte adoleſcens poſt ſponſalia iurata,& poſt defloratio-nem,conſtituit procuratorem per ſcripturam, cui procuratori dedit authoritatem vt ſuo nomine duceret in vxorem prædictam fœminam. Et quod procurator virtute talis mandati illam coram Parocho,& teſtibus duxit in vxorem nomine illius adoleſcentis:ſed tamen priuſquam matrimonium cum illa prædicto modo celebraretur, adoleſcens coram teſtibus reuocauit mandatum, ſeu procuratorem factum, licet iſta reuocatio ad notitiam procuratoris non peruenerit. Ego reſpondi, & de facto dico, prædictum matrimonium fuiſſe nullum ob reuocationem mandati etiam ignoratam à procuratore. Eſt textus expreſſus in cap.*procurator. de procurat. in 6.* vbi expreſsè ſic dicitur de hac materia: *Licet tam ipſe(id eſt procurator)quam ea cum qua cõtraxit reuocationem penitus ignoraſſent,nullius momẽti exiſtit matrimonium.*Idem tenet gloſſa in cap.*Tibi Domino Ioanni 63.diſt.*ver.*& iurare.*Et eſt communis Doctorum. Quamuis enim in aliis contractibus, ac negotiis diuerſis à matrimonio, vt reuocetur validè procurator conſtitutus, neceſſarium ſit vt reuocatio perueniat ad notitiam procuratoris, aliàs facta per ipſum valebunt: tamen in negotio matrimonij, cum ſit iugum graue, & irreuocabile, decreuerunt iura, vt reuocatio procuratoris facta ante contractum matrimonij valida ſit,ſi fiat coram teſtibus, etiamſi talis reuocatio ad procuratoris conſtituti notitiam non peruenerit. Et ſi matrimonium contrahat poſt factam reuocationem ignoratam ſit nullum & inualidum. Ex hac tamen commiſſione facta procuratori ab iſto adoleſcente, ſatis cognoſcitur quam ſponte voluerit hoc matrimonium cum

cum ista fœmina contrahere, & quam sine fundamento timendum sit odium futurum inter vtrumque si de facto matrimonio copularentur.

CASVS VIII.

De quadam dispensatione obtenta cum falsa narratione.

TEmpore Gregorij X V. Summ. Pontificis, vir & fœmina consanguinei in secundo gradu, petierunt à Summo Pontifice dispensationem ad matrimonium contrahendum, allegantes infamiam, & paupertatem: ob mortem Summi Pontificis dispensatio non fuit obtenta. Summus Pontifex successor Gregorij, in principio sui Pontificatus noluit omnino cum aliquo dispensare in 1. & 2. gradu, ob solam causam infamiæ. Post aliquod tempus cœpit cum aliquibus dispensare, non ob causam infamiæ; dispensabat tamen si præcessisset copula. Prædictus vir, & fœmina nouam supplicationem Summo Pontifici præsentarunt, dicentes inter illos copulam præcessisse, cum tamen à parte rei non interuenerit. Et sic obtenta est dispensatio cum narratione falsi.

Quæritur an potuerint validè matrimonium contrahere virtute istius dispensationis sic obtentæ? Et declaratur quod tempore dicti Gregorij X V. & antecessorum illius facilè in hoc secundo gradu dispensabatur propter infamiam, & quod successor illius cœpit dispensare quando præcesserat copula, & infamia. Et isti vltra copulam falso allegatam allegauerunt paupertatem

pertatem, & infamiam veram.

1 Quod ista dispensatio fuerit inualida, & nulla, probatur, quia in illa interuenit narratio euidens falsi, vt patet clarè: at quæuis narratio falsi reddit dispensationem nullam: vt tenent multi, & graues Doctores vtriusque iuris, & Theologi citati à Sanchez *lib.8. de matim. disp.21. num.51.* Secundo, quia quando narratio falsi in supplicatione pertinet ad causam finalem, dispensatio in ea fundata corruit, vt tenent multi graues Doctores citati à Sanchez *cit. disp. num.11* at in hoc casu narratio falsi pertinuit ad causam finalem; si enim Papa sciret non præcessisse copulam, omnino non dispensaret, quia pro tunc cum nullo dispensabat deficiente copula: ergo dispensatio fuit nulla. Tertio, quia in dispensatione obtinenda necessario explicanda sunt quæ ius exprimi iubet, vel seruat stylus Curiæ, vel quæ consueuit princeps postulare pro dispensatione concedenda, vt latè probat Sanch. *citata disp. n.17. & disp.25. n.8.* At stylus Curiæ, & consuetudo successorum dicti Gregorij obseruabat, vt non dispensaretur nisi cum infamia præcessisset copula, quæ hic non præcessit: ergo dispensatio fuit nulla.

2 Pro parte affirm. quod dispensatio fuerit valida videtur clarè tenere Sanchez *cit. disput.25. n.45.* vbi postquam dixerat fore dispensationem nullam si Papæ allegetur copula falsa, quæ non præcessit non allegata alia causa: subdit statim contra Cordub. Veigam, & Rodriguez, quod si simul cum illa falsa narratione copulæ, narrata fuit vera infamia fœminæ, vel vera scandala inde secuta, vel secutura, tunc non obstante falsa narratione copulæ, dispansationem esse validam. Probat ex Couarruuia, quia copula cum consanguinea non potest recta iustitia mouere principem ad dispensandam,

fandam : cum potius ex se reddat difficiliorem dispensationem. Ad idque imponitur pœna pecuniaria. Secundo probat, quia Papa solet dispensare ad solam infamiam fœminæ, & timorem ne maneat innupta. Et in hoc casu exposita est Papæ vera infamia mulieris, vnde poterat timeri ne mulier maneret innupta. Exposita est etiam Papæ vera paupertas, ob quam etiam solent Summ. Pontif. dispensare : itaque vltra falsam copulam allegatam, narratæ sunt duæ causæ veræ, ob quas Papa solet dispensare. Et tunc præcipuè locum habet, quod habet Sanchez *citata disput.* 21. *num.* 42. videlicet quod quando in rescripto narrantur plures causæ copulatiuè, quarum aliæ veræ sunt, aliæ falsæ, spectanda est causa qua nititur rescriptum, eáque existente vera non obstare cæterarum falsitatem. Et addit, quod cum causæ narrantur disiunctiuè, sufficit alteram esse veram ne rescriptum sit subreptitium. Confirmatur amplius per id quod tradit Sanchez *citata disput. num.* 45. *in fine*, vbi ait cum quodam Doctore ibi citato valere dispensationem impetratam ex falsa relatione matrimonij initi, & consummati inter consanguineos, cum tamen nondum esset consummatū: quia similiter, imo facilius non habita consummatione solet Papa dispensare, quod exemplum videtur valdè simile ad præsentem casum. Videtur etiam Sanchez esse huius opinionis ex eo quod tradit *cit. disp.* 21. *n.* 18. citans Mandozium, & Gutier. qui dicunt, illud dictum quod Doctores dicunt, corruere gratiam tacita veritate, qua cognita Princeps minimè concessisset (quæ est causa finalis) hoc inquam dictum esse intelligendum, quando ideo remoueri principem à concessione est conforme iuri, & ex causa iusta, ac debita procedit. Secus quando procederet ex affectu, aut alia causa non considerabili ad dispen-

sationem. At in hoc casu Papam noluisse dispensare, nisi præcedente copula non videtur conforme iuri, id est, non est definitum in iure vt id præcedat: quin potius aliquando esset occasio (licet remota, & illicitè arrepta) vt aliqui accederent ad copulam cum peccato pro dispensatione facilius obtinenda. Et proinde videtur, Papam denegare hanc dispensationem non præcedente copula ex affectu, & nimio zelo ne contrahantur matrimonia inter consanguineos: quæ proinde causa non est considerabilis ad dispensationem, sed est illi extrinseca, vt videtur colligi ex dictis à Sanchez *citato num.* 18. *in principio*, & proinde dispensatio non videtur vitiata, ex eo quod Papa non dispensaret omninino si sciret defuisse copulam; quia defectus iste copulæ non est conformis iuri, nec præscriptus in iure ad dispensandum. Facit etiam pro hac opinione quod tradit Sanchez *cit. disp.* 21. *num.* 20. videlicet, quod stante dubio an causa narrata in informatione fuerit finalis, an impulsiua solum, tenendum est quod fuerit tantum impulsiua, cuius falsitas non annullat dispensationem. Et in narratione istius casus non constat clarè, quod narratio falsa copulæ, fuerit causa finalis ob supradicta, an solum impulsiua. Facit etiam quod ait ibidem Sanchez *num.* 25. videlicet, quod stante dubio an dispensatio valida sit, vt quia dubium est an satis probetur veritas narratorum, vel quia dubium est an causa tacita, vel expressa falso inter alias causas veras sit finalis, tunc dispensationem reputandam esse pro valida, quia in dubio enitendum est vt actus valeat, quod ibi probat euidenter. At in isto casu dubium est an causa copulæ falso narratæ inter duas veras fuerit causa finalis dicta narratio falsæ copulæ, ac proinde videtur stante hoc dubio teneri pro valida dispensa-

tione,

tione, cum narratæ sint præterea duæ causæ veræ ob quas solet Papa dispensare, videlicet infamia, & paupertas. Ob hæc omnia potest credi quod ista opinio teneatur à Sanchez: quod si ille eam tenet, videtur posse à quouis in praxi teneri cum sit opinio tanti viri. Ego enim in hac re nihil certum iudico nec proprium consilium interpono, sed ferè disputationis gratia supradicta collegi. Alij viderint momenta rationum, & Authorum, quos citauimus.

3 Pro eodem intento disputandi pono solutionem argumentorum adductorum in principio pro parte negatiua. Ad primum dici potest illiud dictum Doctorum, quod quæuis narratio falsi vitiat dispensationem, debet intelligi quando narratio falsi pertinet ad causam finalem, & quando cum illo falso non narrantur aliæ causæ veræ, ob quas Papa soleat, & possit dispensare: vt ait Sanchez *cit. disp.* 21. *num.* 11. *&* 32. citans multos. At in hoc casu non constat an narratio falsæ copulæ fuerit causa finalis. Et præterea vltra illam narratæ sunt duæ causæ veræ ob quas solet Papa dispensare: vide Sanchez *cit. disput. num.* 42. *&* 45. Ad secundum dici potest non constare vtrum in hoc casu narratio falsæ copulæ fuerit causa finalis, maximè cum vltra illam narratæ sint aliæ duæ causæ iam dictæ. Ad id vero quod in particulari additur, Papam non fuisse omnino dispensaturum si sciret defuisse copulam, dici potest quod hoc denegans Papa non denegaret ex eo quod esset iuri conforme, sed ex affectu, vt supra dixit Sanchez & Mandos. & Gutier. & proinde etiam tunc dispensatio non corrueret. Ad 3. dici potest 1. nullum scriptum ius præcipere vt pro ista dispensatione narretur copula præcedens, vel intercedat copula præcedens: nam in Concil. Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *de Matrim.* vbi

præcipuè agitur de dispensationibus matrimonij, neque vllum verbum de hoc ponitur: quod attinet ad stylum Curiæ, vide quæ supra dixi *casu 5. huius 3. partis num.* 3. vbi dixi ex Rodriguez stylum Curiæ non facere ius, neque obligare saltem in Hispania, vt Rodrig. ait *tom. 4. addit. ad sum.* ver. *Matrimonium cap.* 39. *concl.* 5. citans alios. Ad id quod addit argumentum debere exprimi in narratiua id quod Papat sole petere vt exprimatur, dici potest hoc idem pertinere ad stylum Curiæ, de quo proximè diximus: & hanc particularem Papæ consuetudinem non esse ius scriptum, vel publicatum Ecclesiæ. Dici potest secundo hanc consuetudinem nolendi dispensare, nisi præcedente copula non esse præscriptam à iure: videatur Sanch. *cit. disp.* 21. *num.* 18. cum ibi citatis.

Hactenus dicta, vt vides, retuli ex mente Sanch. & ferè disputandi gratia, non quod iudicium meum interponam: quinimo iudico in praxi, Sanchez opinionem non esse tenendam, sed dicendum quod ista dispensatio fuerit nulla ex narratione falsi, & quod Papa non dispensaret si sciret copulam defuisse. Videat qui voluerit, quod sibi tenendum sit in re tam quotidiana, & securius eligat.

CASVS IX.

De quodam ingresso Religionem post matrimonium ratum, cum certa dubia circumstantia.

QVidam cum spe matrimonij defloravit virginem sponte sub eadem spe consentientem: post copulam

lam, vt honorem ablatum resarciret cum matrimonio, cum eadem sic defloratā contraxit matrimonium in facie Ecclesiæ, sed celebrato matrimonio cum eadem copulam non habuit, sed statim ingressus est Monasterium quoddam Religionis approbatæ. Et declaratur, quod iste post copulam habitam promisit fœminæ se illam ducturum in vxorem.

Quæruntur duo. Primum an prædictus in foro conscientiæ possit licitè ingredi Religionem, non obstante tali matrimonio. Secundo, an dato quod Religionem intret, & in illa profiteatur, professio valida iudicanda sit. Et quidem quod licitè possit Religionem intrare, videtur probari, quia non impeditur ex parte defloratio-nis, & promissi matrimonij, his enim duobus iam satisfecit ducendo illam in vxorem, sicut de facto duxit: eo enim ipso quo matrimonium cum illa contraxit in facie Ecclesiæ, resarciuit infamiam fœminæ si quam contraxerat, talis enim infamia per matrimonium restauratur: & præterea quod attinet ad promissionem fœminæ factam de illa ducendi in vxorem, iam hoc promissum impleuit celebrato de facto cum illa matrimonio in facie Ecclesiæ. Secundo, non impeditur iste ab ingressu Religionis eo quod matrimonium de facto cum illa contraxit, quia cum post hoc matrimonium copula habita non sit, tale matrimonium non est dicendum consummatum, vt postea videbimus, sed solum fuit ratum, quod certissimum est non impedire ingressum Religionis.

1 Ante responsionem dubiorum præmitto, istud matrimonium, de quo agitur, ante quod præcessit copula illicita, sed post illud talis copula non intercessit, hoc inquam matrimonium non esse dicendum consummatum, sed tantum ratum. Probo euidenter, quia

matrimonium non consummatur per copulam antecedentem, sed per subsequentem, vt patet ex ipso verbo consummare: nam id consummat, & perficit rem aliquam, quod subsequitur, & vltimo loco succedit illi rei quam consummat, illi enim aduenit tanquam forma perficiens: forma autem est posterior materia. Quod suo modo potest etiam probari ex illo dicto Christi D. Ioan. 19. *Consummatum est*. Hoc enim non dixit, nisi accedente vltimo opere suæ passionis subsecuto, ac perfecto. Secundo probo, quia illa copula præcedens hoc matrimonium fuit peccaminosa & peccatum, vt patet. Iam vero Sacramentum Matrimonij, quo est res sancta, & sacra, non debet perfici, & consummari per peccatum, seu actum peccaminosum, qualis fuit illa copula præcedens hoc matrimonium. Cum ergo post hoc verum matrimonium copula non sit subsecuta, omnino dicendum est quod fuerit solum ratum, & non consummatum. Hoc posito.

2 Ad primum quæsitum dico, hunc in foro conscientiæ non potuisse licitè post hoc matrimonium intrare Religionem. Probo, quia cum matrimonium huic fœminæ defloratæ promiserit, huic promissioni non satisfecit celebrando matrimonium ratum tantum, & illam statim relinquendo. Nam in contractibus verba sunt accipienda in significatione propria, & communi, vt omnes Doctores dicunt, & praxis obseruat, alias multa inconuenientia nascerentur: at in communi hominum vsu & acceptatione, quando alicui fœminæ promittitur matrimonium, non promittitur matrimonium ratum, tantum, sed consummatum, per quod videlicet vir se obligat ad conuiuendum mulieri, ad eam alendam, illiusque necessitates subleuandas, quod non impletur per matrimonium solum ratum,

&

& ſtatim Religionem ingrediendo. Et confirmatur quia, vt Logici dicunt, nomen æquiuocum, vel quodcumque aliud, ſtat pro ſignificato principaliori: cum ergo nomen matrimonij poſſit eſſe æquiuocum ad ratum & confirmatum, ſi nomen matrimonij ſimpliciter pronuncietur, debet accipi pro conſummato, quod eſt principale, & non pro rato ſolum. Et declaratur hoc exemplo. Nomen Religionis poteſt dici æquiuocum ad Religionem propriam cum tribus votis in Ordine Mendicantium vel Monachorum, & ad Religionem Militarium ſancti Iacobi, vel Alcantaræ, & ſimiles, quæ non ſic ſtrictè obſeruant tria vota ſicut Mendicantes, & Monachales. Quis ergo dicet, quod promittens eſſe Religioſum, implebit votum intrando, & profitendo in Ordine Militari Diui Iacobi? Non vtique quia nomen Religionis ſtat pro ſignificato principali, & magis vſitato, videlicet pro Religionibus ſtrictiſſimè ſumptis non Militaribus. Et huius opinionis eſſe videtur Sanchez *lib.* 1. *de ſponſal diſput.* 44. *à num.* 4. maximè *num.* 7. vbi generaliter ait, quod in his caſibus non ſatisfacit promiſſor ſi contracto matrimonio, non conſummato, Religionem ingrediatur. Et probat, quia tale matrimonium in ordine ad promiſſum implendum eſt ferè actus otioſus, & deluſorius, maximè ſi ex defloratione præceſſit infamia, quia ſi hæc præceſſit, cum ingreſſu Religionis, non reſtaurabitur, imo magis renouiſcet, & confirmabitur.

3 Ad ſecundum quæſitum dico, quod ſi iſto poſt illud matrimonium celebratum, illicitè in conſcientia, Religionem approbatam intret, & in illa profiteatur, valida erit profeſſio illius. Hæc probatur euidenter, primo, quia talis profeſſio non erit irrita ex eo quod iſte habeat debita, vel ſit debitis obnoxius eo quod vir-

ginem defloravit: ex hoc enim capite in rigore nihil illi debet restitutionis, quia illa sponte consensit sine vi, dolo, vel precibus importunis; scienti vero, & consentienti non fit iniuria, vt est communis Iuristarum sententia. Secundo, quia hoc debitum defloratione non annullat professionem: nam licet Sixtus V. in sua Bulla particulari annullauerit professionem illius qui professionem emitteret habens debita ciuilia. Clemens VIII. postea hanc Bullam reduxit ad terminos iuris communis; & per ius commune professio habentis debita nō est inualida, vt ego prabaui *in meo primo tomo Dubiorum Regular.* verb. *Nouitij qualitates num.* 19. & tradit Sanchez *lib.* 4. *Decalogi cap.* 19. *à num.* 2. maximè *num.* 19. Secundo principaliter, ista professio non desinet esse valida ob matrimonium ratum, vt supra probatum manet *num.* 1. huius casus. At de fide est quod professio emissa post matrimonium ratum non consummatum est valida, vt definiuit Concilium Tridentinum *sess.* 24. *canone* 6.

4 Circa proximè dicta potest oriri nouum dubium, quod credo circa hunc casum contigisse. Videlicet an si iste qui sic contraxit matrimonium ratum ingrediatur Religionem approbatam quidem, sed sit talis Religio, in qua post vota solemnia Religiosi possunt exire ab Ordine, per talem professionem dirimatur illud matrimonium præcedens ratum, ita quod taliter professus exiens ab Ordine non teneatur ad illud matrimonium redire? sit exemplum. Congregatio Sancti Ioannis Euangelistæ in Portugallia, vulgo de Sancto Eloi, *en Lisboa*, vel alia similis, est Ordo approbatus ab Ecclesia, à quo tamen professi possunt sine peccato exire absque vllo vinculo Religionis postea manente. Quæris inquam an si aliquis Religiosus ex prædictis

qui

qui post matrimonium solum ratum in aliqua Religione ex prædictis modo prædicto professus est, & postea à dicta Religione exiuit, vel expulsus est, fecerit professionem validam, per quam dissolutum sit præteritum matrimonium ratum, ita vt exiens ad illud redire minimè teneatur? Respondeo, quod attinet ad professos dictæ Congregationis S. Ioannis in Portugallia, illos in illa Religione verè professos per talem professionem ita dissoluere præteritum matrimonium ratum, vt exeuntes postea ab Ordine, non teneantur ad illud redire. Probatur ex cap. vnico, de voto, vbi ad dirimendum matrimonium duæ requiruntur conditiones, prima quod fiat votum in Religione approbata. Secunda quod sit professio verè constituens hominem Religiosum. At constat, quod dicta professio in Congregatione Sancti Ioannis Euangelistæ est facta in Ordine approbato ab Ecclesia, & multis priuilegiis Pontificiis munito, & proinde constituit professos illius in vero statu Religioso: ergo professio facta in illo dirimit omnino matrimonium ratum præteritum, etiam si taliter matrimonio rato copulatus postea à Religione exeat. Et quod taliter à Religione exiens postea non teneatur ad præteritum ratum matrimonium redire, probatur clarè, quia obligatio semel extincta non conualescit, vt habetur l. *qui res*, §. *Aream. ff. de solut. & in Regulis iuris in* 6. & Nauarrus *consil. Si de Regular. litera D.* ergo si per professionẽ istius Religionis matrimonium ratum præteritum solutum fuit quoad vinculum matrimonij, tale vinculum iam extinctum per professionem, non reuiuiscet per exitum à prædicta Religione, vel ab alia simili à qua licitum sit post professionem exire. Et sic audiui iudicatum fuisse in isto Regno circa vnum Religiosum istius Regni.

Hoc tamen matrimonium non dissoluitur per vota simplicia emissa à Religiosis Societatis IESV finito biennio nouitiatus, quia licet illa vota efficiant hominem verè Religiosum, iuxta Bullam Gregor. XIII. citatam à Sanchez *lib. 5. Decalogi, cap. 1.* tamen cum non sint vota solemnia, sed simplicia non habent vim ad dissoluendum matrimonium ratum præcedens, vt tradit Henriquez *tom 2. Sum. lib. 11. cap. 8 n. 7.* & idem tradit Sanchez *lib. 2. de matrimon. disp. 18. num. 6.* licet ibi dicat *num. 8.* probabilius esse quod per professionem solemnem in ordine Militari S. Ioannis Baptistæ dirimatur matrimonium ratum præcedens, de quo non est mens disputare.

5 Ad primum argumentum, initio positum in contrarium dicendum est talem ingressum Religionis non satisfeciſſe promissioni matrimonij, ac defloratioui mulieris per solum matrimonium ratum, tale enim matrimonium non intelligitur, quando fœminæ promittitur matrimonium, maximè quando promittitur in recompensam offensæ defloratioui, vt latius manet probatum supra *num. 2.* & ex ibi dictis patet solutio ad alia contenta in eodem secundo argumento; cumque per illud matrimonium promissioni non satisfecerit, sequitur quod licitè Religionem non potuerit ingredi stante tali debito.

Secundum argumentum nihil facit contra nos, confirmat enim responsionem ad secundum quæsitum.

***

CASVS

CASVS X.

De quodam defuncto mortuo in duello, & sepulto in loco sacro.

DVo adolescentes cõdicto inter se duello, fuerunt ad locum pugnæ cõdictum, & euanginatis gladiis vnus alterum lethali vulnere in pectore percussit, & aufugit: percussus cadens in terram manus tetendit ad cælum, & pectus pecussit, signa contritionis ostendit, sed ex defectu confessoris non fecit confessionem sacramentalem: & ita mortuus est. Parochus accepta informatione illum sepeliuit in loco sacro Ecclesiæ. Quæritur an Parochus errauerit illum sepeliens in loco sacro, & vtrum pro illo possint Missæ celebrari?

Et quod pro illo Missa celebrari non possit probatur primo, quia iste moriens in publico duello mortuus est excommunicatus per quatuor, vel quinque excommunicationes positas à variis Summis Pontificibus, & relatas à Comitolo *in summa Resp. Moralium, lib. 6. q. 13.* & aliis. At orare non licet pro publico excommunicato oratione publica, qualis est Missa, iuxta communem sententiam Doctorum, maximè D. Thom. 3. *part q. 79. art. 3.* & alios. Secundo probatur, quia hic mortuus fuit in peccato, mortuus est enim in duello prohibito lege naturali, & Ecclesiastica: pro illo autem qui moritur clarè in peccato mortali orare non licet, vt habetur in cap. *Fures, de furtis.* Et eadem argumenta similiter probare videntur non debuisse sepeliri in loco sacro. Et declaro, quod adolescens in illo articulo mortis petiuit confessionem.

1 His non obstantibus dico, & respondi potuisse pro anima illius Missas celebrari. Antequam hoc probem suppono, vt rem certam, nos non teneri euitare excommunicatum in communicatione rerum spiritualium, vel temporalium, nisi fuerit excommunicatus nominatim declaratus, vel notorius Clerici percussor : sic definiuit Martinus V. in Extrauagan. *Ad euitanda.* quam refert Nauarrus *in Summa Latina, c. 27. num. 35.* & hodie est recepta communiter in praxi. Et ideo non tenemur euitare illum, qui publicè quidem incurrit in excommunicationem, sed non est declaratus nominatim ab Ecclesia, dummodo nõ sit notorius Clerici percussor : vnde à Clerico scienter excommunicato possum validè recipere sacramenta, dummodo non sit ille excommunicatus nominatim, vel notorius Clerici percussor, vt Doctores communiter tradunt in materia excommunic. licet ibid. dicant quod licet id non possint facere vtplurimum propter scandalum, vel propter charitatem proximi : constat vero quod iste mortuus in duello, de quo quæritur, licet mortuus sit in excommunicatione, non tamen fuit nominatim per Ecclesiam declaratus excommunicatus, imo fuit à Parocho in loco sacro sepultus.

2 Hoc posito, probo argumento generali, quod pro illo possint Missæ celebrari: nam licet publicè incurrerit excommunicationem, non tamen fuit nominatim declaratus excommunicatus, vt patet, & pro excommunicato non declarato possumus orare, vt dicunt Doctores mox citandi, neque hunc excommunicatum, non denunciatum tenemur vitare in communicatione spiritualium, vel temporalium. Secundo probo, quia hic non est mortuus clarè in peccato mortali, licet enim paulo ante mortem clarè peccauerit mortaliter

liter in actu duelli, tamen finito duello ingemuit, pectus percussit dans signa contritionis, per quam contritionem mori potuit in gratia, iuxta illud, *In quacumque hora ingemuerit peccator.* & iuxta illud Publicani pectus percutientis, ac dicētis, *Deus propitius esto mihi peccatori,* propter quod descendit iustificatus: cum ergo hic sit mortuus cum his signis contritionis, clarè sequitur quod mortuus non fuit in claro peccato mortali, ac proinde poterit orari pro illo oratione publica. Ita sentit in terminis Nauar. *in Sum. Latina cap. 27. num. 36.* vers. *Ad secundum,* sic dicens. *Pro excōmunicato nō denunciato, nec notorio potest orari publicè*: & ibid. ait cum D. Thoma, quod iste talis potest sepeliri in loco sacro. Idem tenet ipse Nauar. *tom. 2. suorum operum cap. 19. de orat. conclus. 6.* dicens quod excommunicato non denunciato potest applicari Missa. *Si ostendit signa contritionis, aut si mortuus est in iis ob quæ credo illum mortuum esse extra peccatum mortale.* Sic Nauar. Hic vero mortuus est cum signis morientis extra peccatum, vt tenet Reginald. *tom. 2. suæ Sum. lib. 32. tract. 1. sect. 2. nu. 76.* vbi ait, quod possunt celebrari diuina pro illis qui excommunicati ex hac vita decesserunt cum signis cōtritionis, ob quæ merito creduntur mortui extra peccatum m. & citat Nauarrum. Idem tenet Henriquez *tom. 2. Sum. lib. 9 cap. 15. num. 3.* citans prædictam Extrauagantem Martini V. & Nauar. & dicit esse opinionem aliorum Recentiorum; verba Henriquez sunt hæc. *Imo si publicè denuntiatus non sit (qualem vitare iubet Concilium Constantiense) posset pro illo sacerdos accepta stipe offerre Missam.* Quo nihil clarius desiderari potest. Et omnes hi tam graues Doctores fundantur in cap. *à nobis. il 2. de sentent. excomm.* vbi Papa Innocent. III. loquens de excommunicato nominatim declarato, qui mortuus

mortuus est in excommunicatione absque absolutione, sed cum signis contritionis, dicit Papa quod talis excommunicatus etiam post mortem potest absolui ab excommunicetione quoad effectum sepulturæ sacræ, & vt possint fideles orare pro ipso. Et quod ibi loquatur Papa de mortuo excommunicato declarato constat ex textu in fine Capituli, vbi Papa dicit quod vt iste Clericus absoluatur seruetur forma Ecclesiæ cum Psalmo Pœnitentiali, & oratione Dominica, & aliis consuetis: quæ forma absoluendi non adhibetur ab Ecclesia, nisi in absolutione excommunicati declarati: si ergo Ecclesia vtitur illa benignitate cum excommunicato declarato vt possit orari pro illo, quomodo non vtetur cum isto non declarato cuius communicationem non prohibet in vita, & mortuus est cum signis contritionis?

3 Quod vero Parochus non errauerit dando illi sepulturam sacram, vltra quod id asseritur in terminis à Nauar. *cit. num.* 36. *Sum. cap.* 27. cum D. Thoma: probatur etiam ex iis quæ tradit Nauar. *lib.* 5. *consil. tit. de sent. excom. conf.* 24. *num.* 3. vbi dicit, quod si Prælatus posuerat excommunicationem in generali in quodam Capitulo Canonicorum, ligantem quemuis Canonicum qui certum crimen commiserit (quæ excommunicatio valet) ait Nauarrus, quod si quidam Canonicus illius Capituli, qui tale crimen antea commiserat, mortuus sic fuit, potuit sepeliri in loco sacro, & rationem reddit, quia non fuerat nominatim declaratus: & citat eandem Extrauag. Martini V. quod clarè inseruit ad casum præsentem. Nam licet hic excommunicatus de quo agimus, mortuus fuerit excommunicatus per excommunicationem generalem Ecclesiæ positam contra acceptantes duellum, non tamen fuit

ante

ante declaratus per aliquem Prælatum Ecclesiæ.

4 Obiicis Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 19. de reform.* iubet vt moriens in duello non sepeliatur in loco sacro in pœnam delicti: ergo licet iste non fuerit declaratus excommunicatus, nihilominus debet carere Ecclesiastica sepultura, iuxta prædictum Tridentini Decretum. Respondeo prædictam legem Tridentini esse pœnalem, vt patet, & proinde stricte intelligendam prout verba sonant. Cum ergo dicat priuandum esse sepultura Ecclesiastica morientem in duello, videtur in illa non comprehendi hunc, de quo agimus, quia non est mortuus in duello, sed finito duello, & mortuus est cum signis contritionis. Et præterea loqui videtur Tridentinum de illo qui moritur in duello cum claro peccato mortali sine signis contritionis, hic vero obiit cum signis contritionis.

5 Ex his facilè soluuntur omnia argumenta posita in principio pro parte contraria: dicendum enim, quod licet hic mortuus fuerit excommunicatus, non tamen fuit declaratus nominatim, & præterea mortuus est cum signis contritionis; pro tali vero sic moriente potest Missa celebrari, illique potest Ecclesiastica concedi sepultura, iuxta tres graues Doctores supracitatos, & Extrauagantem Martini V. Facit adhuc pro isto casu quod tradit Nauar. *cons. 4. de sepult.* vbi ait sepeliendam fuisse in loco sacro fœminam inhonestam, quæ inuenta est mortua in domo sui amasij variis confecta vulneribus. Non enim constat quod illa mortua fuerit in ipso actu inhonesto, sed credi potest quod amasius illam occidit extra illum actum ob aliam causam diuersam: & quod illa moriens potuerit nomen Iesu inuocare, ac de peccatis præteritis dolere: adhuc pro isto casu, & quomodo aliquis dicendus sit excom

excommunicatus declaratus, videri potest Zerola. 1. *p. praxis*, verb. *Excommunicatio.* §. *Tertium dubium.* vbi bona dicit ad intentum.

6 Obiicis, ex dictis sequi posse aliquem in excommunicatione mortuum, & ab illa non absolutum gloriam intrare, quod videtur inauditum. Probatur sequela, nam iste mortuus clarè excommunicatus propter duellum, non fuit absolutus ab ista excommunicatione per confessionem sacramentalem, vt dictum est in informatione. Item contritio vera si illam habuit, non tollit excommunicationem, quia hæc non tollitur nisi per absolutionem datam à potente absoluere, & nemo potest absoluere seipsum: & nihilominus dicis offerri posse Missas pro ipso, quibus liberetur à pœnis Purgatorij: ergo ab illis liberatus per Missas, & suffragia, poterit intrare gloriam ab excommunicatione non absolutus. Respondeo concedendo sequelam, posse videlicet aliquem intrare gloriam cum excommunicatione à qua non fuit absolutus, quia tamen aliàs existebat in gratia: quod non esse impossibile ostendo hoc exemplo probante, quod excommunicatus actualis possit esse in gratia. Nam si quis post incursam excommunicationem vera contritione pœniteat, & proponat procurare absolutionem, statim manet in gratia, cum vera contritio statim peccatum aboleat, & reponat in gratia, vt est de fide: vbi vides gratiam simul esse posse cum excommunicatione; vnde si talis tunc moriatur in gratia non habens copiam confessoris ad absoluendam excommunicationem, eo non obstante saluabitur. Addo aliud exemplum. Misit quis nuncium in Indiam, qui ibidem Clericum occideret. Antequam nuncius ad Indiam perueniat, & mandatum exequatur, mandans resipuit, doluit, confitetur sacramentaliter,

ter, reponitur in gratia de peccato præterito, nec potest via humana mandatum reuocare: post illum repositum in gratia, mandatarius in India occidit Clericum, & ex tunc mandans incurrit excommunicationem canonis *si quis suadente*. vt omnes concedunt, quia hanc non incurrit ante factam occisionem: vnde constat posse excommunicatum esse in gratia, imo & posse existentem in gratia incurrere excommunicationem ob peccatum præteritum. Et datur ratio adhuc efficacior, & clarior. Nam excommunicatio maior solum efficit, & impedit ne excommunicato dentur Sacramenta, vel ne illa ministret, solúmque tollit receptionem Sacramentorum, non vero tollit gratiam directè: effectus enim proprius excommunicationis non est tollere gratiam directè, sed Sacramenta. Si ergo quis existens in gratia per contritionem veram, & simul excommunicatus moriatur in gratia, saluabitur, quia moriens in gratia, non indiget Sacramentis quoad esse si illa aliàs recipere non potest. Ego non est inauditum, neque implicat contradictionem aliquem saluari ab excommuni catione non absolutum.

CASVS XI.

De quodam officio lectoris prouiso à Prælato contra formam edicti propositi, vt oppositores examinarentur.

IN certa Religione est statutum, vt officium lectoris Philosophiæ prouideatur per concursum oppositorum examinandorum per tres, vel quatuor Patres, qui

facto examine suffragentur pro digniori, eidémque officium lectoris conferatur. Publicato edicto Petrus cum aliis se opposuit, & facto examine, per suffragia electorum fuit electus ad officium lectoris: antequam electio publicaretur, Petrus rei ignarus, dixit Prælato se renunciare, ac desistere à prætentione talis officij. Prælatus non acceptauit renunciationem, seu desistentiam, imo illi dixit quod erat electus ad officium per suffragia examinatorum: propter quod Petrus Prælato gratias agit, manum ipsius osculatus. Hoc non obstante postea Prælatus illud officium lectoris non dedit Petro, sed alteri, qui per examen non se opposuit, nec fuit examinatus iuxta Ordinis statutum, sed tamen iam in Ordine fuerat lector Philosophiæ per tres annos.

Quæritur vtrum Petro excluso ab hoc officio lectoris facta fuerit iniuria, & proinde possit à Prælato appellare, & petere restitutionem? & an potuerit officium licitè dari illi antiquo lectori, qui per examen non concurrit cum aliis?

1 Ad hæc omnia respondeo per dicta sequentia. Quod iniustitia facta est Petro excluso ab officio: & proinde currit obligatio illud eidem restituendi, & ex consequenti non potuit illud conferri antiquo lectori non examinato. Hæc conclusio est D. Thom. Alberti Magn. Scoti, Ricard. Palud. & aliorum multorum, quos citat, & sequitur Rabello *de obligat. iust. tom. 1. lib. 3. q. 5. fol.* 145. qui omnes dicũt, quod publicato edicto, vt qui voluerit se opponat officio, vel beneficio per examen, Prælatus, vel præses oppositionis tenetur de iustitia illud conferre digniori ex illis qui se opposuerunt, & fuerunt examinati. In cuius probationem adducit multas rationes: præcipua illarum est, quia proposito edicto vt quis se opponat, & quicumque voluerit examinetur,

netur, ex tali edicto resultat contractus iustitiæ commutatiuæ inter iudicem præsidem, & oppositores, per quem Prælatus ex contractu iustitiæ obligatur stare promissis: & vocat Rabello hunc contractum, Facio vt des, id est. oppositor legit in publico, subiitque examen vt ob hæc illi daretur officium, si dignus inueniretur: at contractus iustitiæ commutatiuæ in re graui (vt est iste) non solum obligat in conscientia vt impleatur, sed etiam obligat ad restitutionem si non impleatur, vt communis Doctorum sententia tenet in materia de restitutione. Si vero respondeas, quod inter Prælatum, & subditum non cadit obigatio iustitiæ, eo quod subditus non habet velle, aut nolle, nec habet dominium alicuius rei ratione, cuius possit obligare Prælatum de iustitia? Respondeo duo. Primum est, quod licet ob dictam causam Prælatus non possit obligari de iustitia propriè loquendo, obligari tamen potest subdito naturaliter in conscientia ad seruandum pactum initum cum subdito: ad eum modum quo Dominus, licet de iustitia non possit obligari seruo, potest tamen illi obligari naturaliter in foro conscientiæ ad seruandum pactum cum seruo initum in re graui: & quod Prælatus possit obligari subdito in foro conscientiæ ciuiliter tenet clarè Sanch. *tom.*2. *Decalog. lib.*7. *cap.*8. *num.*17. citans Abbat. Nauar. Rodrig. Rabell. & alium. Secundo dico, quod ad maiorem huius rei obligationem in hoc casu facit, quod iste Prælatus vltra obligationem in foro conscientiæ ob proximè dicta, obligatur etiam ex statuto Ordinis allegato, quod iubet officium dari digniori oppositio, & examinato: Prælatus autem inferior non potest dispensare in statuto generali Ordinis, vt suppono.

2 Secundo, ex dictis sequitur, non potuisse hunc præ-

latum hoc officium lectoris dare illi alteri, qui non se oppoſuit per examen, licet aliàs eſſet dignior Petro, & licet eſſet ſufficientior ad lecturam, eo quod iam fuerat lector Philoſophiæ. Probo, quia iſte qui ſe non oppoſuit per examen, non habet ius ad hoc officium, neque inter illum, & Prælatum interuenit contractus ſupradictus natus ex oppoſitione, & examine, ſicut interuenit inter Petrum, & Prælatum: hoc vero officium non eſt conferendum ob maiorem ſufficientiam cuiuſcumque, ſed ob maiorem ſufficientiam illius qui ſe oppoſuit virtute edicti publicati, quia cum hoc ſolo initum eſt pactum, & non cum illo ſufficientiori, qui non ſubiit examen. Et confirmatur ex praxi Academiarum. Si enim vacante Cathedra Conimbricæ. & poſito edicto, duo vel tres tantum ſe opponant Cathedræ, & poſt lecturam, & examen veniat alius ſufficientior quidem illis tribus oppoſitis, & ſine examine tranſacto tempore edicti petat ſibi Cathedram concedi eo quod ſit clarè ſufficientior aliis, nunquid audietur, vel ius aliquod ad Cathedrã habebit? Minimè certè. Quod idem in iſto caſu locum habet. Hoc ipſum confirmat Rabello *citata q. 5.* citans Nauarrum dicentem, eſſe inauditum in Eccleſia quod aliquis quantumuis dignior habeat ius iuſtitiæ ad aliquod beneficium niſi per oppoſitionem, aliumve titulum, vt ei beneficium conferatur. Ille autem alius pater, qui iam lector fuerat Philoſophiæ, propter illam lecturam ſolam præteritam non habet titulum, vel ius vllum vt ſibi conferatur ſecundo hoc lectoris officium, cum id in nullo Ordinis ſtatuto Decretum ſit, vt antiquus lector Philoſophiæ obtineat denuo officium vacans eiuſdem Philoſophiæ. Et probatur amplius ex eo quod ait Rabello *cit. q. §. Quarto*, vbi ait cum Soto, Nauar. & Ledeſm. quod ſchola

ſcholaſtici, qui vacante Cathedra, eligunt aliquem extra oppoſitores examinatos, peccant, & tenentur reſtituere prædictis oppoſitoribus, digniori videlicet inter illos, ſi Cathedram non obtinuit. Quod facit nimis ad iſtum caſum; quia dantes ſuffragium in Cathedris ſunt ferè iudices partiales illius cauſæ, & proinde peccant dando ſuffragium illi qui ſe non oppoſuit.

3 Hinc clarè ſequitur quod Petrus, de quo agitur, qui ſe oppoſuit, & pro quo maior pars electorum ſuffragata fuit, habet ius vt in iudicio poſtulet reſtitutionem officij denegati circa quod habet ius ad rem. Et probatur, quia habere ius ad rem eſt habere actionem ad petendum in iudicio, id quod eſt debitum ex contractu, vel ex aliqua lege. Petrus vero iſte qui ſe oppoſuit, & habet maiorem partem examinantium, ſeu ſuffragantium, habet actionem ad petendum hoc officium tum ex contractu nato expoſito edicto, tum ex lege, ſeu ſtatuto Religionis decernente vt ſibi detur.

4 Neque obſtat renunciatio, ſeu deſiſtentia quam antea Petrus fecit coram Prælato circa id officium: nam Prælatus illam non acceptauit, & renunciatio non acceptata non ſortitur effectum vllum vt praxis communis obſeruat, & dato quod Prælatus acceptaret renunciationem factam antequam examinatores darent ſuffragia, & nihilominus poſtea conſentiret vt ſuffragatores liberè darent ſuffragia, illáque darent Petro eidem, iam Prælatus per hoc factum renunciauit acceptationem renunciationis ante acceptatæ, & Petrum rehabilitauit ad ſuffragia pro illo ferenda, & ad officium obtinendum. Probo, quia Prælatus conſentiens vt ſuffragia darentur pro illo, fecit actum contrarium illi, quem antea fecerat acceptando renunciationem, & in ſubſtantia dixit per hoc factum ſe non acceptare

renunciationem præteritam. Probo, quia faciens actum contrarium in iudicio, videtur renunciare, vt patet ex l. *ad solutionem, C. de re iudic.* & cap. *cum veniſſent, de teſtib.* & cap *ſollicitudinem, de appell.* & tenent multi Doctores citati à Brunoro *in ſuis locis commun.* ver. *Actus num.* 3. qui ſunt Felin. Dec. Roman. Craueta, Ruin. & alij. At Prælatus iſte conſentiens, vt ſuffragia darentur Petro, fecit actum contrarium præteritæ acceptioni renunciationis. Maximè cum conſtet, quod iam Petrus habebat pro ſe ſuffragia quando renunciauit, & renunciatio non fuit acceptata: imo oſculata manu Prælati acceptauit officium. Confirmatur exemplo. Communis opinio docet, quod ſi ſubditus habet irregularitatem, in qua Prælatus poteſt diſpenſare, ſitque irregularitas nota Prælato. Et Prælatus dicat ſubdito vt vadat ad ordines recipiendos, non declarans quod diſpenſat in irregularitate: nihilominus eo ſolo dicto, vel facto cenſetur diſpenſare cum ſubdito, quia non requiritur, quod diſpenſatio fiat verbis. Ita Suarez *tom. de cenſur. diſput.* 41. propè finem, citans vnam gloſſam Sylueſt. Nauar. Maiolum, & alios. Quod facit ad iſtum caſum: nam dato quod Petrus de quo agitur, renunciauerit ante data ſibi ſuffragia, & ſic maneret inhabilis ad officium: cum tamen Prælatus id ſciens conſenſerit vt ſuffragantes illi darent ſuffragia, per hoc ſuum factum rehabilitauit illum, & renunciauit acceptioni renunciationis Petri antea factæ, & Confirmatur omnino *ex cap. 2. de renunciat.* vbi dicitur renunciantem ſuo beneficio cum iuramento poſſe illud iterum obtinere ſi eligatur à maiori parte Capituli, quo nihil clarius deſiderari poteſt,

Vltimo dico quod à dicto Prælato poteſt clarè Petrus appellare ad ſuperiorem, cum probatum ſit ſibi claram

claram illatam esse iniuriam, & grauamen in re notabili, quæ est clara materia, & causa appellandi, vt colligitur ex iure in titulo *de appell.* Addo quod iste Prælatus dare non poterat hoc officium lectoris illi patri, qui quondam fuerat lector Philosophiæ ante hoc edictum oppositionis publicatum; nam statutum Ordinis obstat, in quo decernitur, quod collatio istius lecturæ fiat per oppositionem præcedente edicto.

CASVS XII.

De quodam Clerico causante abortum fœminæ.

QVidam Clericus beneficium habens Ecclesiasticum, consilium dedit vt fieret abortus cuiusdam fœminæ tempore quo fœtus nondum erat animatus: sed culpa mandatarij, vel consilium petentis, factus est abortus fœtu iam animato. Hoc posito, quæruntur tria, vel quatuor.

Primum, an iste clericus incurrerit irregularitatem, eo quod abortus reuera factus est fœtu iam animato?

Secundum. An dato, quod irregularitatem incurrit, possit retinere suum beneficium secura conscientia?

Tertium. Quis possit dispensare cum illo supposito quod incurrerit irregularitatem, ob homicidium voluntarium?

Quartum. Quæritur, si iste Clericus præter abortum, ad susceptionem Ordinum, vel ad beneficium acquirendum, prius munera dedit illis qui pro illo ad hæc duo intercederent, incurrit simoniam, ac pœnas

impositas simoniacis : & an possit beneficium retinere, eiúsque fructus licitè sumere ?

1 Quoniam ex humana malitia, vel fragilitate casus iste abortus non raro contingit, & circa tempus quo fœtus animatur irrepsit vulgaris, sed non vera opinio, visum fuit ante responsionem dubiorum præmittere hanc breuem aduertentiam pro decisione similium casuum. Igitur vulgare dictum est quod anima masculi infunditur quadragesima die post coitum : anima vero fœminæ die octuagesima, & ex hac Regula volunt deducere an fuerit animatus fœtus pro euadenda irregularitate. Dico igitur hoc vulgare dictum esse falsũ. Prima enim opinio est, quod anima masculi aliquando formatur die 30. aliquando 35, aliquando 40. aliquando 45. & anima fœminæ inducitur aliquando die 45. aliquando 50. & hoc secundum minus probabilem opinionem Leuinij cap. 11. verior autem opinio Medicorum est, quod corpus masculi formatur vt longissimè die trigesima : fœminæ vero corpus vt longissimè formatur die quadragesima secũda: sic expresè tenet Hippocrates Medicorum princeps *lib. de natura fœtus n.* 10. & id probat ex purgatione mulieris, quæ post partum masculi durat triginta diebus, & post partum fœminæ durat 42. diebus vt longissimè. Cum Hippocrate tenent Lessius *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. *num.* 65. & Cornelius *super Pentat. ad cap.* 12. *Leuitici*, ad illa verba : *Sin autem fœmina peperit.* Et hæc sententia Hippocratis tenenda est : ideoque pro fabula reputandum est quod animæ fœminæ infundantur die 80. & vltra rationem medicam Hippocratis, ratio ipsa videtur id persuadere: cum enim corpus masculi, & fœminæ sint eiusdem speciei, quæ causa poterit intercedeae vt anima fœminæ in duplo tardius infundatur quam anima masculi ?

Cum

Cum ergo ad euadendam irregularitatem tutior pars sit eligenda, ac facienda maior diligentia, quæ fieri possit vt procurans abortum se credat liberum ab illa, solos triginta dies à coitu debet numerare, quia in hoc trigesimo die anima masculi infunditur: quamuis vero anima fœminæ infundatur die quadragesima secunda vt longissimè, iuxta Hippocratem, quia tamen procurans abortum nescit an fœtus sit masculus, an fœmina, se debet reputare irregularem, si post dies triginta illud causauit delictum; nisi fortè ex materiæ electione constaret clarè fœtum esse fœmineum. Quamuis enim in aliis irregularitatibus in dubio nemo se debeat reputare irregularem, in materia tamen homicidij (qualis est abortus fœtus formati) tenetur in dubio quis se reputare irregularem, vt probat Sanch. *lib.* 1. *Decal. c.* 10. n. 43. citans graues decem Doctores.

2 Hoc posito dico ad primum quæsitum, quod iste Clericus incurrit irregularitatem propter causatum abortum modo prædicto. Probo primo, nam licet consilium dederit ante animationem fœtus, hoc illum non excusat: nam adhuc fuit causa illius homicidij saltem indirectè ob consilium datum, mulier enim ex ipsius consilio abortum fecit; licet quoad tempus dilatasset: omisit enim Clericus aduertere fœminam, illique efficaciter suadere ne post fœtus animationem illum causaret. Imo addo quod licet hanc aduertentiam obnixè faceret, & nihilominus fœmina excedens consilium abortum faceret post fœtum animatum adhuc Clericus diceretur causare homicidium, & esset irregularis. Probo *ex c. vlt. de homicid. in* 6. vbi Papa decernit esse irregularem illum qui mandauit seruo, vel amico vt flagellaret certum hominem, expressè cauens, & aduertens ne illum occideret; seruus autem excedens man-

datum illum hominem interfecit. Ait Papa taliter mandantem incurriſſe irregularitatem : quia vt ait in textu: *in mãdato fuit in culpa, & hoc euenire poſſe debuit cogitare.* Quod propriè facit ad caſum iſtum: nam Clericus iſte nec monuit fœminam vt homicidium caueret, & licet admoneret, debuit cogitare, hoc potuiſſe euenire, cum fœminæ imprudẽti, & indiligenti negotium tale committeret. Probatur etiam ex cap. *Sicut ex literarum, de homic.* vbi Papa declarat fuiſſe irregularem quendam Religioſum, qui cuidam fœminæ, quam ille grauidam effecerat per zonam arripuit quaſi ludens, & illa ex tali motione fecit abortum, ſi fœtus erat animatus. Probatur etiam ex iis, quæ tradit Suarez *tomo de cenſuris, diſput. 65. ſect. 2. num. 6. §. Quoad hoc,* vbi probat incurrere irregularitatem homicidij caſualis non ſolum illum qui directè conſulit homicidium, ſed etiam illum, qui facit aliquam actionem iniurioſam, vnde ſequitur homicidium; hic vero Clericus fecit actionem iniurioſam dando conſilium, ex quo ſecutum eſt homicidium. Et citat Suarez textus, & Doctores. Adde, quod iſte dando tale conſilium, dedit operam rei illicitæ, & occaſionatæ ad homicidium, vt patet : qui vero dat operam rei illicitæ, ex qua ſequitur homicidium, eſt irregularis, licet non intendat homicidium, vt tenent communiter Doctores, maximè Reginald. *tom. 2. lib. 30. tract. 2. c 10. num. 113. & ſeqq.* Probatur inſuper ex eo quod retulimus ſupra ex Sanch. *num. 1. iſtius caſus,* quod ibi vide.

2 Ad ſecundum quæſitum dico, hunc Clericum per tale homicidium, & irregularitatem non amiſiſſe beneficium iam acquiſitum, nec fructus illius : quia ſecundum probabiliorem Doctorum opinionem irregularitas contracta poſt obtentum beneficium, non priuat

priuat beneficio, nec fructibus illius : sed solum impedit receptionem sacrorum Ordinum, vel exercitium illorum. Sic tenet Nauar. *in Summa Latina, c.27.n.49.* & Suarez *tom.de censur.disp.4.sect.2 à num.*14.maximè *num.*22.vbi citat text.glos.& Doctores. Sequitur Reginald, *tom.2.lib.*30.*tract.2.num.*10.& alij multi. Huius ratio est, quia irregularitas ex sua natura, & intrinsecè non priuat, nisi receptione sacrorum Ordinum, & vsu illorum vt patet ex definitione irregularitatis : at beneficium Ecclesiasticum, neque est Ordo sacer, neque vsus illorum: imo haberi potest à Clerico non habente Ordines sacros. Cum ergo irregularitas non priuet beneficio, poterit hic Clericus suum beneficium retinere, ac proinde licitè illius fructus possidere, & insumere, iuxta Suar. *cit.num.*22. & Sanchez citato loco. Licet autem dictum beneficium, & fructus possit retinere, benè tamen aduertit Suarez *cit.disp.*40.*num.*16. hæc sequentia. Primum, quod si beneficium est simplex cum sola obligatione recitandi horas canonicas, vel est beneficium, quod habet simplex ministerium quod potest ministrari per alium, talis beneficiarius existens irregularis, non tenetur dimittere beneficium, quia potest seruire dicto beneficio per se solum, dicendo horas canonicas, vel per alium non celebrando Missam, vel vtendo Ordinibus sacris. Si vero beneficium habet curam animarum, vel requirit personalem residentiam cum vsu Ordinum sacrorum, tunc non potest retinere, nec inseruire dicto beneficio, quia irregularis existens non potest sacros Ordines exercere : sed debet vel beneficium dimittere, vel quanta poterit diligentia procurare dispensationem irregularitatis cum moderatione sequenti.

4 Moderatio vero est, quod si talis irregularis timet quod

quod ex eo quod abſtineat à Miſſa, vel ab exercitio ordinum, delictum ſuum manifeſtabitur, & incidet in notabilem populi infamiam, poterit præmiſſa prius ſacramentali confeſſione delicti Miſſam celebrare ad euitandam infamiam, vel Ordines ſacros ad eundem finem exercere, ſed hoc ſolum illis vicibus in quibus neceſſarium ſit vitare infamiam. Et celebrans cum iſto moderamine non peccabit, nec pœnam aliquam incurret. Sic tenet Rodrig. *in ſum c.* 179. *num.* 11. *concl.* 6. citans Nauar. Caſtro, Gutier. & tenet Suarez *cit. loc. num.* 19. & hoc dummodo in diſpenſatione procuranda negligens non ſit; ſuæ vero conſcientiæ remittitur arbitrari an non celebrans incurrat infamiam, & vtrum in procuranda diſpenſatione negligens ſit. Et addit Suarez, quod ſi voluerit beneficium renunciare, valida erit renunciatio. Ratio prædictorum tradita à Rodriguez eſt communis, quia præceptum naturale de conſeruanda fama præponderat præcepto poſitiuo Eccleſiæ, quo iubet ne irregularis ſacros Ordines exerceat: hoc enim præceptum non obligat cum damno notabili infamiæ.

5 Ad tertium quæſitum dico, Epiſcopum iſtius Clerici poſſe cum illo diſpenſare in iſta irregularitate. Probo, quia licet Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reformat.* concedens Epiſcopis amplam diſpenſandi facultatem in irregularitatibus excipiat, dummodo non ſit homicidij voluntarij, irregularitas iſtius Clerici non fuit homicidij voluntarij, dans enim conſilium abortus ante fœtus animationem clarè videtur quod homicidium non intenderit, ſed ſolum voluit quod abortus fieret tempore, quo non fiebat homicidium. Cum ergo homicidium iſtius Clerici ſolum fuerit caſuale, poterit Epiſcopus ex commiſſione Trid. cit. loco facta

facta, cum illo dispensare: quod vero hoc homicidium non fuerit voluntarium, probatur ex definitione homicidij voluntarij posita à Suarez *tom. de censur. disp. 64. sect. 1. n. 3.* collecta ex Tridentino, vbi dicit, homicidium voluntarium esse illud quod fit ex proposito: & ait illud fieri ex proposito quod fit cum animo occidendi, & addit quod ius ciuile vt aliquod homicidium sit voluntariũ, requirit dolum: quæ duo defuisse videtur in hoc abortu. Sed in hoc standum est conscientiæ ipsius Clerici informantis de animo quem habuit dando consilium. Si enim clarè habuit animum non causandi abortum fœtus animati, non fuit homicidium voluntarium. Secus si animum habuit contrarium. Cum ergo vt suppono, hoc homicidum fuerit solum casuale, & occultum, non deductum ad forum contentiosum, poterit Episcopus dispensare iuxta concessionem Tridentini citatam. Potest etiam in hac irregularitate dispensare Commissarius Generalis Cruciatæ, iuxta Rodriguez *in Addit. Cruciatæ, Additione ad §. 13. num. 1. & 6.* vbi dicit quod Bulla plumbea commissionis illius hoc illi concedit, etiamsi homicidium casuale publicum fuerit? sed hoc dictum Rodriguez intelligitur pro solo regno Castellæ. Commissario enim Portugalliæ in sua Bulla non concedit pro homicidio casuali. Sed Episcopus solum potest quando est secretum.

6 Quartum quæsitum de simonia, plures ac maiores inuoluit difficultates, & ideo dico primo, absque dubio istum Clericum commisisse simoniam, illiusque pœnas incurrisse, si munera dedit pro sacris Ordinibus accipiendis, vel pro beneficio impetrando: hæc est adeo certa vt probatione non indigeat, habetur clarè 1. q. 1. cap. *Ordinationes*. & alibi sæpè. Excipitur cum datur

tur aliquid temporale post obtentum iam beneficium, vel post acceptatos Ordines sacros animo solo gratificationis, vt tenet Nauar. *in Sum. cap. 25. num. 68.* quod non videtur in hoc casu interuenisse: sed vt dicitur in informatione data sunt hæc munera ante susceptionem Ordinum & beneficij, & cum animo hæc impetrandi. Quod vero simonia committatur etiam dando aliquod temporale alicui vt intercedat pro Ordinibus sacris, vel beneficio impetrandis, tenet expresè Nauar. *lib. 5. consilior. tit. de simonia, conf. 46.* quamuis ibidem dicat non esse simoniã dare aliquid famulo, vel amico illius, qui Ordines, vel beneficium debet conferre: dummodo non det vt hæc impetret, sad vt literas executionis, vel collationis citius expediat, vel se certiorem faciat de statu negotij. Denique probatur hoc per Extrauag. Gregor. XIII. *de datis, & promissis, contra simoniacos.* quam citat Nauar. *in conf. cit.* Idem tenet Nauar. *in lib. 3. consil. tit. de præb. conf. 54. num. 2.* vbi dicit, quod in simonia, paria sunt dare aliquid collatori beneficij, vel illi qui sit causa collationis, vel renunciationis, & citat Innocentium receptum communiter.

7 Hoc posito certissimum est per multos textus, & Bullas Pontificias, præcipuè Sixti V. Gregor. XIII. & Pauli I I. & aliorum, quod simoniacus verus, & realis incurrit pœnas sequentes, videlicet excommunicationem, irregularitatem, priuationem beneficij, & inhabilitatem ad quodcumque aliud beneficium obtinendum, & suspensionem, Videatur intet alios Suar. *tom. 5. de censuris, disp. 31. sect. 4 à num. 23. vsque ad 46.* & Rodrig. *in Sum. tom. 2. c. 56. concl. 6.* & hæ pœnæ imponuntur simoniaco, tum in Ordine, tum in beneficio. Quod vero attinet ad absolutionem, vel dispensationem cum simoniaco in prædictis, Dico sequentia.

8 Primo

8 Primo ab excommunicatione simoniaci potest absolui per Bullam Cruciatæ, vt tenet Rodriguez *in explicatione Cruciatæ*, §. 13. *n.* 3. Nota, citans Nauarrum. & hoc dicit posse fieri semel in vita, & in hora mortis. Secundo in irregularitate, inhabilitate & cæteris, non potest dispensare Commissarius Cruciatæ teste Rodriguez *cit. n.* 3. *& in addit. ad Cruciatam ad* §. 9. *num.* 7. sed poterit in his omnibus dispensare Episcopus si crimen sit secretum, ex commissione supra citata Tridentini, vt sentit idem Rodriguez *Addit. ad Summam, tomo* 4. *c.* 139. & fauet Nauarrus *lib.* 5. *consiliorum, titulo de simon. consil.* 4. *n.* 2. dicens, quo ad remedium simoniaci occulti, Episcopus quatenus opus est secreto illi conferat beneficium, & loquitur de impetrante beneficium per simoniam. Et quod possit Episcopus dispensare in his prædictis faciunt multa, quæ tradit Sanchez *lib.* 2. *Decalogi, c.* 11. *à n.* 12. *vsque ad n.* 14. Aduerto etiam cum Rodriguez *tom.* 2. *Summæ verbo simonia, c.* 56. §. *Lo sexto*, & communi Doctorum, illum qui obtinuit beneficium per simoniam teneri etiam in foro conscientiæ: statim illud renunciare, & fructus etiam perceptos: quod intelligitur nisi statim obtinuerit dispensationem ad illud retinendum cum rehabitatione ad ipsum: sed quo ad restitutionem fructuum stãdum erit determinationi Episcopi.

9 Vltimo pro remedio adhuc istius delinquentis aduerto illum potuisse excusari ab incursione harum pœnarum, primo, si quando illa munera donauit fecit bona fide, nullo modo aduertens illud esse simoniam, vel quoduis aliud peccatum: nam pura, & totalis inaduertentia, seu inconsideratio excusat à pœna legis, idem dic de ignorantia inuincibili. Ita Suarez *tomo de censuris, disputatione* 4. *sect.* 8. *num.* 11. *&* 19. & Vasquez

tomo 1.

tomo 1.super 12.disput.107.cap.3.num.8. de qua ignorantia inuincibili ſtandum erit conſcientiæ delinquentis, & qualitati perſonæ illius. Difficile enim eſt hodie inueniri ignorantiam inuincibilem in re tam quotidiana,& tam prohibita: faciliúſque in hoc credi poterit omnimoda inconſideratio, quam ignorantia inuincibilis: differunt enim inconſideratio, & ignorantia. Et ratio huius eſt,quia ſi inconſideratio, vel ignorantia inuincibilis excuſauit à culpa in foro conſcientiæ,etiam excuſauit à pœna; quia culpa, & pœna ſunt correllariua,& vbi culpa non eſt,pœna non debet irrogari in foro ſaltem conſcientiæ,de quo hic agimus.Secundo modo poſſet excuſari hic Clericus à ſimonia dando illa munera, ſi non dedit principaliter ad ordines, & beneficium impetrandum, ſed principaliter dedit ob amicitiam, vel ob gratificationem alterius beneficij iam recepti: licet minus principaliter dederit etiam ob illa duo impetranda.Ita Nauar.*in citato titulo de ſimonia,conſil.23.n.4.*& alij.Sed hęc etiam excuſatio rata eſt,& difficilè in praxi conſueta. Quiſque viderit examen ſuæ conſcientiæ.

CASVS XIII.

De alio abortu cauſato à quodam Religioſo Sacerdote.

QVidam Religioſus cauſauit abortum fœtus animati: fuit abſolutus ab excommunicatione, & à peccato per potentem abſoluere: ſed in irregularitate non fuit diſpenſatus, vel quia non eſt auſus ſe prodere Prælato, vel non credebat in illa poſſe Prælatum diſpenſare

ſpenſare. Celebrauit Miſſas prout occaſio, vel neceſſitas ſe offerebat: poſtea tortus ſcrupulo, vult agere de remedio. Quæſita ſunt ſequentia.

Primum, an ſuus Prouincialis, vel etiam Prælatus localis poſſint cum ipſo diſpenſare in dicta irregularitate?

Secundum, an dato quod Prælatus Conuentualis poſſit diſpenſare, poſſit id committere alicui alteri confeſſori vt cum ipſo diſpenſet?

Tertium, an ſi iſte Religioſus ſic irregularis, fuit præſens in aliquo Capitulo etiam Conuentuali, in quo Prouinciales abſoluunt præſentes in generali, & cum illis diſpenſant in communi, cenſendus ſit talis Religioſus diſpenſatus per illam diſpenſationem generalem?

Quartum, an prædictus Religioſus poſt legitimam diſpenſationem obtentam, debeat ratificare omnes confeſſiones quas fecit in irregularitate exiſtens?

1 Ante reſponſionem dubiorum ſuppono, quod Prouinciales, & Prælati locales Conuentuum, quales ſunt Abbates, Priores, Rectores, & ſimiles habent priuilegium per communicationem, vt poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in omni irregularitate etiam homicidij voluntarij, dummodo non ſit notorium. Sic enim conceſſit Martinus V. Abbatibus D. Benedicti vt refertur *in compendio Mendicantium*, ver. *diſpenſare*, §. 24. vbi Capucinus citat Cordub. idem dicentem: & idem tenet etiam Rodriguez 1. *tom qq q.* 24. *art.* 12.

2 Quo poſito, quod attinet ad primum quæſitum Rodrig. *in* 2. *tom. qq. q.* 33. *art.* 4. *propè finem*, tenet, quod licet Prælati Regulares poſſint virtute dicti priuilegij diſpẽſare cũ ſubdito homicida voluntario, non tamen poſſunt diſpenſare cum faciente abortum fœtus ani-

mati: quia, inquit, homicidium talis abortus est qualificatum, & grauissimum, cum occidatur corpus, & anima fœtus priuetur gloria: quando vero aliquod priuilegium conceditur ad dispensandum in homicidio, non intelligitur id de homicidio qualificato, qualis est iste abortus. Citat pro se Nauarrum, id affirmantem in casu simili. Qui Nauar. *lib. 5. consiliorum, tit. de homic. cõsil.* 4. ponit hunc casum. Quidam occidit Clericum: petiit à Papa dispensationem non exprimens quod occisus fuerit Clericus, sed solum dicens se occidisse hominem. Respondet Nauar. dictam dispensationem fuisse nullam, quia illa circumstantia Clerici fuerat necessario exprimenda, quia erat crimen magis qualificatum occidere Clericum. Nihil veto loquitur Nauar. de abortu, sed ex similitudine casus, vel homicidij Clerici mouetur Rodriguez ad asserendum, non posse Prælatos Regulares dispensare in abortu fœtus animati, eo quod sit homicidium qualificatum modo supra explicato.

3 Quo non obstante ad primum quæsitum dico posse Prælatos Regulares virtute dicti priuilegij dispensare cum subdito causante scienter abortum fœtus animati. Probo, quia cum lex non distinguit, neque nos debemus distinguere, vt habetur in l. *Non distinguemus, ff. de recept. qui arbitr.* Sed Papa Martinus V. concedens prædictum priuilegium dispensandi, non facit distinctionem homicidij qualificati, vel non qualificati: ergo neque nos debemus distinguere. Probatur etiam hoc ex destructione argumenti, vel fundamenti, quo nititur Rodrig. ex Nauar. Dico enim exemplum, & dictum Nauarri non esse verum, sed potius dicendum, validam fuisse dispensationem illam datam illi homicidæ etiamsi in supplicatione non expresserit circumstantiam

ſtautim Clerici, ibi enim non erat neceſſarium illud exprimere. Sic in terminis tenet Sanchez contra Nauarrum *in lib.8 de matrim.diſp. 21. num. 22.* & remittit ſe Sanchez ibidem ad probationes huius rei à ſe adductas eadem diſputatione *num.* 18. & cauſa, ſeu ratio illius potiſſima eſt, quia irregularitas non eſt poſita ab Eccleſia delictis, eo quod ſint grauiora; nam hæreſis delictum eſt grauiſſimum, & tamen non punitur irregularitate, idémque cernitur in ſimonia, & blaſphemia. Sed poſuit Eccleſia irregularitatem pro ſuo arbitrio maximè in homicidio, ob fundamentum in illo repertum; quia ſcilicet in homicida deeſt lenitas, & manſuetudo requiſita ad Sacerdotem repræſentantē Chriſtum D. manſuetudinis, ac lenitatis exemplar. Deſtructo fundamento Rodriguez, ſeu exemplo Nauarri, deſtruitur dictum Rodriguez, & proinde manet probatum poſſe Prælatum Regularem diſpenſerare cum ſubdito in abortu animati fœtus. Hoc ipſum probo cū Corduba ad citatum locum compendij, dum explicat prædictum priuilegium Martini V. vbi Corduba perpendit, quod in priuilegio non ſpecificat Papa quod diſpenſent in homicidio voluntario, ſed ſolum dicit, quod diſpenſent in omni irregularitate: ex quo verbo generali, ait Cordub. debere nos intelligere quod prædicta conceſſio non debet intelligi de ſola diſpenſatione homicidij caſualis, quod eſt minus, ſed etiam de homicidio voluntario quod eſt maius: quia inquit verba generalia generaliter, & ſine diſtinctione ſunt intelligenda. At plus eſt in illo verbo generali intelligere homicidium caſuale, & voluntarium, quam in verbo generali homicidij intelligere non qualificatum, & qualificatum, ſeu graue, & grauius, ſeu grauiſſimum homicidium. Nam homicidium graue, vel grauius ſunt

eiusdem speciei, & solum distinguũtur secundum magis,& minus:homicidium vero casuale,& voluntarium specie sunt distincta. Addo contra id quod in particulari dicit Rodrig. Abortum scilicet fœtus animati esse homicidium magis qualificatum, eo quod occidatur corpus,& anima descendat ad limbum: nam dico quod vtplurimum,magis qualificatum, & grauius est homicidium quo occiditur adultus, quam quando occiditur abortiuus. Nam cum duo rixantur adinuicem, si sunt ambo in peccato m. vt in multis occasionibus solet contingere, is qui alium occidit, & occidit corpus, & facit vt anima vadat ad infernum damnatorum, quod grauius est quam animam abortiui vadere ad limbum puerorum: & tamen non negabit Rodrig. posse Prælatum dispensare cum suo subdito homicida voluntario secreto non notorio,qui occidit hominem qui probabiliter creditur mortuus in peccato mortali. Quod adhuc probo ex eo quod Greg. XIV. reuocauit Bullam Sixti V.circa abortum, cum tanta benignitate, vt excommunicationem Sixti reseruatam Papæ, committeret cuiuis confessori ab Episcopo approbato: exinde enim credendũ est quod irregularitatem ex abortu contractam non sic voluerit reseruare, vt nec Prouincialis,nec Generalis Ordin.potuerit in illa dispensare.

4 Adhuc pro hoc secundo dubio quærit Rodriguez *tom 1.qq.q.24.art.52.§.Quinto notandum*, vtrum Vicarius,seu Subprior Conuentus mortuo Prælato locali,vt Priore, Goardiano, & cæteris, possit in hac irregularitate dispensare? Et primo arguit quod non possit, à simili.Nam iuxta Panormit.quem citat, capitulum *Sede vacante* non succedit in his, quæ mortuus Episcopus habebat ex iure particulari, seu priuilegio, sed in illis quæ habebat de iure communi: at Prælatus Conuentualis

tualis mortuus non habebat de iure communi dispensare in irregularitate homicidij voluntarij, sed ex priuilegio : ergo Subprior, vel Vicarius Conuentus defuncto succedens, illi non succedet in hoc priuilegio particulari. Nihilominus respondet Rodriguez se credere quod dictus Subprior, seu Vicarius defuncto succedens in hoc poterit dispensare: probat dupliciter primo, quia hoc priuilegium non conceditur dignitati Abbatis præcisè, sed in fauorem animarum quod sic concessum innuit posse extendi ad personam habentem eandem omnino iurisdictionem. Secundo probat, quia beneficia principum recipiunt extensionem de vno casu ad alium similem. Quod videtur posse probari ex cap. *cum dilecta, de confirm. vtili, & inutili.* Ex illis verbis. *Nos eiusdem æquitatis similitudine prouocati.* Ego opinionem Rodriguez non reprobo. Eam tamen non admitterem, si Prælatus localis viuens absentiam faceret à Conuentu : in illius enim absentia, credo Subpriorem id non posse, nec Vicarium, quia non est sedes vacans, nec tantam iurisdictionem habet Capitulum absente Episcopo, quantam habet sede vacante per mortem Episcopi.

5 Adhuc pro ista dispensatione quam possunt concedere Prælati Regulares virtute dicti priuilegij Martini V. aduerto duo. Primum est, quod si dispensaret cum subdito in ista irregularitate ex concessione Pij V. facta Patribus Dominicanis, de qua ego dixi 1. *tom. Dubior. Regular.* verbo *Abbas*, tunc non possent dispensare cum subdito in ista irregularitate abortus animati : quia Pius V. in illa concessione concessit Prælatis Dominicanis erga suos subditos id quod Concil. Trid. concessit Episcopis *in sess. 24. cap. 6.* At ibi Concilium excepit irregularitatem homicidij voluntarij, cuius di-

ſpenſationem negauit Epiſcopis,& proinde eandem negauit Pius V. Prælatis Dominicanis. Debent ergo Prælati Regulares in hac diſpenſatione vti non illa conceſſione Pij V. ſed conceſſione citata Martini V. quæ amplior eſt. Secundo noto quod cum Martinus V. in citata conceſſione concedat poſſe Prælatos Regulares diſpenſare in homicidio voluntario, dummodò non ſit notorium : ad cognoſcendum quando crimen ſit notorium, conducit valdè quod tradit Farinacius *tom. de Inquiſitione tota q.* 21. maximè *num.* 11. 18. 39. 47. & 49. vbi ad notorium dicit requiri decem teſtes,& non ſufficere pauciores. Facit etiam quod tradit gloſſa in cap. *Manifeſta* 2. *q.* 1. *in ſummario gloſſæ*, videlicet, quod illud quod ſciunt quinque in ſecreto, adhuc dicitur occultum, vide ibi : quia ſæpius hæc in praxi contingunt non ſolum in materia homicidij, ſed etiam in aliis in quibus agitur de publico, vel notorio.

6 Ad ſecundum quæſitum dico, ſuppoſito, quod Prouincialis, & Prælatus Conuentualis poſſunt in hoc abortu diſpenſare, poſſunt etiam illud cuiuis ſuo ſubdito committere, vt cum alio ſuo ſubdito diſpenſet. Probo ex traditis à Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 40. *n.* 13. vbi dicit, quod iuriſdictio conceſſa alicui per priuilegium principis, eſt ordinaria ; quod intellige niſi princeps limitet, vt illa alteri non ſubdelegetur : & iſta authoritas diſpenſandi in homicidio voluntario cóceſſa Prælatis Regularibus à Martino V. eſt iuriſdictio principis data per priuilegium,& Martin. V. non eam reſtrinxit, ſicut Pius V. fecit in ſua conceſſione facta Prælatis Dominicanis, dicens vt per ſe ipſos diſpenſarent,& non per alios. Cum ergo hæc conceſſio Martini V. ſit conceſſio per priuilegium data, etit conceſſio, ſeu iuriſdictio ordinaria, & non reſtricta. At conſtat quod id quod quis

habet

habet ex iurisdictione ordinaria, potest alteri committere, seu delegare, iuxta communem Doctorum opinionem, de qua latè vide Sanch. *in 3. lib. de matrim. disp. 31. num. 1.* citantem Doctores, & textus.

7 Ad tertium quæsitum dico, quod si iste Religiosus post commissum hoc delictum præsens fuit in Capitulo, seu cœtu aliquo, in quo superior dixit in generali, dispenso vobiscum in omni irregularitate; talis Religiosus mansit sufficienter dispensatus in ista irregularitate, ita vt nulla amplius dispensatione indigeat: talis enim dispensatio absolutè data, fuit impensa à potente, & volente dare, & proinde debet suum sortiri effectum. Ita in terminis docet Nauar. *in Sum. Latina, c. 26. n. 13.* vbi loquens de dispensationibus, & absolutionibus datis à Prælatis Regularibus in Capitulo, in generali, subdit hæc verba. *Quod Religiosi notare debent, qui in visitationibus ab irregularitate, & aliis cẽsuris, absoluuntur à superioribus, nã esto tunc non meminerint, illæ sublatæ censentur, neque tenentur aliam quærere absolutionem, sed satisfaciũt confitendo peccata ob quæ illas incurrerint.* Sic Nauar. citans Angelum, Sylvest. & Rozele.

8 Ad vltimum quæsitum dico: quod si iste Religiosus post absolutionem legitimam à peccato abortus, & ab excommunicatione illi annexa, neque habens qui dispensaret in irregularitate, neque habens recursum ad Prælatum dispensantem, celebrauit, timens probabiliter notabilem infamiam ex omissione celebrationis, non peccauit sic celebrando, nec tenetur iterare illas confessiones, quas fecit illo tempore quo post peccatum ritè confessum, fecit, dum dispensationem non obtinuit, nec fuit in morosa negligentia illam procurandi, nec celebrauit nisi quando aliter vitare non potuit infamiam. Secus si celebrauit antequam ritè à

primo peccato abortus, & illius censura absolueretur: vel si celebrauit, sine periculo infamiæ; pro quo vide omnino quæ diximus in proximè *præcedente casu* 11. *num.*4.quæ applica ad hunc delinquentem.

CASVS XIV.

De quadam dote facta Clerico titulo patrimonij ad Ordines.

QVidam carens patrimonio, suscepit Ordinem sacrum Subdiaconatus. Huius rei misertus quidam vir pius, dixit prædicto Clerico se illi donare triginta aureos singulis annis in pecunia,vel rebus æquiualentibus,qui redditus annuus computatur pro dote sufficienti ad Ordines suscipiendos: quam summam dixit se illi donare pro suscipiendis cæteris Ordinibus sactis: & Clerico simul donauit domum contiguam sibi, in qua Clericus viueret. Et addidit donator hæc verba. *Sed manducabimus,& conuiuemus mysticè,vel simul.* Suscepit Clericus Ordines sacros sub hoc titulo, & recepit illos triginta aureos modo exposito habitans iuxta donatorem cum porta domus vtrique communi. Post aliquot anos Clericus non benè viuens, & ob tædium conceptum aduersus donantem,ex domo donatoris exiuit: & donator noluit illi amplius donare 30. aureos promissos,nec illorum æstimationem.

Quæritur, an prædictus donator potuerit reuocare hanc donationem, & negare Clerico hos 30. aureos annuos? & videtur quod sic:nam ista promissio, & donatio videtur quod fuerit cõditionalis propter illa verba

ba appoſita : *Sed manducabimus ſimul.* id eſt, dummodo manducemus, & conuiuamus ſimul. Promiſſio vero, ſeu donatio conditionalis non obligat, non impleta conditione : & Clericus non impleuit conditionem, quia noluit conuiuere, & manducare myſticè cum donatore. Secundo probatur, quia actus actiuorum non extenduntur vltra intentionem agentis, teſte Ariſtotele : id eſt, mea promiſſio non extenditur vltra illum modum, vel intentionem, quam non intendi : ſed iuxta modum quem intendi. At iſte donator quando promiſit illos 30. aureos ſolum intendit illos donare quamdiu Clericus conuiueret, & manducaret cum donante: ergo abeunte Clerico, & non conuiuente cum donatore, nec cum illo manducante, non tenetur donator ad promiſſionem implendam. Tertio, quia promiſſio poteſt reuocari à donatore, vel promiſſore, ſi poſt promiſſionem res mutentur notabiliter, vt tradunt Doctores communiter : ſicut votum factum Deo non obligat vouentem, ſi poſt votum res notabiliter mutentur : at poſt promiſſionem huius donatoris res notabiliter mutatæ ſunt, exiuit enim Clericus à domo donantis, & noluit cum illo conuiuere : ergo ad promiſſionem factam non tenetur: & præterea quod res mutatæ fuerint conſtat, quia Clericus poſtea malè vixit, quæ eſt mutatio notabilis.

1 Ante reſponſionem præmitto primo, prædictum Clericum licitè potuiſſe ſacros Ordines recipere virtute illius promiſſionis, ſeu patrimonij, loco patrimonij paterni, etiamſi alias nihil haberet vnde viueret. Cardinales enim Concil. Trid. Romæ declarant, quod Clericus carens patrimonio, vel beneficio poterat ordinari virtute alicuius donationis ſibi ab aliquo factæ, ſi eſſet congrua ad ſuam ſuſtentationem, & talis ab Epi-

ſcopo iudicata. Citat hãc declarationem Cardinalium Azor *tom.2.lib.3.cap.4.q.1.* ſed addiderunt Cardinales, dummodo donatio vera ſit, non ficta, & ſimulata. Et iſta donatio fuit vera, & ſecuto effectu. Secundo præmitto in hoc caſu, de quo quæritur, non ſolum interueniſſe promiſſionem acceptatam à donatario, ſed etiam donationem realem ſecuto effectu: nam Clericus per aliquod tempus recepit illos 30. aureos, & eſt nimis diuerſa, ſola promiſſio de futuro non ſecuto effectu, ab illa donatione, quæ iam effectum ſortita fuit, vt conſtat ex iure, praxi, & Doctoribus. Tertio præmitto quod Concil. Trid. *ſeſſ.21.c.2.de reform.* præcipit quod patrimonium, vel beneficium ad cuius titulum Clericus ordinatus eſt, non poſſit à dicto Clerico renunciari, permutari, vel alienari, niſi cum licentia Epiſcopi, & prius conſtito quod prædictus Clericus aliunde ſufficienter habet vnde ſuſtentetur. Si autẽ prædictus Clericus ſine his circumſtantiis alienauerit, vel renunciauerit dictum patrimonium, vel beneficium, talis alienatio, vel renunciatio nullius ſint valoris.

2 Hoc poſito dico prædictum donatorem non potuiſſe reuocare iſtam donationem factam Clerico. Primo, quia iſta donatio fuit vera, & realis ſecuto effectu. Et præterea donatio facta cum his circumſtantiis, & pro cauſa pia, vt eſt iſta, nõ poteſt reuocari iuxta communem Doctorum opinionem, de quo inter alios videatur Nauar. *lib.3.conſiliorum, tit.de donat.toto conſil.5.* Quod vero hæc donatio non fuerit conditionalis, & dato quod talis fuerit, non ſit de tali conditione curandum, patebit ex ſolutione ad primum argumentum. Secundo probatur, quia res donata inter viuos, & tradita donatario, ſtatim transfert dominium rei donatæ in donatarium, vt latè probat Rabello cum multis *tom.1.*

de

de obligat. iust. fol. 870. *col.* 1. At in isto casu interuenit donatio realis, & inter viuos: ergo donator transtulit dominium illorum 30. aureorum in donatarium Clericum ordinatum, qui illorum reddendorum acquisiuit possessionem, qua proinde possessione non potest donator illum priuare. Tertio, quia hi 30. aurei annuales hodie effecti sunt patrimonium Clerici ad cuius titulum susceptit Ordines sacros, vt patet ex dictis *n.* 1. At iuxta Concil. Trid. ibi citatum, patrimonium ad cuius titulum Clericus ordinatur non potest alienari, permutari, vel renunciari: ergo nec Clericus iste potest hos 30. aureos renunciare, nec proinde donator potest illos reuocare, cum non possit reuocari id quod Concilium Tridentinum prohibet alienari: alias si donator posset reuocare, conuinceretur quod fictè, & simulatè, vel validè donauerit: & confirmatur, quia si Episcopus daret alicui beneficium ad Ordines suscipiendos, vel pater alicui patrimonium ad eosdem Ordines, nec Episcopus, nec pater possent tale beneficium, vel patrimonium reuocare. Quarto probatur à simili, ex eo quod traditur in cap. *Episcopus, de præbend.* vbi præcipitur quod si Episcopus aliquem ordinauerit non habentem congruum patrimonium vnde sustentetur, nec beneficium Ecclesiasticũ, tamdiù illi necessaria ministret, quamdiù in aliqua Ecclesia, &c. Si ergo ius canonicum obligat Episcopũ, vt det alimenta Clerico à se ordinato non habenti vnde viuat, & hoc nullo præcedente ad id pacto inter Episcopum, & talem sic ordinatum: maiorem obligationem habet iste donator sustentandi Clericũ istum cum quo fecit pactũ clarum, & expressum illum sustentandi cum illis 30. aureis. Hanc opinionem videtur tenere Nauar. *lib.* 1. *consil. tit. de temporibus Ordin. consil.* 13. *num.* 3. vbi ait quod non potuit

potuit soror cuiusdam Clerici petere ab illo agrum, quem ipsi Clerico donauerat ad titulum Ordinum suscipiendorum, etiamsi talis Clericus frater illi sorori deberet summam pecuniæ ratione eiusdem agri, & citat ad hoc duos textus iuris ciuilis: & ex solutione argumentorum patebit amplius probatio istius dicti.

3 Ad primum igitur argumentum in contrarium initio positum, quod est validius reliquis, dico imprimis hanc donationem non fuisse conditionalem, sed absolutam. Nam verba illa apposita, *sed comedemus ambo simul*, non sunt conditio apposita sed solum modus donationis, qui modus non obligat, etiamsi non impleatur, iuxta communem sententiam: declarauit enim donator per illa verba, modum quo esset traditurus illos 30. aureos. Et quod prædicta verba apposita, non fuerint cõditio, probatur ex iis quæ tradunt Doctores declarantes per quæ verba apponatur conditio: & dicunt, vtplurimum solere conditionem apponi per hæc verba, *dummodo*, vel per *si*, vt si dicatur: dummodo hoc feceris, vel, si hoc feceris, vel similes. Dictio vero *sed*, non videtur idem significare, quod *dummodo*, aut *si*. Videatur hac de re inter alios Sanch. *lib. 5. de matrim. disp. 1. n. 2.* Secundo ad idem argumentum dico, quod licet illa donatio fuerit conditionalis, illa tamen conditio, quod posset alias donationes reuocare, habenda est pro non adiecta, neque vitiat donationem: nam conditiones appositæ in contractu impossibiles de iure, id est, quæ non possunt impleri nisi violato iure, non annullant contractum, vt latè probat Molin. *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 206. concl. 2.* citans multa, & Sanch. *lib. 5. de matrim. disp. 4. num. 7.* & Less. 2. *lib. de iust. cap. 18. dub. 15. num. 121.* Ista vero conditio, quod si non manducarent ambo simul, posset donator reuocare donationem,

tionem, non potest impleri sine violatione iuris Trid. prohibentis ne Clericus alienet patrimonium datum ad Ordines suscipiendos, nec proinde possibile est reuocari à donante: ergo talis conditio posita contra ius debet pro non adiecta reputari, ita vt donationem iam possessam non reuocet. Tertio adhuc probo hanc donationem non fuisse conditionalem. Nam hæc donatio facta modo prædicto fuit examinata ab Episcopo, & iudicata sufficiens ad Ordines suscipiendos, iuxta citatam declarationem Cardinalium: ergo non fuit conditionalis. Valet optimè consequentia, quia si fuisset conditionalis, non posset acceptari ab Episcopo, nec iudicari sufficiès, quia non poterat ordinare Clericum cum patrimonio dubio, & pendente à conditione futura, ageret enim Episcopus in hoc contra Concilium iubens absolutè, vt Clericus habeat patrimonium, quod intelligitur verum, absolutum, independens à conditionibus. Cum ergo ista donatio vt præsentata Episcopo debuerit carere conditione, seu illis verbis: *sed ambo comedemus.* Illi sic præsentatæ, & iudicatæ ab Episcopo tanquam absolutæ, & non conditionali standum est. Et huic donationi coram Episcopo factæ standum est, non vero illi quæ solum inter illos priuatim ordinata est.

4 Ad secundum argumentum dico, tunc intentionem agentis non extendi vltra mentem illius, quando intentio eius est libera, seu posita in libertate agentis; quando vero illa intétio est de obligatione ipsius operis, seu annexa necessario tali operi, tenetur agens operari secundum intentionem talis operis, & non potest habere aliam intentionem alienam ab opere illo. At in isto casu per illam promissionem acceptatam, donans tenetur habere intentionem debitam, seu annexam

huic

huic donationi acceptatæ, & in effectu secutæ. Secuto enim effectu non est liberum aliud, vel aliud intendere. Et potest exponi per illud quod doctores dicunt in materia de voto. Videlicet quod intendens verè vouere, seu votum facere, & non intendens se obligare, vel non exequi rem promissam, peccat mortaliter, & tenetur ad votum, vt tenet Sanch. cum communi *lib. 4. Decal. cap. 1. num. 22. & seq. & lib. 1. de matrim. disput. 9.* Ergo cum hic intenderit verè promittere 30. aureos, idque non conditionaliter, saltem coram Episcopo, vt probatum est in solutione primi, non potuit habere intentionem talem, per quam ille effectus impediretur. Et confirmatur dictum Aristotelis, nam is qui promittit facere rem aliquam, ad quam faciendam lex præscribit certam intentionem, tenetur adhibere prædictam intentionem legis, non vero suam intentionem propriam. Vt qui promittit dicere Missam pro aliquo certo, tenetur intentionem applicare pro illo, & non pro alio: ergo cum iste donator promiserit donare hos 30. aureos, & de facto donauerit, debuit habere intentionem præscriptam à lege, videlicet à Concilio Trid. iubente, vt donatio facta Clerico pro ordinibus recipiendis, sit absoluta, vera, realis, & non dubia, seu dependens à conditionibus. Et declaratur ex traditis à Sanchez *cit. loco 4. Decal. num. 25.* vbi ait, quod vouens intendens vere vouere, & conscius obligationis ex voto consurgentis, licet tunc illius non meminerit, tenetur ad votum, quia implicitè voluit se obligare. At hic donator sciebat obligationem consurgentem ex Concilio Trident. vt ille mihi dixit, & proinde licet non intenderet se obligare nisi illo suo modo, implicitè, & virtualiter, voluit se obligare iuxta mentem Tridentin. obligantis ad veram, & absolutam donationem,

nem,non dependentem à conditionibus.

5 Ad tertium dico, quod quando Doctores dicunt donatorem posse reuocare donationem, intelligitur, antequam illa sortiatur effectum per possessionem acquisitam à donatario in re donata: secus si iam donatarius possessionem, ac dominium rei donatæ acquisierit. Si enim post possessionem iam acquisitam superueniat ingratitudo, vel res notabiliter mutentur, non poterit reuocare:sic tenet Rabello *cit.tom.lib.8.quæst.9. num.1.& 9.* At in isto casu iam donatarius acquisiuerat possessionem illorum 30. aureorum, vt dicitur in informatione, ac proinde non poterit illos reuocare. Et in particulari de illo quod additur in informatione, hunc Clericum post donationem malè vixisse, quæ causa fortè fuit vt à domo donatoris exiret, vel à donatore expelleretur:dico quod ex hac causa, quod malè vixerit, non potuit donatio reuocari. Pro quo facit lex istius Regni *lib. 4. Ordinat. tit. 55.* vbi ponuntur quinque causæ ex quibus causatur ingratitudo sufficiens ad reuocandam donationem; & nulla illarum est si donatarius vixerit malè in sua persona, vel si discesserit à domo donatoris. Ad hoc enim vt sit ingratus necessarium est, vt donatarius inferat aliquod malum directè personæ donatoris, quod in isto casu non euenit. Et adhuc respondeo ad illud quod addit argumentum, post donationem istam res valdè fuisse mutatas. Dico enim cum Rabello proximè citato, quod hoc intelligendum est de mutatione notabili, ita vt inde promissionis impletio reddatur impossibilis, vel illicita, vel damnosa,vel inutilis donāti,vel donatario, quorum nihil in hoc casu interuenit ex eo quod isti Clerico reddantur 30. aurei extra domum donatoris, vt patet discurrendo per omnes particulas proximè positas.

CASVS

CASVS XV.

De quadam venditione tritici annualis, non ſtatim oblato redditu annuali tritici.

QVidam vir nobilis vendidit Petro certam ſummam tritici reddendi ſingulis annis, quæ ſumma Luſitanè dicitur, *dous moyos de renda.* Quæ ſumma tritici appretiata fuit pretio ſexcentorum quinquaginta aureorum. Venditor habens neceſſitatem pecuniæ, antequam ſcriptura venditionis fieret, petiuit à Petro, vt ſtatim totam illam pecuniam donaret, & ſcripto particulari ſe obligauit intra certos dies facere ſcripturam venditionis, vel ad reddendam totam pecuniam receptam. Petrus totam pecuniam pretij tradidit ſtatim venditori. Propter certum impedimentum ortum circa tales redditus annuales tritici, ſcriptura non eſt facta in menſe vno aſſignato. Emptor videns illos redditus annuales eſſe dubios, & ſcripturam venditionis non fieri, petiuit à venditore vt vel triticum prædictum quotannis reddendum aſſignaret in alio agro non litigioſo, vel ſingulis annis dum ſcriptura non fiebat, ſibi emptori daret ſingulis annis illos duos modios, ſeu *moyos de trigo*, donec ſcriptura venditionis fieret. Et ita factum eſt, nam per quatuor annos in quibus ſcriptura facta non eſt, venditor dedit Petro *duos illos modios*, vel *moyos de trigo.*

Quæritur an Petrus in conſcientia poterit hoc triticum annuale recipere loco pecuniæ iam traditæ emptori? Et videtur quod non poſſit. Nam illud non po-

tuit

tuit recipere ratione venditionis, & emptionis. Nam venditio illa nulla fuit donec ſcriptura venditionis facta non fuit, vt expreſsè habet lex iſtius Regni *lib.4. Ordinat.tit.*8.§.3.& probat Rabello *lib.9.de oblig.iuſt. tom.*1. *quaſt.*1.*Sect.*1.*n.*9. cum ergo emptio fuerit nulla in vtroque foro non poterit emptor ex hoc titulo venditionis illud annuale triticum recipere. Secundo videtur quod non poſſit illud recipere ratione cenſus: nam iuxta Motum proprium Pij V. ad validitatem cenſus debet interuenire Notarius publicus coram quo, & teſtibus numeretur pecunia, quæ omnia hic defuerunt. Neque tertio potuit hoc triticum recipere ratione contractus ſocietatis: in contractu enim ſocietatis non deſignatur certa ſumma reddenda ex lucro: & in hoc certa ſumma tritici reddenda deſignata fuit ſingulis annis reddenda. Nec denique apparet ex quo alio iuſto titulo hæc ſumma tritici recipi potuiſſet: ergo videtur reſtituenda. Et fuit hic caſus litigatus coram tribunali Regio.

1 Hoc non obſtante, credo prædictum emptorem potuiſſe in conſcientia hos redditus annuales recipere ſingulis annis antequam ſcriptura venditionis fieret per quatuor annos, neque ad reſtitutionem teneri. Probo primo, quia Petrus dans hanc pecuniam ante ſcripturam, & ante traditam poſſeſſionem, nullo modo intendit mutuare pecuniam, vt conſtat, ſed intendit facere contractum emptionis eo modo quo poſſet fieri, non amittendo intereſſe ſuæ pecuniæ, & ſic intendit facere contractum bona fide: & licet Motus proprius Pij V. de cenſibus in hoc caſu ſeruatus non fuerit quoad emptionem cenſus ob cauſam allegatam, nihilominus in hoc contractu non defuerunt conditiones naturales requiſitæ ad emptionem cenſus fun-

datam in bonis venditoris. Ad cuius intelligentiam aduerto quod in citato Motu Pij V. ad validã emptionem census requiruntur 12 vel 13 conditiones, quorum aliqua deficiente emptio census non valet. Quo non obstante dicit Reginald. *tom. 2. lib. 25. n. 415.* citans Nauarrum, Valentiam, & Molinam, qui omnes dicunt, Pium V. non interdisse per illum Motum proprium definire vsurarium esse contractum census, in quo deesset aliqua ex conditionibus ibi assignatis: sed solum voluit ad securitatem illas conditiones in census emptione concurrere: & aliàs prædictus contractus præsumeretur vsurarius in foro externo. Quo non obstante dicunt citati Doctores, quod si in foro conscientiæ constiterit, quod in emptione prædicti census non interuenit fallacia, & quod datum est iustum pretium cum cæteris conditionibus requisitis de lumine naturali, tunc emptio talis census est valida in foro cõscientiæ, licet non concurrant conditiones requisitæ à Pio V. Conditiones vero requisitæ de lumine naturali ad validam emptionem census, sunt quatuor tantum, vt refert Reginald. *cit. lib. num. 411.* & Rabello *cit. tomo lib. 10. q. 7.* quæ conditione in substantia sunt. Prima, vt census fundetur in re fructifera, quod hic interuenit, positus est enim census in possessionibus fructiferis venditoris. Secunda, quod ematur iusto pretio, quod hic etiam seruatum est: tradita enim illa pecunia iudicata fuit publicè iustum pretium pro illo redditu annuali tritici. Tertia, vt si perdatur in toto, vel in parte res immobilis, super quam fundatus est census, sic etiam amittatur respectiuè in toto, vel in parte, id est, diminuatur redditus annualis census, quæ etiam conditio hic non fuit. Quarta, quod non vendatur res immobilis super quam fundatus est census, absque licentia

centia emptoris,quæ etiam hic interuenit. Hæ sunt in substantia quatuor conditiones requisitæ de lumine naturali,licet citati Doctores illas diuerso modo enumerent. Cum ergo hæ conditiones in hoc contractu census interuenerint, dicendum est contractum istum fuisse licitum in foro conscientiæ, licet in illo defuerint conditiones requisitæ à Pio V.qui solum decreuit de foro externo,& præsumptiuè,

2 Secundo principaliter probo Petrum non teneri ad restituendum hunc annuum redditum tritici receptum, ex eo quod tradit Valent. *tom.3. disput.25. punct.1. & 2.*& Vega *2.p. summæ*,ver.*vsura,casu vltimo*, & alij dicentes esse licitum istum contractum,videlicet: Do tibi centum, vt quotannis reddas mihi quinque, saluo capitali. Addit Valentia quod etiamsi contrahentes non specificent aliquem contractum specialem, possunt ibi tria concurrere,videlicet,vel contractus societatis, & assecurationis, cum assecuratione, vel mutui cum lucro cessante, & damno emergente. Nam cum centum communiter singulis annis lucrentur decem, vel vndecim, ego paciscor tecum contractu societatis, quia do pecuniam, & tu ponis industriam,& ex decem quæ debet lucrari mea pecunia, remitto tibi quinque pro assecuratione meæ pecuniæ, ne pereat: & ad hoc ait Valentia cum Vega, quod si ego dedi alicui hæc centum, videns quod ille habet possessiones fructiferas, vel habet industriam negotiandi vt mihi respondeat cum lucro iusto, quamuis illi non declarem, velle me contractum societatis, vel assecurationis, vel damni emergentis: contractus est licitus, & possum ego recipere illa quinque absque determinatione expressa contractus societatis,emptionis census,vel cæterorum, sed solum ex generali quadam intentione lucrandi il-

la quinque aliquo modo quo licitè fieri possit attentis circumstantiis personarum. Quæ omnia in hoc contractu euenerunt. Nam iste emptor dedit suam pecuniam fundatus in possessionibus fructiferis venditoris,& intendit lucrari sua pecunia modo licito possibili : & in substantia interuenit emptio census cum circumstantiis , & conditionibus requisitis de iure naturali,vt diximus *num.1.precedente*,ergo contractus,& lucrum annualis redditus fuerunt licita in foro conscientiæ. Potest etiam hoc confirmari ex dicto communi Iuristarum dicentium,si non valet hoc quod ago prout ago,valeat vt valere potest , vt citat glossa in cap.*duo pueri,de desponsi.impuber.*ver.*matrimonii*. Cum ergo constet quod iste emptor non voluit mutuare, sed emere, licet contractus non tenuerit,iuxia Motum proprium Pij V.validum tamen fuit de iure naturali in foro conscientiæ, in que læsio nulla data fuit.

3 Tertium fundamentum ob quod potuerit Petrus hunc redditum annualem tritici recipere ob datam iam à se pecuniam, est damnum emergens, vel lucrum cessans. Cum enim recepta sit sententia posse quemuis recipere aliquod lucrum ex mutuo vltra sortem propter damnum emergens , iste emptor habuit damnum emergens,quia,vt mihi dictum fuit, volebat hunc redditum annualem dare filio suo pro dote matrimonij contrahendi : cumque nec posset dare filio pecuniam illam iam datam venditori , nec filio daret illos modios tritici in re possessionis per scripturam venditionis, & proinde matrimonium filij dilataretur , resultauit clarè emptori damnum emergens ex traditione suæ pecuniæ : ergo potuit licitè illum redditum annualem tritici recipere pro illo damno emergente : maximè cum prædictam pecuniam non mutuauerit,vt diximus,

sed

sed dederit titulo emptionis. Quod adhuc probatur à simili ex c. *salubriter, de vsuris*, vbi Papa decernit, quod si socer promisit genero certam pecuniæ summam pro dote, & quamdiù illam pecuniam non tradit, dat genero possessionem immobilem fructiferam, poterit gener comedere fructus illius possessionis, quamdiù promissa pecunia non tradetur absque vlla postea restitutione fructuum, idque sine vllo peccato vsuræ, & sic tenent omnes Doctores *ad cit. cap.* quo nihil clarius desiderari potest ad nostrum casum: intelligitur ille textus quod gener non tenetur aliquid restituere de perceptis fructibus, quando socer tradiderit sibi totam pecuniam promissam: & ratio principalis illius text. vt explicat Lud. Lop. 2. *part tract.* 6 est damnum emergens accrescens genero, qui tenetur sustentare vxorem ex bonis ipsius generi, dum pecunia dotalis non traditur à soceto: quod etiam in isto casu suo modo euenit, vt patet ex proximè dictis. Et idem dicendum erit si constiterit quod iste Petrus emens incurrit etiam lucrum cessans, eadem enim est ratio, ac de damno emergente, vt Doctores dicunt. Pro lucro vero cessante, vel damno emergente computat Veg. 2. *p.* ver. *vsura, casu* 76. quodcumque discommodum, vel incommodum accrescens domino pecuniæ, vt fabricare opus necessarium, vel conueniens, quod non fabricauit ob defectum suæ pecuniæ, vel quid simile.

4 Quarto probatur ex eo quo tradit Sà *in Aphor.* ver. *vsura, num.* 8. videlicet quod si ego feci contractum, qui in se erat vsurarius, sed feci bona fide, possum retinere tantum lucrum, quantum aliàs per contractum licitum lucraturus eram: & consonat huic dicto illud aliud Valent. *cit. loco punct.* 3. videlicet quod si feci contractum bona fide, & postea inuentus fuit vsurarius,

solum teneor restituere id quod extat, non vero id quod consumptum est: vel teneor restituere id in quo factus sum ditior. Addit tamen Valentia, quod stante dubio an contractus sit vsuarius, & fuit iam factus contractus, non debent confessores statim coniungere restitutionem, quia in dubio melior est conditio possidentis: & in hoc casu, saltem non constat clarè illum fuisse vsurarium, ob tot rationes supra citatas: & addit Valent. quod si facta diligentia non potest vinci dubium circa contractum, nec clarè constat fuisse vsurarium, non tenetur ad restitutionem, ob eandem causam, quia melior est conditio possidentis.

5 Sed adhuc duo aduerto, primum est, quod si prædicta pecunia data à Petro emptori, alias exposita in contractu societatis licito, & ordinario singulis annis valeret minus quam iste redditus annualis tritici, quem recepit singulis annis, tunc Petrus emptor tenetur restituere emptori illud quod plus recepit vltra id quod pecunia valeret exposita in contractu societatis licito. Secundum est, quod licet credam potuisse Petrum recipere dictum reddítum annualem tritici modo supradicto, consulerem vt dictum contractum dissoluat petens suam pecuniam ad tollenda dubia: quam si recuperare nequeat, denuo faciat contractum societatis, vel emptionis census iuxta Motum proprium Pij V. pro maiori securitate conscientiæ.

6 Ad argumentum positum in principio patet solutio ex supradictis, dicendum est enim potuisse Petrum hunc reddítum annualem recipere singulis annis in foro conscientiæ tum ex titulo emptionis census, non quidem iuxta Motum proprium Pij V. sed iuxta ius naturale concurrentibus illis 4. conditionibus, de quibus dixi *num.* 1. quæ in hoc contractu concurrerunt,

runt, tum etiam illud triticum potuit recipere propter citatum cap. *salubriter, de vsuris*: tum denique ob doctrinam supra traditam *n.* 2. à Valentia, & Vega, per quam constat quod illud recipere potuerit.

CASVS XVI.

Nota quædam circa emptionem censuum.

QVoniam materia censuum non raro contingit, estque valdè difficilis, volui hic breuiter ponere aliqua selecta, quæ collegi circa præcipuos aliquos casus censuum: pro aliis vero remitto lectorem ad Farinacium *tom. de consilijs toto consilio 54. & eod. tom. decis. 10. quæ est in 2. part. tomi tota illa decisione.*

1 Quod ergo attinet ad censum emptum non numerata pecunia de præsenti, sed ex vi solius debiti antiqui, vel ex pecunia olim data, vel mutuata, & alias conditiones Motus proprij Pij V. dico imprimis, Philippum Regem II. Hispaniæ, proprio scripto ordinasse Gubernatoribus, seu iudicibus Portugalliæ, vt dictum Motum proprium Pij V. in litium controuersiis executioni non darent: & lites censuum non admitterentur fundatæ super eodem Motu proprio, idemque mandauit seruari in Castella. Sic refert Roder. *de redidit. lib. 1. quæst. 13. n. 3.* vers. *in* 2. cum Auendan. *de censibus cap. 37. num. 19. & 28.*

2 Quod census emptus sine pecunia numerata præcedente debito claro, & liquido valeat etiam in foro externo, tenent multi, & graues Doctores in Hispania. Paris. *cons. 75. num. 32. vers. 4.* Floren. *in praxi*, verb.

huiusmodi census, n. 95. Redoan. de rebus Ecclesiasticis de constitutione annui census *num. 61.* Caball. *tract. de censur. q. 7.* per totum. Benedict. Boni *tract de censibus, artic. 35.* vnde decisiuè Salas de vsu, & consuetudine *c. 8. num. 45.* Surd. *consil. 162. à num. 38.* Roder. *de reddit. annuis lib. 1. quæst. 13. n. 3.* Auendan. *de censibus, cap. 38. à num. 7.* Gratian. *de censibus, cap. 321. num. 17.* Farinac. *decis. 286. à n. 1.* in decisionibus Rotæ Nauar. *consil. 1. de emptione, & comment. de vsuris, n. 88.* ver. *Est tamen quæstio.* Rabello *1. tomo lib. 10. de censibus, quæst. vltima,* cum ibi citatis, & Vega *1. part. summæ,* verb. *censos, casu 24. §. lo 3. digo,* & alij: & in praxi sic iudicatum fuit Olyssipone anno 1621. in quadam lite Ducis Brabantiæ: & in multis aliis locis Hispaniæ, vt referunt varij Doctores, maximè Roder. *lib. 1. de reddit quæst. 13 n. 3.* Vide etiam Ludouicum de Beia *3. part. Resp. Moral. casu 31. per totum, maximè §. partem tamen:* & licet Pius V. dicat in suo Motu proprio, quod talis contractus sine conditionibus ibi requisitis, est vsurarius, intelligit ex fictione iuris, seu ex præsumptione, non vero à parte rei, & sic cessante præsumptione iuris cessat pœna vsuræ, iuxta citatos Doctores à Vega citato casu 24. & à Rabello *cit. libro quæst. 6.* in explicatione quintæ conditionis: & omnino vide Rodrig. in Bulla Cruciatæ in explicatione dicti Motus proprij Pij V. dum explicat quartam conditionem Motus proprij *dob. 1. §. Digo lo 3.* vbi satis inclinat ad opinionem cit. Doctorum, quod valeat dicta emptio census non numerata pecunia etiam in foro externo, vbi multa dicit

3 Quod autem dicta emptio census facta non numerata pecunia, ex vi solius debiti antiqui, valeat saltem in foro conscientiæ, vltra citatos Doctores, tenet expresse Rodrig. loco citato in fine proximi num. 2. &

Lessius

Leſſius *lib.2.de iuſt.n.*8. Reginald. *tom.2.lib.25 n.*419. *verſ.5.dubium.* & Rabell.*cit.q.6.num.*8. Nauar.*cit.comment.de vſuris,n.*88.Gratian.vbi ſupra *c.*387. qui refert deciſiones Rotæ.

4 Circa illa verba Motus proprij, quod pereunte re in toto, vel in parte, ſuper quam fundatus eſt cenſus, debeat diminui pro rata etiam ſolutio cenſus ex parte venditoris. Circa hæc inquam verba tenet Rodriguez *in Addit ad ſumm.tom.3.* verbo *cenſos,cap.66.concl.*13. citans multos, illa clauſula Motus non obſtante hodie in Hiſpania contrarium ſeruari, & quod iam in publico tribunali oppoſitum iudicatum eſt, & quod hodie in fundatione cenſus eſt, poteſt adhiberi hæc clauſula, ſeu conditio; vt pereunte re cẽ ſuaria non pereat cenſus, citat Molin.& alios.

5 In Motu proprio Pij V. ponuntur hæc verba propè finem: *Si aliquid detur,vel remittatur,vel dimittatur cõtra mandata Bullæ tacitè, vel expreſsè, id poſſit à fiſco vindicari.* Quo poſito, quæris: Si aliquis emit cenſum pecunia non numerata, ex vi ſolius debiti antiqui, an emptor amittere debeat pecuniam quam antea dederat etiam in loco, vbi dictus Motus proprius obſeruatur? Credo quod non, ſed quod pecunia illi reſtituetur, deductis expenſis, & fructibus receptis. Probo primo, quia in omni venditione, ſeu emptione quando eſt nulla,& iubetur reſcindi, emptor recuperat pecuniam, quam primo dederat: at contractus cenſus eſt emptio, & venditio.Secundo,quia pupillus,& minor licet contrahant nulliter abſque licentia Tutoris, vel Curatoris, & proinde contractus reſcindatur, nihilominus pupillus, aut minor non perdunt pecuniam datam, licet teneantur ad reſtituendum damnum contractus, & ad id quod acceperunt virtute contractus,vt tenet San-

chez *lib.6. de matrim. disp.38. n.2.*quod applica ad intentum. Tertio,quia alias iste Motus proprius esset lex valdè rigorosa , si vellet amitti pecuniam capitalem olim debitam , & datam pro emptione census : quod non speratur à Summ.Pontifice Patre benigno.Neque Motus proprius id declarat , imo nec innuit. Quarto, quia licet Motus proprius prohibeat poni in emptione census conditionem de soluendo lucro cessante ob negligentiam debitoris census. Nihilominus non prohibet Papa vt soluatur damnum emergens ob negligentiam illius,vt tenet expresè Rodrig.in expositione eiusdem Motus proprij *dub.* 7. & Rabello in explicat. eiusdem *condit.3.num.15.*Cum ergo Papa nolit vt emptor census perdat interesse damni emergentis , multo minus debet velle vt perdatur tota pecunia olim data, & debita à venditore census , maxime quando contractus factus fuit bona fide , & absque peccato. Ad illa ergo verba Papæ dicentis secus data repetenda esse à fisco , dicendum est illa non debere referri ad omnes clausulas contentas in corpore Bullæ, sed solum ad casum positum in versiculo in quo ponuntur citata verba,qui versiculus incipit:*Pacta etiam continentia,* & ad clausulam proximè antecedentem in versiculo *volumus*,vt patebit legenti.Facit quod tenet Sanch.*lib.7.de matrim.disp.108.num.3.& 8.lib de matrim.disp.161.ad finem*,vbi ait clausulam positam in fine, tunc solum referendam esse ad omnia contenta in lege , quando in omnibus præcedentibus est eadem ratio ; secus si sit diuersa ratio. Et præterea tunc posse referri ad præcedentia , quando lex adiicit verba ista:*Vt præfertur*, vel hæc:*Sicut in præmissis.*Et hîc non currit eadem ratio,vt perdatur pecunia olim data , & debita. Neque iste casus est similis illi posito in eadem Bulla in vers, citato

volumus,

volumus,& in verſ.cit. *Pacta etiam continentia*:nec Papa ponit illa verba *vt præfertur*,ſiue *in præmiſſis*:ac proinde prædicta pecunia olim data, & debita non perditur fiſco:imo arguo ex verbis Bullæ: nam ſi Papa non vult amitti pretium cenſus,niſi in caſu ibi poſito in verſiculo *volumus*, ſignum eſt quod nolit idem pretium perdi in alio caſu,dato quod contractus ſit nullus.

CASVS XVII.

De quodam matrimonio contracto cum variis conditionibus circa dotem,& arrhas.

QVidam vir, & fœmina nobiles matrimonium contraxerunt ſub ſequentibus conditionibus.Fœminæ pro dote datæ ſunt viginti octo millia ducatorum, ſic diſtributa: videlicet duodecim millia ducatorum in æſtimatiome duarum commendatum, quas Rex dedit marito, quarum æſtimatio erant ſeptingenti quinquaginta mille ducati ſingulis annis, ſeptem millia in quodam officio honorifico, de quo non agitur,quia pactum fuit,vt mortuo marito(ſicut iam mortuus eſt,de tali officio lis non moueretur. Sex millia in quadam conceſſione Regis colligenda in nauibus Regnorum externorum, quæ ſine debita licentia portum Olyſſiponenſem intrarent, id eſt, ſine debito regiſtro: quarum bona ſpectant ad fiſcum Regium: ſed hæc ſex millia effectum non habuerunt, quia ſimiles naues prohibitæ, & confiſcandæ nunquam intrarunt. Tria millia in veſtibus, monialibus, & iocularibus ad ornatum muliebrem; quæ tria millia dicitur in rigore, & veritate,

veritate, quod vix pro mille possent æstimari. Itaque ex his 28. millibus aureis non recepit maritus, nisi æstimationem duarum commendarum, singulis annis reddentes 750. ducatos, quæ tamen commendæ illius morte cessabant, & cessarunt. Ex parte fœminæ pactum initum est, quod maritus de bonis sui maioratus, & aliis possessionibus sibi daturus erat septem mille aureos pro arrhis: & quod mortuo illo, sibi reddenda erat per integrum dos cum arrhis, quod vt securius recuperare posset additum fuit, vt mortuo illo sine filiis, illa maneret in domo possidens, & gubernans domum, & bona mariti, quod lex Lusitana vocat (*ficar à molher por cabeça do casal*) idque donec dotem, & arrhas promissas recuperaret per quinque annos sic vexerunt in eadem domo pacificè, absque filiis. Intra hos quinque annos, cum vir esset infirmus ad mortem, fœminæ scriptum propria manu firmatum dedit, per quod confitebatur se omnem dotem sibi promissam integrè recepisse. Conualescente marito ex morbo, fœmina ob certam causam petiit diuortium matrimonij coram iudice Ecclesiastico, illudque obtinuit contra voluntatem mariti per tres sententias, ab eoque discedens secessit in Monasterium Monialium. Et per sententiam iudicatum est vt maritus eidem in vita daret mille aureos pro alimentis, illa vero marito restitueret mille quingentos aureos, quos secum tulit de domo mariti ad Monasterium vadens. Quo posito proposita sunt sequentia dubia pro foro tantum conscientiæ.

Primum est. Si æstimatio commendarum à Rege facta, & data, potest recipi in conscientia, cum sint bona Ecclesiastica, & credatur esse simoniam talia bona pretio æstimari: & quæritur an sit simonia.

2 An teneatur maritus soluere illa sex millia aureorum

rum promissa à Rege in fisco nauium intrantium sine regiſtro, cum maritus illa sex millia nunquam receperit, neque in toto, nec in parte.

Tertium. Si est obligatio dandi illi arrhas, cum illa à domo viri discesserit diuortiumque impetrauerit?

Quartum. Suppoſito, quod quando vir mortuus est, litigabatur causa, & erat litis pendentia, an valida foret scriptura in qua maritus viuens confitebatur totam receptionem dotis, cum id falso confiteretur, eo quod ex dote solam æstimationem commendarum receperit; an inquam hac lite pendente, potuerit illa se ingerere in possessionem, & regimen domus mariti inuito testamentario, & hærede, vt tanquam caput domus suam dotem, & arrhas recuperaret, idque iudicis sententia non expectata?

Quintum. Si faciens se caput domus, seu *cabeça do cazal*, vt lex dicit, ad dotem, & arrhas recuperandas ante sententiam iudicis, eaque de causa excommunicationem fecit fulminari contra detentores aliquorum bonorum defuncti mariti, vel eidem aliquid debentes: vt possit illis iuramentum exhiberi circa prædicta, teneantur scientes denunciare, & iurantes teneantur veritatem dicere: attento quod excommunicatio lata sit supponendo quod illa esset caput cazalis, domum mariti gubernans, idque præcedente diuortio ab illa procurato inuito marito? & an prædicta excommunicatio valida fuerit?

Sextum. An dato quod excommunicatio valida fuerit, famuli, & aliæ personæ, quibus defunctus maritus debebat seruitia, & obsequia, & alia debita, habentes aliquid de bonis defuncti, possint pro satisfactione suorum seruitiorum illud retinere, non denunciantes, & illud in iuramento recepto tacentes? Attento, quod illud

illud declarantes nunquam, aut difficilimè restitutionem sui seruitij, vel debiti recuperabunt?

Septimum. Si coloni, conductores, vel similes qui cum marito contractum fecerunt, & post mortem illius cum hærede, ac testamenti executore compositionem fecerant, cautionem recipiētes ab ipsis, id est, apocham: idque ante promulgatam excommunicationem, an hi post publicatam excommunicationem teneantur ad denuntiandum, vel ad veritatem iurandam?

Octauum. Si defunctus in suo testamento præcepit hæredi, vel executori testamenti, vt certa debita restitueret, vel certas obligationes impleret, possit fieri satisfactio talium debitorum, & obligationum de bonis defuncti, non obstante excommunicatione, & litis pendentia circa dotem? & idem quæritur de expensis factis pro funere defuncti.

Nonum. Supposito, quod dicta dos fuerit ferè phantastica, & vxor per annos decem recepit singulis annis mille aureos pro alimentis ratione dotis, an teneatur restituere hæredibus defuncti pro rata id quod illi datum est pro alimentis vltra valorem, & qualitatem dotis, eo quod illi data sunt illa mille contra voluntatem mariti, qui erat dominus illorum.

Vltimum. Si aliquæ personæ, quibus defunctus aliquid debebat, possint hoc sibi debitum à defuncto recuperare ab illis qui defuncto tantumdem debebant vtendo ferè compensatione, permittente hærede; idque non obstante excommunicatione lata?

1 Ad primum dubium: Dico non esse simoniam recipere æstimationem commendarum Militarium, quales sunt istæ. Nam commendæ militares non sunt materia simoniæ. Tenet expressè Suarez *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *de simonia, c.* 27. *num.* 6. citans Victoriam, Rodrig.

tom. 4.

tom.4. Addit.summæ,cap.133.concluſ.11. Reginaldum *tom.2.lib.19.num.78.*& alij:& probatur ex praxi. Nam in Hiſpania vbi commendæ Militares frequentiores ſunt. Conſuetudo antiqua eſt,vt Reges æſtimationem commendæ aſſignent viris nobilibus, vt certas fœminas ducant in vxores. Non eſt autem credendum tam pios, & Catholicos Reges id ſic facere frequenter, & publicè, ſciente Summo Pontifice, ſi res eſſet materia ſimoniæ. Secundo, quia commenda nec eſt officium, nec beneficium Eccleſiaſticum, vt in illius æſtimationis collatione incurri poſſit ſimonia: officium enim Eccleſiaſticum, vel beneficium datur propter actionem ſpiritualem,vt cantandi in choro,dicendi D. Officium,& ſimiles. At commendatur pro actione temporali, & ſæculari, qualis eſt militare in bello. Sic tenet Saa *in Aphor.*verb.*ſimonia,n.2.*& Rodriguez *cit.c.133.* ait commendam eſſe ius merè temporale recipiendi decimas,quod ius poteſt conuenire puro ſæculari. Nam ſæcularis conducens redditus beneficij alicuius Clerici pro hoc anno,pro quibus Clerico aſſignat certam ſummam pecuniæ ſingulis annis, habet ius recipiendi decimas vt patet, & tamen non eſt ſimoniacus, quia illas decimas non recipit pro officio, vel beneficio Eccleſiaſtico. Et eodem modo habens commendam, licet habeat ius recipiendi decimas, non illud habet propter officium, vel beneficium Eccleſiaſticum, vel aliud ſpirituale, ſed propter actionem temporalem militiæ, ad quam paratus eſt vocante Rege. Videantur prædicti Doctores citatis locis,vbi plura de hoc dicunt, & alios citant.

2 Ad ſecundum dico, Maritum non teneri poſt mortem ſoluere illa ſex millia,de quibus quæritur, cum illa nunquam receperit in dote. Probo, quia in promiſſione

sione illorum sex millium pro dote, virtualiter, vel etiam formaliter interuenit pactum, quo maritus se obligauit ea se soluturum, si videlicet sibi traderentur pro sustentanda vxore, & oneribus matrimonij, hic enim est finis propter quem dos datur viro ab vxore. cum ergo hæc pecunia sex millium in nauibus prædictis nunquam tradita sit marito, videtur quod ad soluenda hæc sex mille non obligetur, cum conditio non sit impleta, id est, Si mihi dederis dotem, soluam illam tibi post mortem. Quod probatur clarè ex l. *Quæro*, 56. §. *Inter locatorem*, ff. *locati*. vbi dicitur: *Non implenti implendum non est*, & probatur ex opinione communi omnium Doctorum dicentium, contractum conditionalem non obligare, si conditio apposita non impleatur: & hoc magis patebit ex solutione, vel responsione sequenti ad tertium, vbi probo non obligari hunc maritum ad soluendas arrhas, cum illi dos tradita non fuerit integra, nisi pro rata dotis.

3 Ad tertium dico, quod hæc fæmina non perdidit arrhas præcisè ex eo quod diuortium petierit, & obtinuerit: & probo, quia si illa habuit ius petendi diuortium marito ad id causam dante, quale ius habuisse videtur cum per tres sententias illud obtinuerit, prosequens tale diuortium vsa fuit suo iure, nemo autem vtens iure suo pœnam meretur: ergo procurans, & obtinens diuortium per iudicem Ecclesiasticum, & cum iustitia non meretur talem pœnam qualis est arrharum amissio. Secundo. Quia vxor acquirit ius ad arrhas per cõsummationem matrimonij, sicut inter alios probat Molina *tom.* 2. *de iust. tract.* 2. *disp.* 431. & citat ad hoc Anton. Gomez, Valascum, & alios: sed hæc mulier consummauit matrimonium: ergo acquisiuit ius ad arrhas, nec tale ius amisit per iustam procurationem diuortij

uortij, quia in illo procurando iustè, nulli fecit iniuriam, vt diximus. Ex alio vero capite *potuit hæc mulier arrhas amittere*, si non in totum, saltem in parte, quia scilicet totam dotem promissam non tradidit marito. Est enim communis Doctorum opinio, quod vxore non tradente viro totam dotem promissam, non tenetur maritus arrhas soluere, nisi saltem pro rata dotis traditæ. Ita quod si nihil ex dote tradidit, nihil illi debeatur pro arrhis: si vero solam partem dotis tradidit, solum soluet arrhas proportionatas parti dotis traditæ. Sic tenet Sanchez *lib.6.de matrim. disp. 37. num. 2.* citans multos text. & Doctores, & Rabello *tom. .de oblig. iust. lib.6.q.4. §. Tunc etiam.* Et probatur etiam per legem *quæro* citatam proximè in respons. ad secundum, & per rationem ibi adductam. Nam promittere arrhas pro dote est contractus conditionalis, & proinde non impleta conditione, si dotem dederis, non obligabitur vir ad solutionem arrharum promissarum. Quantitas vero arrharum, quas maritus pro dote potest promittere, est taxata *in lib.4. Ordin. Portugall. tit. 47.* vbi dicitur quod pro arrhis dabitur solum tertia pars dotis ab vxore traditæ.

4 Ad tertium dico. Quod videtur quod hæc mulier nõ potuerit esse caput domus, seu *cabeça do cazal*, mortuo marito, eo quod cum illo non viuebat tempore mortis mariti. Probatur, quia lex istius Regni *lib.4. tit. 95.* in principio dicit, quod vxor per mortem mariti manebit caput domus, seu *cabeça do cazal*, si viuebat cum illo in hora mortis commensalis illius, &c. Hæc autem in hora mortis mariti non viuebat cum illo, cum iam ab illo fecerit diuortium, & viueret in Monasterio. Nec obstat quod maritus in contractu dotis illi promisit quod illo mortuo, illa maneret caput do-

mus suæ, illam gubernans vsque ad integram recuperationem dotis, & arrharum: non obstat, quia hæc promissio mariti non potuit præiudicare legi citatæ Portugalliæ disponenti, quod vt vxor per mortem mariti maneat caput *domus*, & *cazalis*, debet conuiuere marito in hora mortis, quod in ista defuit: nam inferior per suum contractum non potest contraire legi superioris, vt patet *ex Reg. 64. in 6. de Regul. iur.* vbi dicitur, quod ea quæ contra ius fiunt, debent pro infectis haberi, & alibi sæpè. Secundo non obstat, quia in contractibus præcipuè attendenda est mens contrahentium: & clare colligitur, quod maritus in contractu dotis faciens illam per suam mortem caput *cazalis*, debuit habere mentem conformem ad talem legem, nec credendus est voluisse quod caput domus suæ maneret mulier ab illo per diuortium separata: sed id promisit conformiter ad legem, si videlicet illa in hora mortis conuiueret amicabiliter. Potest hoc etiam probari ex lege damni infecti in principio, *ff. de damno infecto*, vbi dicitur quod verba debent intelligi iuxta subiectam materiam, & naturam contractus: ac proinde in verbis quibus maritus viuens illi promisit, quod per suam mortem maneret caput *cazalis*, considerandæ est materia, & contractus, de quo agebatur, erat enim materia matrimonij, inter coniuges amicos, & ea de causa illam constituebat caput *cazalis*: quæ coniugalis amicitia mutata est per diuortium. Et confirmatur quia promissio reuocari potest, si post illam res sunt notabiliter mutatæ: vt omnes Doctores dicunt. At post istam promissionem quod illa per mortem viri maneret caput *cazalis*, res sunt notabiliter mutatæ per diuortium scilicet, quæ est maxima mutatio possibilis inter coniuges.

5 Quod vero attinet ad id quod obiter tangit prædictum quæsitum quartum, videlicet maritum ante diuortium illi dedisse apocham, seu scriptum in quo confitebatur se omnem dotem promissam in integrum recepisse: cum hinc pendeat maior pars resolutionis istius casus, antequam respondeam an talis apocha valida fuerit, noto primo: quod ista apocha, seu dotis receptæ confessio in re fuit donatio, per quam maritus donauit vxori dotem quam illa sibi debebat: nam donatio est si tibi remitto actionem quam habeo in te: vt tenet Nauar. *consil. 1. de testam.* in fine dicens quod remittere est donare. Idem tenet Reginald. *tom. 2 lib. 25. n. 616. facit lex 38. C. de donat.* & cap *veniens, il primeiro, de testibus, cum gloss. ibidem, & gloss.* in cap. *si quis ordinauerit, de simonia*, verbo, *Ab executione.* Secundo notò quod donatio inter coniuges prohibita est per multa iura sæcularia etiam istius Regni, & per ius canonicum quos textus refert, & citat Rabello *tom. de obligat. iust. lib. 6. quæst. 13. sect. 2. num. 8.* Tertio noto, quod donatio inter coniuges si quando licitè fit, confirmatur per mortem, dummodo ante mortem præcedat rei traditio vera, hanc tamen donationem poterit maritus in vita reuocare, vt expressè tenet Rabello citato proximè loco in fine *n. 10. & sect. 3. n. 16. &* 17. vbi *num. 16.* ait posse hanc donationem inter coniuges reuocari, & expressè, & tacitè: & tenet Molina *tract. 2. de iust. disp. 439. § Secundum si eadem tom. 3.*

6 Hoc posito, censeo prædictam apocham, seu confessionem dotis receptæ, seu remissionem dotis fuisse nullam, & inualidam. Fundamentum præcipuum huius dicti est, quia talis remissio, seu donatio inter coniuges non fuit confirmata iuramento in vita, nec confirmata per mortem mariti, cum ipse in vita saltem taci-

tè reuocauerit, mouendo litem super validitate talis apochæ, seu confessionis: imo, & per ipsum diuortium si d facto annullata talis remissio dotis. Hoc in terminis tradit Molin. citata disp. & citato §. vbi loquens de confessione dotis facta à marito vxori post celebratum matrimonium ponit hæc verba. *Interim tamen dum perseuerat matrimonium, posse reuocari à viro, censerique reuocatam si fiat inter ipsos diuortiũ.* Sic ille. Et licet diuortium non fieret, sufficienter illã reuocauit maritus, facto suo, id est, mouendo litem super validitate dictæ apochæ, seu confessionis: hæc enim litis motio tacita fuit, imo clara reuocatio dictæ apochæ, & cõfessionis: non solum enim verbo, sed etiam facto potest quis facere reuocationem, argumento clarè sumpto ex cap. *Dilecti 2. de apell.* vbi glossa verb. *facto prouocare*, multos text. citat vtriusque iuris inter alia dicens, plus esse factis demonstrare, quam verbis dicere, pro quo citat *l. ff. de ædil. edict. si tamen.* § *ei qui*, & *ff. de leg.* de quibus in fine, & cap. *ad Audientiam, eod. tit de appell.* cum ergo, & maritus reuocauerit facto, & diuortium ab illa procuratum interuenerit, dicendum omnino est prædictam confessionem dotis receptæ (aliàs falsam) & apocham super illa datam fuisse nullius valoris. Secundo principaliter probatur ex illis quæ tradit Rodrig. *tom. 3. sum. c. 133. concl. 21.* dicens donationem factam inter coniuges dissolui, si post donationem factam inter ipsos ortæ sunt graues discordiæ, & inimicitiæ, etiamsi nascuntur culpa coniugis donãtis: pro quo citat text. *iuris ciuilis*, & quatuor graues Doctores recentiores, quos vide. At inter hos coniuges post datam apocham, & remissionem dotis ortæ sunt graues discordiæ, cum propter illas sententia diuortij lata fuerit. Quod idem clarius ait Rodrig. *cit. cap. concl. 30.* vbi donationem inter

inter coniuges reuocari, si inter illos fiat diuortium, nisi is qui fecit donationē ratificet, vel post diuortium reconcilientur:& citat in marg.vnā leg.Rozel.Syl.Angel. Idē tenet Mol.*tom.2 de iust.tra.2.disp.289.§.Tacitè censetur*, dicēs id intelligi cum diuortium fit inuito altero coniuge,vt hic contigit:& citat Mol. res leges iuris ciuilis: & hi cōiuges post diuortiū non sunt reconciliati,nec maritus ratificauit remissionē dotis, imo facto reuocauit motione litis circa dotis confessionem. Quod itē vir possit reuocare donationē factam vxori tenet Sanch *lib.6 de Matr.disp.1.n.2.*multa citans cum Ordin. istius regni *lib.4. tit.65* Tertio facit ad hoc quod tradit Rabel.*cit.lib.6.q.10 sect.2.§.His positis.*citās Couar. Barbos.& alios, videlicet, quod hæredes huius defuncti possunt litē mouere circa illam confessionem dotis factam à defuncto,an fuerit simulata & ficta, vel fraude obtēta, quod ex indiciis cōiecturari debet,quas circumstantias, & indicia hæredes ventilabunt, vide Mol.*cit.disp.439.§.vt quod tenēdū sit.* Adde quod si vxor per preces importunas hanc dotis confessionē extorsit à marito,tunc per mortē mariti non cōfirmatur,Sanch. *lib.4 de Matr.disp.10.n.7.* saltem in foro conscientiæ.

7 Ex omnibus proximè dictis videtur colligi, quod dicta vxor malè fecit,imo peccauit, eo quod lite pēdente super validitate remissionis dotis factę à marito, illa voluit recuperare totā dotem à se non datā, & inualidè sibi remissam.Constat hoc ex eo quod in iure canonico, tit.*vt lite pēdente in 6.& Decretal.* præcipitur vt lite pēdēte nihil innouetur:illa vero innouauit,dotem recuperans etiā impetratis cēsuris à iudice Ecclesiast. Nec excusabitur illa dicēs,quod maritus in vita id illi cōcessit, faciens illā post mortē capur domus suæ & *cabeça do casal.*Nā vt supra diximus,maritus illam non poterat fa-

cere caput cazalis contra dispositionem legis, eo quod tempore mortis non conuiuebat cum marito, & præterea quia apocha, seu confessio, & remissio dotis fuit à viro reuocata in vita, vt patet ex tot Doctoribus supra citatis.

8 Iam ad quintum quæsitum dico, quod si excommunicatio lata fuit, seu impetrata sub titulo, quod illa esset *cabeça do cazal*, ad recuperandam totam dotem, credo quod excommunicatio fuit nulla, & proinde non ligabat. Probo primo, quia quando aliquid impetratur à iudice per narrationem falsi, concessio iudicis est nulla, vt Doctores dicunt in materia de matrim. maximè Rodrig. *tom.2.qq.q.46. art.6.§. Pro maiori.* & in hoc casu narratum est falsum, quod scilicet esset *cabeça do cazal*, ad recuperandam integram dotem, cum de hoc esset lis mota vt patet. Secundo, quia ex parte iudicis error, seu deceptio passiua intercessit, putauit enim illam esse *cabeça do cazal*, & habere ius ad exigendam totam dotem, illamque recuperandam; quod ius illa non habebat ob multa à nobis dicta proximè *num.6.* Si vero iudex excommunicationis sciret illam non habere ius ad totam dotem recuperandam, profecto excommunicationem non fulminaret in re tam dubia, maximè cum super remissione dotis lis mota iam esset. Tertio, quia iudex Ecclesiasticus non potest cogere per censuras, vt aliquis soluat debitum incertum, sed solum id quod est debitum certum. At incertum est an huic vxori tota dos debeatur, tum ob litem motam, tum ob dicta *num. 6.* quia illa dotem totam marito non tradidit, quam totam vult recuperare ex titulo confessionis, seu remissionis factæ à marito, quæ tamen à marito reuocata est, & per diuortium annullata. Cum ergo tam incertum sit an illi debeatur

tota

tota dos, non poterit iudex obligare per censuram vt debitum tam incertum illi soluatur. Fecit quod ait Rodrig. *tom.3.sum.cap.105.* videlicet, quod quando dubitatur an excommunicatio sit iusta, vel iniusta respectu causæ, quæ mouit superiorem ad illam fulminandam, non tenetur obedire ille, qui si obediat patietur aliquod damnum in se, vel damnum alteri causabit. In hoc vero casu poterit contingere vt aliquis restituens huic vxori rem illi non debitam, cogatur postea idem restituere hæredi defuncti cum suo damno notabili, si videlicet postea iudex sæcularis iudicet vxori non deberi toram dotem.

9 Ad sextum dico, quod licet hæc excommunicatio esset valida, famuli, & cæteræ personæ, de quibus hîc quæritur, non tenentur manifestare id quod habent. Probo primo, quia excommunicatio lata pro furtis, vel aliis rebus detentis, & vsurpatis non obligat illos, qui rem aliquam possident iusto titulo, vt isti possident, eo quod defunctus illis debebat hęc debita clara, & liquida. Quod vero retinens rem cum iusto titulo non teneatur parere excommunicationi, neque item illi qui sciunt talem possidere illam rem iustè, quod non teneantur hi de illo sic habente denunciare, est opinio communis, maximè Nauar. *in sum. Latina, c.17.n.113. & seqq.* Henriq. *tom.2.lib.13.cap.21.num.1.* Si vero aliquis horum plus haberet de bonis defuncti, quam esset debitum quo sibi defunctus obligabatur, residuum debiti reddere tenebitur illi cui iudicatum fuerit deberi. Addo quod isti, de quibus hic quæritur, non tenentur denunciare cum periculo claro amittendi id quod possident, sciêtes certo moraliter quod illud quod habent vt sibi debitum, vel postea non recuperabunt, vel in recuperando facient magnas expensas. Sed ad maiorem

istorum securitatem, satius illis erit credere quod excommunicatio lata fuit nulla ob dicta supra *num.*8.& eo quod non est obligatus quis soluere debitum domino incerto,vt supra diximus.

10 Ad septimum respondeo eodem modo quo ad sextum, videlicet quod isti, de quibus quæritur in 7. casu, qui ante excommunicationem compositionem fecerant, & habebant apochas, & cautiones ab hærede, & testamenti executore datas, non obligantur ad restituendum, vel denunciandum, possident enim iusto titulo, maximè cum non obligentur bis soluere idem debitum,& cum periculo claro, quod postea rem suam non recuperabunt. Et quia iam soluerunt hæredi qui erat in possessione recuperandi debita: & possessio istius vxoris fuit quasi per intrusionem ob litem pendentem. Si vero fortè per iudicem sæcularem iudicatum fuerit quod vxori tota dos reddenda sit ob apocham à marito datam vxori in vita per confessionem dotis:tunc isti de quibus quæritur deobligabuntur à restitutione, siquidem in re iam soluerunt quod debebant hæredi, & hæres per sententiam soluet illi vxori id quod isti debebant, & sibi hæredi soluerant, & è contra, si sententia feratur, quod isti vxori tota dos non debebatur, etiam hi de quibus quæritur non tenentur isti vxori soluere, siquidem iudicatum est illi non deberi totam dotem quam petebat: & quod illi debetur per sententiam iudicis habita proportione dotis datæ, soluetur ab hærede per sententiam iudicis.

11 Ad octauum dico primo, quod si quando defunctus mortuus est, non erant in domo sua aliqua bona propria, sed solum aliena, quæ ille debebat creditoribus, in tali casu ex his bonis alienis facienda est pompa funeralis, moderata tamen: & ad hoc poterat hæres

recu

recuperare debita quæ defuncto debebantur, si non erat aliqua pecunia, de qua fierent funerales expensæ, neque debitores id soluentes excommunicationem incurrebant. Sic tenet Sayro *Clau. Regia lib.* 10 *tract.* 5 *cap.* 10 *n.* 23, citans multos Doctores, & dicens quod quando in domo defuncti non sunt alia bona nisi illa, quæ debet realiter, de illis faciendæ sunt expensæ funerales, quia creditor oppositum volens erit inuitus irrationabiliter. Sed si tempore mortis defunctus haberet alia bona propria, de illis, non de alienis pompa funeralis facienda est Neque item de bonis, seu de illis, quæ sunt alteri debita, poterunt solui legata, & obligationes iniunctæ in testamento. Nam stante lite pendente, an vxori dos tota debeatur, mobilia quæ sunt in domo defuncti sunt bona litigiosa, vt patet cum super illis mota sit lis: bona vero litigiosa quatenus talia sunt, non possunt alienari, seu distrahi, vt colligitur ex tertio cap. *vt lite pendente*, cum gloss. ibi in verbo *litigiosi*, & eodem titulo *in* 6. *cap.* 1. cum glossa ibidem verbo *litigantibus*. Qua de causa stante lite pendente cessandum est ab his solutionibus dubiis donec feratur iudicis sententia, cuinam primo soluendum sit, & hoc maximè quia dos mulieris habet multa priuilegia vt debeat præferri cæteris debitis.

12 Ad nonum dico sicut ad octauum, videlicet quod durante lite circa dotem, iste debitor defuncti non potest componere cum creditore ipsius defuncti, quia incertum est vtrum hæredi, an vero mulieri soluendum sit. Quod si se composuerint modo exposito in quæsito, periculum erit quod distrahatur res litigiosa, & alteri debita, contra textus citatos num. præcedente, & sic soluens exponitur periculo bis soluendi, vt supra dictum est. Debet ergo debitor defuncti stãte lite pen-

dente, & excommunicatione valida existente, denunciare iudici excommunicationis, se certum quid debere defuncto, & videat cui illud dandum sit; quod tamen dabit cum cautione debita, ne postea illud amittat, & bis soluat idem debitum.

13 Ad vltimum dico, quod si iudex mandans mulieri dari mille aureo singulis annis pro alimentis, iudicauit per se, ac directè causam dotis, quod scilicet tota deberetur mulieri, ob confessionem mariti, & iudicans apocham illi datam à viro fuisse validam, tunc mulier in foro conscientiæ potest retinere dictos mille aureos absque obligatione aliquid ex illis receptis restituendi, quia per iudicis sententiam licitè eos retinet. Si vero iudex qui iussit illi dare illos mille aureos pro alimentis non iudicauit ex officio causam dotis, nisi ex respectu diuortij, & ob solam informationem datam ab illa dicente quod ad matrimonium tradiderat pro dote suo viro yiginti octo mille aureos, iudicans quod respectu talis dotis debebantur illi mille aurei, tunc res est magis dubia. Nam imprimis certum est, quod vir tenetur vxorem alere etiamsi illam sine dote duxerit, vt tenet Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 26. n. 21.* citans Innocentium cum aliis octo grauibus Doctoribus: & proinde hic vir tenetur hanc vxorem alere, maximè cum ab illa saltem partem dotis receperit: & alere illam debet conformiter ad suum statum, etiam post sententiam diuortij. Sola ergo quæstio esse poterit, an illi mille aurei alimentorum fuerint excessiui, maximè cum illa se receperit ad Conuentum Monialium, vbi Minores expensas facere debebat: & considerandum etiam est an attenta sua persona, prædicta mille scuta essent excessiua pro alimentis, quod meum non est iudicare: & proinde stante dubio, illa accedente sententia iudicis

securè

securè videtur potuisse illos mille aureos pro alimentis recipere, nec illos debere restituere, cum, vt proximè dicimus ex Innocentio vir teneatur alimenta dare vxori quam duxit etiem indotatam. Addo etiam, quod licet supra *numer.* 3. dixerim arrhas dandas esse vxori iuxta qualitatem dotis adductæ. Alimenta tamen constante matrimonio non sunt illi danda iuxta quantitatem dotis traditæ viro, sed iuxta qualitatem vxoris talis viri.

CASVS XVIII.

De cuiusdam virginis defloratione, & homicidio ferè inde secuto.

QVidam homo valdè nobilis ingrediabatur domum cuiusdam fœminæ viduæ, cum cuius filia virgine habebat oscula, & tactus obscœnos, idque cum facilitate, illáque non multum repugnante in principio, licèt ille id precibus, & promissis antea impetraret: idque fecit per annum cum dimidio: postea intentans de facto copulam cum illa habere, restitit illa vehementer, & actus non est subsecutus. Postea alia die intentans ille eandem copulam actualem, restitit illa similiter, sed non cum tanta vehementia sicut prima vice fecit, & sic illam defloravit: & declaratur quod quando ille prima vice copulam intentauit, illaque restitit, ille minatus est illi mortem, obiiciens eidem, quod ideo copulæ non consentiebat, quod ab alio iam defiorata erat. Quæritur an teneatur vir illam dotare, & defiorationem restituere? & declaratur quod iste

vir

vir est alias matrimonio cum alia copulatus.

2 Hic idem vir, eo quod quidam frater istius puellæ, illam abduxit à domo matris, intentauit hunc fratrem puellæ in publico iniuriare: & cum hoc animo intrauit domum matris, vbi tunc iste filius existebat die clara, cum intentione formata, & deliberata non occidendi, sed solum intendens vt illum de domo matris fugere faceret. Ingressus domum matris, frater puellæ occurit intranti euaginato gladio, & parvo pugione, & prius intentauit statim pectus intrantis gladio perforare, quam intrans nobilis gladiũ euaginaret. Quod videns intrans, & credens propriam vitam periclitari, nisi iuuenem occideret, euaginauit gladium, & prædictum iuuenem interfecit, ita tamen vt ipse occisor manserit cum tribus vulneribus ab adolescente receptis. Et declaratur quod iste vir vltra quam quod erat valdè nobilis, erat etiam reputatus viribus fortissimus. Declarat etiam ipse occisor, quod si ille pro sui defensione minus faceret, quam fecit, sua vita periclitaretur. Declarat etiam, quod in alio tempore, ante istum ingressum habuit animum occidendi hunc adolescentem: sed illo animo deposito nunc cum domum matris intrauit proposuit formaliter illum non occidere, sed solum ad fugam cogere. Hoc posito, quæritur an iste occisor peccauerit mortaliter occidendo pro sua defensione: & vtrum homicidium fuerit voluntarium, an casuale: & vtrum tenearur occisor restituere vitam, & damna hæredibus defuncti.

1 Ad primum quæsitum dico, absque dubio teneri defloratorem illam dotare, illique restituere iuxta qualitatem personæ ipsius fœminæ. Primo, quia interuenerunt in principio preces importunæ hominis nobilis ad fœminam inferiorem sibi, & promissiones, quæ

duo minuunt voluntarium, maximè in femina fragili, de quo Sanchez *lib.4 de matrim. disput.10.num.4.*& Rabello *tom.1.de obligat. iustit.1.part. lib.3. quæst...* qui dicunt preces importunas, & promissiones minuere voluntarium. Secundo, quia minatus est illi mortem, & exprobrauit, quod videretur ab alio defiorata: solæ autem minæ mortis hominis robusti erga fœminam fragilem causant omnino metum cadentem in virum constantem, & tollunt omnino voluntarium, maximè cum fœmina ante has minas restiterit. Constat vero quod extorta per metum etiam leuem sunt restituenda; iuxta Sanchez *cit. lib. disp. 9. n. 4.* Neque obstat quod puella antea consentiebat facilè in osculis, tactibus, &c. vnde posset videri, facilè consensisse in copula; non obstat, nam qui dat libenter minus, non censetur dare libenter quod est maius: multo vero minus est consentire in osculis, & cæteris, quam in defloratione per quam fœmina perdit matrimonium futurum, & incurrit multo maiorem infamiam. Neque obstat quod ait Sanchez *citata disput.10 num.4.* rara scilicet preces importunas viri inducere restitutionis obligationem, nisi quando (ait) puella vi talibus precibus voluntate repugnante, solum vt importunitatem repellat, consentit defiorationi. Ad hoc enim dico quod hæc omnia possumus credere hic contigisse, & puellam consensisse tantum vt importunitatem repelleret, imo vt minas præteritas mortis fugeret: & illius etiam secunda resistentia satis indicat se consensisse victam precibus. Aliud exemplum ponit Rabello *citata quæstione num.5.* & aliud vega Minimus 2 *part. summæ* verbo *stuprum casu 1.* quæ confirmant hanc responsionem, quæ omitto breuitatis gratia, quia suppono hoc esse certissimum.

2 Ad secundum quæsitum dico primo, hoc homicidium non fuisse voluntarium: vt enim probat Suarez *tom. de censuris, disput. 44. sectione 1. num. 2.* D. Thoma ibi citato, vt aliquid sit propriè ac directè voluntarium, non satis est quod sit voluntarium modo aliquo in sua causa, sed opus est quod sit voluntarium in se, & in suo effectu. Exemplum habere me domi medicinam purgatiuam choleræ, non est propriè, & formaliter velle purgationem, vel potionem sumere, quia possum alias illam medicinam habere domi, vt illam dem alteri: vel possum non habere necessitatem illius. Sic igitur vt homicidium sit propriè, & formaliter voluntarium, debet esse volitum, & prætensum clarè in se, & ita vt clarè proponat occidere. Et non sufficiet solum velle vulnerare, quia vulnerare non est occidere. At hic homo licet voluerit cogere adolescentem ad fugam, hoc non est velle occidere: quinimò expressè mentaliter proposuit se non occisurum, quod propositum excludit omnem voluntatem occidendi. Si enim dicas hoc homicidium esse voluntarium, sequeretur quod esset directè volitum, & directè nolitum. Probatur sequela, quia primo fuit directè nolitum: hic enim clarè proposuit non occidere, & sic fuit directè nolitum: & per te est voluntarium, ergo est directè volitum: quæ implicatio non est admittenda. Secundo probatur, quia principaliter iste homo voluit se defendere, cum occidit, vt ipse ait: itaque solam defensionem voluit directè, occisionem vero indirectè, & minus principaliter. Adde quod vir nobilis, & reputatus fortissimus non poterat cum honore fugere ab adolescente inferiore sibi in nobilitate, idque in luce clara diei: ac proinde homicidium fuit solum casuale. Videatur Suarez *citata disputatione 44. num. 4. sect. 1.* vbi clarè tenet quod

is

is qui solum vulnerare intendit, si casu ex calore iracundiæ occidat, non esse homicidam voluntarium saltem in foro conscientiæ: hic autem minus intendit quam vulnerare, solum enim intendit fugam cansare.

3 Dico secundo. Hunc hominem peccasse mortaliter & incurrisse irregularitatem homicidij casualis. Quod peccauerit mortaliter constat, quia licet non intenderit occidere, tamen dabat operam rei illicitæ. Intrauit enim domum alienam cum armis, & intendens cogere ac fugam filium matris illius cum infamia, quæ omnia illicita sunt & iniuriosa, & occasionem dantia, vt filius se defenderet cum armis, & intrantem violenter domum matris, appelleret: & ille sic intrans debuit aduertere has omnes occasiones posse esse causam homicidij. Quod vero id teneretur, & deberet aduertere, colligitur clarè ex caprvltimo *de homicid. in 6.* vbi Papa, de quodam, qui iussit alium verberare, exprimens, vt caueret ne occideret: & mandatarius excedens in flagellando occidit: respondet Papa quod talis mandans incurrit irregularitatem, quia tenebatur aduertere tale homicidium contigere potuisse, Quod vero irregularitatem incurrerit, probatur ex cap. vlt. proximè citato, & ex cap. *Tua nos, de homicid.* casus enim ibi adducti sunt similes ista: & præterea quia omnes Doctores dicunt incurri irregularitatem homicidij casualis, quando occidens antea dabat operam rei illicitæ, & occasionatæ ad occidendum, quod in isto homicidia contigit, ob iam supradicta in principio huius numeri: & vtraque pars istius dicti videtur probari ex iis quæ tradit Candelabrum Aureum *in tract. de irregul. n.* 212. vide Sylvest. ver. *homicidium* 3. *q.* 4.

4 Dico tertio hunc teneri restituere hæredibus occisi damna secuta, si quæ illis ex morte illius resultarunt,

runt, ad arbitrium prudentis viri. Probatur primo ex illa Regula iuris quæ dicit. Qui causam damni dat, damnum dedisse videtur: iste vero ingrediens domum alienam viduæ, cum animo iniuriandi filium causam damni dedit: & hoc videtur expresse tenere D.Thom. 2.2.q.64.art.8.*in fine cap.* dicens, quod qui dat operam rei illicitæ, non euadit homicidij reatum, si ex ipsius opere mors sequatur. Nota verba, homicidij reatum, id est, obligationem ad pœnam subeundam, & damna restituenda. Et probo ex eo quod tradit Rabello *cit.lib. quæst.* 12. citans Mercatum, videlicet, quod intrans domum alicuius animo adulterandi, vel faciendi aliquam iniuriam, ex qua fuit aggressus à marito, vel alio si iste sic intrans occidit maritum, vel alium vt se defenderet, adhuc teneretur restituere aggressori occiso, propter causam quam illi dedit ob iniuriam intentatam: imo addit quod vir etiam nobilis tenetur tunc fugere, si prius intentasset talem iniuriam. Constat vero quod hic, de quo agimus, ingressus est domum animo faciendi iniuriam adolescenti, & sciebat adolescentem esse intus: cum tamen intrans cum animo adulterandi supponat maritum non esse domi vxoris cum qua intendit adulterare: & proinde maiori periculo homicidij se exposuit iste quam intrans animo adulterandi, & proinde occidens aggressorem tenetur ad restitutionem. Facit denique lex *si plures.§.Sed si fidei iussor.ff.qui satisdare cogantur*, vbi dicitur quod lex non suffragatur subiicienti se periculo sua sponte: & iste libenter se subiecit periculo occidendi, vt patet ex dictis.

CASVS

CASVS XIX.

De quadam emphyteusi, cum certis conditionibus facta.

QVidam dominus directus Ecclesiasticus dedit Petro quandam possessionem immobilem sub emphyteusi ordinario contractu, sic dicens in contractu. Do Petro in emphyteusi talem certam possessionem, pro vita trium personarum, ita videlicet, vt primus possessor in fine vitæ suæ nominabit secundam personam. Et secunda eodem modo nominabit tertiam, qui omnes singulis annis soluent directo domino certam pensionem cum declaratione, quod nullus illorum possit alienare, nec distrahere, nec transferre dominium vtile eius emphyteusis, seu possessionis.

Possedit Petrus virtute prædicti contractus dictam possessionem immobilem titulo primæ vitæ, & virtute illius, in testamento quod fecit, nominauit suam vxorem pro secunda vita. Postea ductus aliquibus respectibus, per scripturam publicam nominauit nepotem suum, & in ipsum per scripturam trāstulit ius suæ primæ vitæ absque licentia directi domini, & sibi reseruauit vsumfructum dictæ possessionis in vita: & nepos statim possessionem accepit dictæ rei emphyteuticæ. Postea idem Petrus fecit aliam scripturam in qua iterum nominat propriam vxorem pro secunda vita, & reuocauit scripturam, quam fecerat in contrarium: & declarauit Petrus in suo vltimo testamento, se ex obligatione conscientiæ iterum suam vxorem nominasse pro secunda vita; iterumque reuocauit aliàs scri-

pturas in contrarium:& vxori commisit vt statim possessionem acciperet illius rei immobilis datæ in emphyteusim:cuius iam nepos possessionem acquisiuerat. Lis mota est, & per primam sententiam adiudicatum est,quod Petrus in possessione persisteret, quam prior receperat. Vxor vero de proprietate litigaret.

Quo posito, quæsitum fuit,quâ scripturam ex istis teneatur directus confirmare, an factam prius Petro, an factam vxori:& videtur quod scriptura facta Petro fuerit inualida, primo, quia facta est contra formam contractus:nam directus dominus in contractu approsuit ne vllus ex illis emphyteutis posset dominium suum in alium transferre: Petrus vero per scripturam factam nepoti dominium suum in nepotem transtulit sine licentia directi domini: non seruata vero forma contractus,corruit contractus,vt omnes fatentur. Secundo, quia Petrus per vltimum testamentum reuocauit scripturam factam nepoti, seu translationem sui iuris:at reuocatio facta in testamẽto validior est quam præterita scriptura facta nepoti. Nam vltimum testamentum reuocat etiam priora testamenta testatoris, si quæ fecerat, & proinde potuerat reuocare priorem scripturam factam nepoti,quæ minorem vim videtur habere,quam testamentum prius factum ante vltimum testamentum.

1 Ego credo standum esse scripturæ illi priori qua nepotem nominauit transferendo in illum de facto ius vtile quod habebat, reseruatis sibi fructibus in vita totum ac præcipuum istius fundamentum,seu probatio est lex istius Regni,*in lib.4.Ordinat.tit.*37.§.1.vbi postquam dicit, quod is qui in re emphyteuta habet ius nominandi vsque ad mortem, potest nominare semel,& bis,& quoties voluerit. Subiungit tamen mox ibidem,

ibidem, quod si nominans per scripturam publicam transtulerit in vita rem emphyteuticã in alium, transferens in alium totum ius quod habebat in illa, sibi reseruans vsumfructum illius, tunc iam non poterit personam aliam nominare: sed potius iste in quem trãstulit dominium vtile, poterit de re illa emphyteutica disponere. Quo nil clarius dici potuit ad nostrum casum: nam Petrus quidem prius nominauit vxorem. Postea hanc nominationem factam sine scriptura, & sine translatione dominij vtilis, per scripturam publicam nominauit nepotem, transferens in illum dominium vtile quod habebat cum reseruatione fructuum, iuxta citatam legem Lusitaniæ: ergo non potuit iuxta eandem legem alteram nominationem, vel scripturam facere contra dictam legem: maximè cum nepos iam haberet possessionem acquisitam in re emphyteutica. Vult enim prædicta lex, quod nominatio facta per scripturam cum translatione dominij vtilis sit nominatio irreuocabilis. Ratio vero istius legis est: nam in nominatione ordinaria facta sine scriptura, & sine translatione dominij (qualis primo facta est vxori) non abdicat à se nominans statim dominium vtile quod habet in re emphyteutica, sed innuit quod tale dominium conferet post mortem. Cum vero tale dominium vtile transfert in vita per scripturam publicam cum reseruatione fructuum, statim abdicat à se dominium vtile talis rei emphyteuticæ, ac proinde non potest de illa re emphyteutica amplius disponere, cum iam illius dominium à se transtulerit per concessionem dictæ legis. Exemplum esse poterit in re vendita. Nam postquam dominus rei alicuius per venditionem iustam, & traditionem rei venditæ, abdicauit à se dominium rei venditæ, iam non potest illius rei venditæ

dominium alteri applicare, quod suo modo facit ad propositum casum.

2 Pro solutione argumentorum suppono breuiter rem esse certissimam apud omnes, in re emphyteutica tradita cum placito nominandi duplex dominium considerari: primum dicitur dominium directum, seu quasi radicale, quod manet apud primum instituto-rē emphyteusis & eius hæredes, per quod scilicet dominium obtinet ius, vt res emphyteutica non possit omnino alienari, seu vendi ab emphyteuta sine licentia ipsius domini directi, ne videlicet per talem venditionem dominus directus amittat pensionem, seu annuum censum, quem habet in rę emphyteutica. Aliud dominium super re emphyteutica manet apud emphyteutam, quod dicitur dominium vtile, per quod dominium habet ius vtendi omnibus fructibus rei emphyteuticæ. Et quando emphyteuta in vita, vel in morte nominat alium, non transfert in illum primum dominium directum, quod pertinet ad directum dominium: sed transfert in illum secundum dominium quod dicitur vtile, seu quod habet in vsufructu rei emphyteuticæ.

3 Hoc posito, ad primum argumentum dico: Petrus cum per scripturam nominauit nepotem transferendo in illum dominium vtile, quod habebat, non id fecit sine licentia domini directi, nec cum illius præiudicio. Nam ipso facto quod idem dominus directus dedit illi potestatem nominandi quem voluerit, manente semper domino directo, & pensione soluenda apud ipsum directum dominum, in tali casu Petrus nominauit cum expressa licentia domini directi: & quamuis viuens Petrus transtulerit in nepotem dominium vtile quod habebat in re emphyteutica, hæc translatio

talis

talis dominij non nocet domino directo, cum ab illo non auferat dominium directum, nec pensionem illi debitam. Neque item translatio huius dominij vtilis, est illa quæ prohibetur sub conditione in contractu emphyteutico, in quo dicitur ne res emphyteutica alienetur, neve eius dominium transferatur. Sed illa conditio intelligitur, ne res omnino alienetur per venditionem, vel per translationem dominij directi, per quæ dominus directus perdit pensionem, & dominium directum. Et probo non intelligi illam conditionem in contractu emphyteutico de translatione dominij vtilis non transferenda: quia si de ista intelligeretur, esset conditio apposita contra legem expressam Regni citatam quæ permittit emphyteutæ facere translationem dominij vtilis in sua vita modo prædicto. Conditio vero apposita in contractu contra dispositionem legis, est nulla, & tanquam nulla reiicitur. Iuxta illam Regulam *iuris in 6.* dicentem: quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi. Hæc mea responsio est Iulij Clari *tit. de emphyteusi. q.* 13. §. *vlterius quæro*, & Rabelli *de obligat. iust. lib.* 13. *de emphyteusi, q.* 4. *n.* 11. qui cum aliis ibi citatis dicunt, quod licet emphyteuta non possit alienare rem emphyteuticam: si tamen primus institutor dedit rem emphyteuticam pro se, & pro aliis (vt fuit ista pro tribus vitis) in tali casu dicunt quod poterit emphyteuta rem alienare: explico ego, id est, dominium vtile in sua vita transferre: & addit Rabello sufficere ad hoc consensum tacitum domini directi. Iulius vero Clarus dicit esse opinionem communem. Tenet hoc idem expresse Iulius Clarus *eodem lib. de emphyteusi, q.* 15. *n.* 1. vbi dicit emphyteutam Ecclesiæ, qualis est iste, posse donare ius suum, dummodo id faciat sine præiudicio Ecclesiæ: &

citat ad hoc Baldum,& alios.Et licet Iulius Clarus in ead.quæſt. dicat ad id requiri expreſſum conſensū domini directi, id intelligitur quando res emphyteutica alienatur in totum,videlicet per venditionem:& quod ſic ſit intelligendus Iulius Clarus, probo quia ſtatim poſt,addit,quod in tali alienatione ſoluendum eſt laudemiū domino directo,quod non ſoluitur niſi quando res emphyteutica alienatur in totum, non vero ſoluitur laudemium in ſola nominatione rei emphyteuticæ,quia per hanc ſolam non exit res à poteſtate domini directi : & eodem modo debet intelligi Ordinatio iſtius Regni *eodem lib.4.tit.*38.cum dicit emphyteutam non poſſe alienare abſque licentia domini, & quod ſi alienet: ſoluet quarentenam. Quia quando in titulo præcedente lex locuta eſt de nominationibus rei emphyteuticæ,per quas res non alienatur,nihil ibi locuta eſt lex de ſoluendo laudemio, nec de noua licentia ad nominandum, vel transferendum dominium vtile: ſed ſuppoſuit ſufficere antiquam licentiam inſtitutoris datam ad nominandum poſt ſe aliam perſonam.

4 Ad ſecundum argumentum dico primo non potuiſſe Petrum per teſtamentum reuocare ſcripturam factam nepoti cum tranſlatione iuris acquiſiti,& poſtquā Petrus erat in poſſeſſione rei emphyteuticæ:conſtat clarè, quia nemo poteſt teſtamento reuocare id quod iuxta legem validè donatum eſt cum poſſeſſione iam quæſita. Exemplum ſi vendiderat Petrus viuens equum, illumque iam tradiderat Franciſco, cum poſſeſſione equi iam quæſita:nunquid poterit teſtamento reuocare venditionem, cum iuſtè equum Franciſco iam tradiderit? Sic igitur cum Petrus iuxta legem Regni iam nepoti tradiderit ius ad rem emphyteuticam; idque ferè recepto pretio, id eſt, receptis fructibus illius

lius, quos sibi reseruauit, iam non poterit illam scripturam, & translationem per testamentum reuocare. Dico secundo ad id quod addit argumẽtum, videlicet, quod si vltimum testamentum reuocat alia testamenta prius facta ab ipso testatore, etiam poterit reuocare scripturam factam in vita ab ipso testatore cum traditione ipsius rei: hoc inquam omnino negandum est. Nam quando testator per prius testamentum aliquid mihi donabat, per talem donationem nondum in me trãstulit dominium rei sic donatæ, sed per solam mortem quæ testamentum confirmat, acquiro illius rei dominium, & traditionem, & ideo testamẽtum vltimum potest annullare ante facta testamenta, quia nondum erant morte confirmata, nec legatarij in illo priori testamento possessionem, vel dominium rei legatæ acquisierant. At scriptura contractus facta à testatore ante mortem cum translatione dominij, & traditione rei, statim est confirmata per translationem dominij, vt patet in exemplo supra posito de re vendita: & ideo potest testator reuocare testamentum priùs, non vero potest reuocare scripturam factam seruata dispositione legis, in qua testator iam transtulerat à se dominium quod habebat, sicut contigit in hoc casu.

CASVS XX.

An possit Episcopus celebrare in Oratoriis, & sui Capellani.

CIrca celebrationem Missæ in Oratorio, mihi proposita sunt dubia sequentia. Primum. An possint Episcopi hodie altare particulare erigere, & in illo ce-

lebrare, vel facere celebrare?

Secundum. Si postquam illud in suo palatio erexerint, vel in sua villa rurensi possint in eo celebrare quicumque Sacerdotes voluerint? & hoc absente ipso Episcopo?

1 Antequam ad dubia respondeam suppono primo *in c. finali, de priuilegijs in 6.* hoc priuilegium Episcopis sic concedi. *Vt possint altare habere viaticũ, & in eo celebrare, ac facere celebrari vbicumque.* Finis vero ob quem à Papa hoc priuilegium illis conceditur, ibidem exprimitur; quia scilicet sæpè Episcopi absentes sunt à suis Ecclesiis ob diuersas causas: *Nec semper possunt commodè ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda, vel audienda in ipsis.* In quibus verbis innuitur tale priuilegium illis concedi solum, quando absentes sunt à suis Ecclesiis, maxime quando sunt in itinere. Propter quod Valer. Carruxanus *lib. de differentia vtriusq; fori*, ver. *Missa, differentia* 2. nouissimè dicit, quod cessante ista causa, si videlicet Episcopus non est in itinere, vel in infirmitate, non posse illum celebrare, vel celebrare facere in Oratorio sui palatij: citat ad hoc declarat. Cardinal. Romæ, quam dicit esse in ordine 841. qui hoc dubium sic declararunt. Idem refert Ludouicus de Beia in suis Respons. Moral. 4. *part. casu* 33. §. *Aduertendum tamen.* & probari potest ex cap. *Cum cessante, de appellation.* vbi dicitur quod cessante causa cessat effectus: vnde cum causa illius priuilegij concessit Episcopis fuerit itineratio, vel infirmitas, his cessantibus cessat priuilegium. Addi potest ad hoc, quod ego vidi meis oculis anno 1626. in aula cuiusdam domini tunc Collectoris istius Regni, publicari edictum Sanctissimi D. N. Papæ Vrbani VIII. in quo prohibebat ne Episcopus aliquis, vel similis Prælatus licentiam dare posset alicui

cui celebrandi,vel celebrare faciendi in Oratoriis priuatis,& scirent omnes talem licentiam concedere esse reseruatum soli Summo Pontifici: & Azor. *tom.1. sum.lib.10.c.26.in fine*, dicit eosdem Cardinales declarasse non posse Episcopum dare licentiam celebrandi in Oratoriis particularibus, quod consonat nouo mandato Vrbani VIII.proximè citato. Cum vero Episcopis adempta sit potestas dandi licentiam aliis celebrandi in Oratoriis, videtur quod neque ipsi id poterunt facere in particularibus Oratoriis: & Azor.*citat. cap.quæs.5.* citat declarasse Cardinales, quod ratione itineris, vel infirmitatis poterant Episcopi in particularibus Oratoriis celebrare, vel facere celebrare, quia (ait Azor) licet caput final. citatum *de priuileg.* solum exprimat causam itineris: Cardinales tamen declararunt etiam causam infirmitatis, cum æquiualeat itinerationi: vnde videtur etiam Azor eiusdem esse sententiæ cum Cartuxano citato & licet Azor *cit.loc. q.4.* & Farinac.*in suis declarationibus Cardinalium ad sess.22.* Trident.& alij dicant,quod quando Tridentinum prohibuit celebrari in Oratoriis particularibus, ipsi Cardinales iterum declararunt per hæc non derogari priuilegio Episcoporum in cap. fin. *de priuileg. Sed mens Concilij fuit tollere abusus & in Episcopis non est abusus, cum fiat ex causa,&c.in dicta declaratione.* Sic ibi. Hoc non obstante constat quod dictum priuilegium datum Episcopis cap.fin. *de priuilegiis*, datum illis fuit ob illam causam itineris, vel infirmitatis, vèl absentia ab Ecclesiis, & cessantibus his causis cessat lex. Ob hæc omnia, ac tales Doctores recentiores videtur hic casus habere difficultatem, nisi in contrarium obstaret praxis,& sequentia.

2 Dico ergo primo, Ante Concilium Tridentinum

Episcopi poterant celebrare in Oratoriis particularibus, & ad hoc dare licentiam cum causa. Habetur expressè in cap. *Missarum, de consecrat. distinct.* 1. vbi sic habetur: *Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Idem dicitur in cap. *Concedimus*, eadem dist. & sic affirmat Azor *cit. cap.* 26. *quæs.* Obiicis. Si ergo Episcopus ex hoc iure tam antiquo poterat Missas celebrare extra Ecclesiam, quid necesse fuit vt post tot annos Bonifacius VIII. id concederet Episcopo in cit. cap. fin. *de priuilegiis?* Credo quod id fecit ad tollendum scrupulum Episcopis celebrandi extra Ecclesiam quando abessent à sua diœcesi, extra quam non habent iurisdictionem tam amplam: & Bonifacius VIII. cit. cap. *dicit se id concedere*, quia Episcopi ex diuersis causis habent ab Ecclesiis suis se absentare.

3 Dico secundo. Concilium Tridentinum hanc potestatem non ademit Episcopis *sess. 22. in Decreto de obseru. in cel. Missarum*: neque quoad se vt illas celebrarẽt, neque illis prohibuit ibidem ne talem licentiam darent celebrandi in Oratoriis. Sic tenet expressè Suarez *tom. 3. super 3. disput. 81. sect. 3. de Missa, § Obseruandum est secundo.* Pro quo citat Sot. Nauar. & alios. Idem tenet Nauar. *consil. 16. de priuil.* & Bera *in Respons. Moral. 4. part. casu 33. § Tertio dico:* & in declarationibus Cardinalium impressis à Marzilla primæ impressionis anno 1613. *tit. 8. de celebr. Missarum, fol. 398. & seq.* citantur tres declarationes Cardinalium post Tridentinum dicentes, posse Episcopum dare licentiam celebrandi Missas in Oratoriis particularibus: & eædem tres declarationes citantur à Farinacio in suo tomo declarationum Cardinalium ad citatam *sess. 22. Trident.* Cum ergo Episcopi ante Tridentinum hoc possent, &

Triden

Tridentinum id illis non ademerit, à fortiori id poterunt post Tridentinum quoad Oratoria sui palatij, vel domus, vt in ipsis possint celebrare, vel facere celebrari. Probo hoc dictis à Sanchez *lib.* 8 *de Matrim. tota disp.* 3. vbi probat Prælatum, qui potest dispensare cum alio in certa materia, posse etiam in illa secum dispensare. Si ergò Episcopus ante Tridentinum poterat dispensare cum aliis ad celebrandum in Oratoriis, etiam id poterit hodie saltem quoad se in Oratoriis suæ domus, vel palatij, si aliqua noua prohibitio non obstet.

4 Dico tertio. Illud mandatum nouum D. Vrbani VIII. prohibens ne Episcopi dent licentiam celebrandi in Oratoriis, videtur quod illud non intercedit vt possint ipsi celebrare, vel facere celebrare in Oratorio palatij sui, vel domus suæ tantum. Ratio naturalis dictat, quia cum Papa in hoc solũ intendat vitare abusus, sicut supra dixi ex alia declaratione Cardinalium, cum Farinacio, & in Oratorio Episcopi abusus præsumendi non sint: & aliàs Episcopi teneantur quotidie ex decentia celebrare, vel Missam audire, sequitur D. Papam Vrbanum VIII. id solum prohibuisse Episcopis quoad oratoria sæcularium, & cæterorum, in quibus abusus euenire solent, non vero quoad propriam personam Episcopi, & sua Oratoria. Eandem rationem affert Beia *cit. casu* 33. § *Tum quia*, in alio casu huic simili; vt enim probet quod Tridentinum in illo Decreto de obseru. non comprehendit Oratoria Episcoporum, considerat verba Decreti: *Ne patiãtur à sæcularibus, vel Regularibus peragi in priuatis domibus.* Et ait statim in prædictis verbis non comprehendi Episcopos, & ideo de loco celebrationis ipsorum, cum nihil innouet, relinquitur dispositioni iuris antiqui. Sic ibi Beia. Idem applico ad hoc nouum mandatum D. Vrbani VIII. videtur

detur enim solum locutus de Oratoriis sæcularium, idque ad maiorem obseruationem Tridentini: cumque de celebratione Missæ dicendæ ab ipso Episcopo, ac de ipsius Oratorio verbum non fecerit, id relinquitur iuri antiquo, de quo dixi *num.* 2. & 3. & denique confirmo ex praxi, nam post illud nouum mandatum D. Vrbani VIII. videmus omnes Episcopos Portugalliæ in Oratoriis sui palatij celebrare, & facere celebrari, sicut antea faciebant.

5 Hinc videtur probatum, posse Episcopos in suis Oratoriis facere, & concedere id quod antea poterant etiam ante Trid. cum ipsum Tridentinum de illorum Oratoriis non sit locutum, nec nouum mandatum Vrbani Papæ VIII. illorum Oratoria comprehendat ob rationes supradictas. Quod vero attinet ad declarationem citati cap. final. *de priuil.* vbi cum restrictione illa Episcopis conceditur celebratio in Oratoriis, ratione itineris, vel infirmitatis, dico, quod quidquid sit de illo capite, illud aliud capitulum Missarum *de consecr. dist.* 1. id concedere Episcopis absolutè, & sine illa restrictione, cuius capituli Decreto poterunt proinde Episcopi acquiescere. Licet enim dictum capitulum *Missarum*, non sit Concilij generalis, sed solum Prouincialis, videlicet Triburicensis, & proinde non videatur facere legem pro tota Ecclesia, est tamen iam insertum in corpore iuris, & videtur à tota Ecclesia approbatum: & tanquam legem vniuersalem Ecclesiæ illud capitulum citant Doctores, vt Suarez supra citatus. Azor, Nauar. *in sum. Latina, cap.* 25. *num.* 82. Sylvest. ver. *Missa* 1. *q.* 1. §. *secundum.* & alij.

6 Ad secundum quæsitum iam patet responsio ex dictis, cum enim Tridentinum, nec nouum mandatum D. Papæ Vrbani VIII. comprehendat Oratoria Episco

Episcoporum, credo quod illi etiam in villa rutali poterunt cum debita decentia erigere altare, & in ipso celebrare, vel celebrari facere, si non per cap. finale *de priuileg.* saltem per capitulum *Missarum*, citatum, quod id illis concedit sine restrictione. Et quamquam illa generalis cõcessio sit illis restricta hodie saltem per D. Vrbanum VIII. iam diximus id intelligi solum quoad Oratoria sæcularium, in quibus timentur abusus, non quoad Oratoria Episcoporum, in quibus illi non præsumuntur. Si autem prædicti Episcopi, & in suo palatio, & in villa cum decentia possunt in prædictis Oratoriis celebrare, vel celebrare facere coram se: ergo non credo, quod illo absente possint alij Sacerdotes celebrare, quia illud priuilegium non est reale, id est, concessum illi Oratorio, vel loco, sed videtur esse solum priuilegium personale concessum, scilicet soli personæ Episcopi cum celebrat, vel cum ibidem audit: ac proinde cæteri Sacerdotes illo absente non poterunt tali priuilegio gaudere.

7 Vltimo dubitari potest, an Episcopus possit altare erigere priuatum, vt in illo celebret, vel faciat celebrare in Oratorio priuato, etiam quando est in aliena diœcesi? Credo quod poterit. Primo, quia dictum cap. fin. *de priuileg.* videtur facere, dicens de illis: Concedi, quia sæpè absunt à suis Ecclesiis, quod maximè potest euenire cum sunt in aliena diœcesi. Secundo id probatur, quia Episcopum celebrare Missam in Oratorio priuato dum in aliena diœcesi moratur, non est exercere iurisdictionem contentiosam, vt patet, sed voluntariam: hanc vero voluntariam iurisdictionem, seu potius priuilegium personale potest exercere in aliena diœcesi; vt tenet Sanchez *lib. 3. de matrimon. disput. 19. à num. 7.*

CASVS

CASVS XXI.

De quodam iudice dante consilium reo.

QVidam Religiosus doctus in certa causa fori externi dedit consilium cuidam alteri de modo quo erat se defensurus: postea iste qui dedit cõsilium, creatus est iudex delegatus in illo proprio casu, in quo dederat consilium, subortus est scrupulus, vtrum in foro conscientiæ potuerit esse iudex in illa causa, in qua dederat consilium; & potest casus figurari in re magis quotidiana, videlicet an iudex actualis videns reum non aduertere circumstantiam, in qua maxime consistit sua defensio, possit in foro conscientiæ illi dare consilium, quo suæ causæ prospiciat?

Quod in primo casu ille consulens nõ possit postea esse iudex, neque in secundo casu iudex possit dare consilium reo. Probatur primo ex cap. *Nullâ vnquam* 4. *q.* 4. vbi Papa Fabianus dicit, in omni iudicio quatuor personas debere adesse (videlicet distinctas inter se) id est iudices, accusatores, defensores, atque testes. Vnde colligitur clarè, quod iudex debet esse persona distincta à defensore, ac proinde non potest iudex esse defensor rei consilium dando. Secundo probatur ex his quæ tradit glossa in cap. *si contra, de offic. & potest iudic. deleg. in* 6. ver. *Additio.* vbi dicit, posse recusari iudicem illum, qui prius curauit vt sibi causa committeretur, vel qui dixit parti auctori, quod habebat iustitiam in causa: minus est autem dicere parti quod habeat iustitiam, quam illi dare consilium pro victoria acquirenda. Tertio, quia ille qui fuit aduocatus in vna causa, potest recusari ne sit postea iudex in eadem causa,

sa,vt habetur in cap. *Postremo fraternitati, de appell. vbi glossi. ibid.* in verb. *Aduocati officiū* alia dicit ad intētum: cuius ratio est,quia qui iam fuit aduocatus in ista causa,manet ad illa valde propensus, ita vt credendum sit quod postea factus iudex iudicabit pro illa opinione, quam tenuerat dum esset aduocatus: quod eodem modo credendum est de illo qui prius consilium dedit in causa,moraliter enim postea iudicabit iuxta consilium à se datum. Quarto, iudex debet esse rectus, & æqualis,iuxta illud in Psalm.118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* At si iudex det consilium reo, iam non est æqualis, iam enim propendet magis ad reum quam ad accusatorem, & fauet plus vni parti quam alteri: ergo non potest parti dare consilium, quod si dederit,videtur quod non possit esse iudex.

1 His non obstantibus credo quod in foro conscientiæ nullus ex prædictis dans cōsilium impeditur quin possit esse iudex in foro cōscientiæ si cessaret omnis carnalis affectus,licet in foro externo possint prædicti recusari ab officio iudicis.Hæc 2.pars conclusionis probatur ex argumentis proximè positis, quæ vt nimium prodant prædictum consulentem posse in officio iudicis recusari in foro externo.Prior vero pars,quod scilicet talis iudex consulens,quando iam est iudex si facit in secreto,& qui consuluit antequam esset iudex, non ob id impediatur in foro conscientiæ ab officio iudicandi,asseritur primo à Corduba *q.* 259. vbi ponit casum,qui contingit,videlicet sic:Baiulus cuiusdam villæ secreto misit processum cuiusdā causæ eidem Doctori,qui patrocinatus fuerat in causa, vt sententiam ordinaret,&c.nam si re vera eam tulit secundum Deum, nullo habito respectu ad affectionem carnalem,valida est in foro conscientiæ, nec peccauit idem Doctor illam

Iam ordinando ſecundum Cordub. citatum, & Valero Cartux. *lib. de different. vtriuſq. fori*, verbo *index, differẽtia* 8. hunc caſum Cordubæ citans, non reprobat, licet ipſe dicat ſe non conſulere. Facit etiam ad hoc gloſſ. in cap. *dilecto filio de teſtib. & atteſt.* in verbo *recuſaſtis*, vbi dicit, quod ille qui volebat eſſe Aduocatus meus, & cui ego reuelaui ſecreta meæ cauſæ, non ideo poteſt recuſari, neque impeditur eſſe poſtea iudex meus. Et tamen hic talis qui volebat meus eſſe Aduocatus, iam erat propenſus ad meam cauſam: non inquam obſtat, quia vt ait cit. gloſſ. ille non debet iudicare iuxta illud quod ſcit ex me, ſed ſecundum allegata, & probata. Vnde poteſt formari ratio principalis: nam qui dat conſilium pro tali re facienda, vel tale conſilium eſt iuſtum in ſe vel eſt iniuſtum. Si eſt iuſtum, non peccat vllo modo ſequendo poſtea idem conſilium in danda ſententia. Si vero eſt iniuſtum, poteſt illud poſtea mutare in danda ſententia, cum in illa non debeat ſequi ſuum cõſilium antea datum, ſed ſecundum allegata, & probata. Et confirmatur ex eo quod tradit Sanchez *lib.* 1. *Decalog. c.* 9. *num.* 45. citans multos, videlicet poſſe iudicem hodie dare ſententiam in vna materia ſecundum vnam opinionem probabilem: & altera die ferre aliam ſententiam in eadem materia ſecundum aliam opinionem probabilem, ſi ceſſet ſcandalum. Secundo probatur, quia dans conſilium non ſe coarctat ad ſtandum ſemper eidem conſilio, ſed poterit poſtea illud mutare, maximè cum viderit pondera rationum, quas vnaquæque pars pro ſe allegabit, quæ cogent illum ad mutandum conſilium. Tertio in particulari, quod iudex conſulens reo, vt caueat in re aliqua, non facit iniuriam accuſatori, ſi benè conſulit: nam cõſulens id quod eſt iuſtum, nulli facit iniuriam: vt è contra, ſi iudex accuſatori iuſtum

ſtum conſilium daret, pro ſua re conſequenda, nullam faceret reo iniuriam, vt conſtat: ergo cuiuis parti dans conſilium in foro conſcientiæ: neque facit alicui iniuriam, nec damnum infert alteri, neque ſibi libertatem adimit, vt poſtea in ferenda ſententia ſequatur allegata, & probata, & ſententiam mutet.

2 Ad primum argumentum ſumptum ex cap. *Nullus*, dicendum eſt primo ibi per defenſores, intelligi Aduocatos, qui publicè coram iudice in tribunali pro aliqua parte patrocinantur: at conſulens ſecreto in domo ſua non eſt Aduocatus, vt tenet expreſsè Author *Repertorij Inquiſitorum*, ver. *Aduocatus*, §. 1. & §. *Sed non dicitur*, & § *Sed Doctor*, ad quod citat vnam legem, Bartolum, & Angelum. Aduocatus ergo propriè dictus, de quo loquitur cit. cap. *Nullus*, debet eſſe perſona diſtincta à iudice. Conſulens vero in ſecreto, vel domi ſuæ, qui non eſt Aduocatus, poteſt eſſe perſona non diſtincta à iudice. Secundò dico præcipuum quod ibi Papa intēdit eſſe, vt iudicis perſona ſit omnino diſtincta à teſte, & ab accuſatore: & accuſator diſtinguatur omnino à iudice, & à teſte: & teſtis omnino non ſit accuſator, & iudex. In defenſoribus autem id non requirit omnimodè, vt patet ex verbis textus, maximè quia Aduocatus non eſt de ſubſtantia iuris. Si enim reus ſit valdè doctus, & Doctor in iure ciuili, & nolit ſibi dari Aduocatum, poterit idem eſſe reus, & Aduocatus in propria cauſa, vt patet. Ad ſecundum dico dictam gloſſ. loqui de foro externo, in quo poterit recuſari is qui procurauit cauſam ſibi committi, ſi id ſciatur: nos vero loquimur de foro interno, in quo dicimus talem procurantem ſibi cauſam committi non peccare, nec ab officio iudicis impediri, ſi ceſſet ſcandalum, & omnis affectio carnalis. Et idem dicendum eſt ad ſecundam

partem eiusdem argumenti, posse scilicet in foro externo recusari iudicem, qui dixit parti illam habere iustitiam; secus de foro interno de quo agimus. Ad tertium dico similiter illũ qui fuit Aduocatus in vna causa, posse recusari ne sit iudex in eadem causa: secus si fuit tantum consulens in eadem causa, & secreto in domo sua: tunc enim poterit esse iudex, quia vt diximus ad secundum, aliud est esse Aduocatum in publico coram iudice, & aliud consulere in secreto in domo sua. Et adhuc pro maiori explicatione dictorum in solutione huius tertij, & secundi argumenti, dico quod potest aliquando actus impediri per exceptionem iuridicè oppositam, si tamen non apponatur exceptio actus, valebit in foro interno, & externo, de quo sunt multa exempla quotidie in iure. Nam si exceptionem non opposui iudici, vel testi, cum poteram, & tacui, & consensi virtualiter, postea tempore non licito, non possum excipere, & facta per iudicem, vel testem valent. Sit vnicum exemplum in particulari: testimonium tulit Religiosus subditus contra me, qui Religiosus testimonium tulit sine licentia sui Prælati, Ego poteram exceptionem ponere tali testimonio, eo quod sine licentia sui Prælati dixit testimonium in iudicio: si tamen non excepi, valet testimonium dicti subditi. Ita Sanchez cum aliis ibi cit. 6. *lib. Decalog. c.* 13. *à num.* 106. *maximè num.* 110. Ad id vero quod additur in eodem tertio argumento, quod iudicaturus iam manet propensus ad id quod dixerat in dando consilio, respondimus sufficienter *num.* 1. quod scilicet hac propensione non obstante, potest ille postea mutare voluntatem in iudicãdo ex allegatis, & probatis. Et poterit licitè non mutare voluntatem, quam habuit in dando consilio, si non obstantibus allegatis, & probatis in processu, viderit

derit suum consilium fuisse verum, & iustum. Ad quartum argumentum patet etiam solutio ex dictis *num.* 1. nam licet iu lex ante dederit consilium reo, vel actori, non ideo desinit esse rectus, & iustus, nec alteri plus fauere, quam alteri, iniustè videlicet. Cum enim antea in dando consilio reo iustè, fecerit rem iustam, imo aliquando piam & necessariam, non fecit iniuriam, nec damnum causauit parti oppositæ, & ideo non desiit esse iustus, rectus, & æqualis. Et omnia hic dicta intelligo vt dixi, in foro conscientiæ tantum, & cessante scandalo.

CASVS XXII.

De quodam peccato mortali putato veniali.

QVoniam hominibus scrupulosis sæpius hoc solet accidere, volui pro quiete, & consolatione aliquorum casuum hic inserere quod aliquando de facto contigit. Quidam vir timoratus, & sollicitus aliàs animæ suæ, fecit quemdam actum, qui aliàs erat in se peccatum mortale, sed ille facto discursu sibi possibili, cogitauit illud tantum esse peccatum veniale, & cogitans esse solum veniale, actum exercuit, nullo modo facturus si sciret esse peccatum mortale. Quæritur an iste peccauit solum venialiter, an vero mortaliter.

1 Credo quod solum peccauit venialiter, & priusquam hoc dicerem, casum communicaui cum viro doctissimo Theologo, pro tali publicè reputato Rationes ad id persuadentes sunt istæ. Qui facit actum, quod de se est peccatum mortale, si facit omnino bona fide,

nec peccat venialiter, vt omnes concedunt: ergo à simili, & respectiuè, qui facit peccatum mortale veniale putatum, aliàs non facturus, peccat solum venialiter. Secundo peccatum vt sit peccatum, totum pendet ex hoc vt sit voluntarium: ergo sicut voluntarium dat esse peccatum in totum, sic etiam dabit esse peccatum in parte: & volenti, seu iudicanti solum esse veniale, non imputabitur ad mortale. Quod si dicas istum volentem peccare venialiter deliberatè, & facientem actum peccati mortalis, iam se exponere periculo peccati mortalis, & proinde iam committere mortale, obiicio contra, & arguo tertio cum his duobus exemplis clarissimis. Primo, qui ab eodem domino per intervalla surripuit res minimas, peccauit solum venialiter quamdiu per furta minima non accessit ad quantitatem notabilem, & sufficientem ad mortale; quando vero commisit vltimum furtum paruum, quod iunctum præteritis efficit quantitatem notabilem, tunc per illud furtum vltimum peccat mortaliter, cum sit complementum damni notabilis. At omnes concedunt, quod si iste in vltimo furto paruo, quod ob proximè dictum, est iam peccatum mortale, non aduertit tale furtum vltimum esse mortale, sed solum credidit esse veniale, sicut præcedentia parua, neque aduertit ad præcedentia furta parua: hic talis etiam in vltimo furto peccauit solum venialiter, licet iam esset mortale à parte rei, & licet se exponeret periculo peccandi mortaliter, & sciret clarè se peccare venialiter in vltimo furto. Sic de vltimo furto paruo non considerato, vt mortali, tenet Caietan. verb. *furtum*, & Rabello *de obligat. iustit. lib.* 3. *q.* 15. *sect.* 4. §. *Hinc colliges*: & fauet Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 21. *num.* 4. quod exemplum est omnino adæquatum. Secundum exemplum sit: peccans cum fœmina

mina consanguinea, quam omnino ignorat esse consanguineam, peccat quidem mortaliter, sed non peccat peccato incestus, vt patet, si enim id sciret, non faceret, & tamen exposuit se periculo committendi peccatum incestus, quod erat annexum isti actui: & hunc incestum euasit, propterea quod incestum nullo modo esse credidit, neque illum intendit. Facit vltimo quod tradit gloss. in cap. *plerumque, de donat. inter virum, & vxorem*, in verbo, *Repetere non valebit*, vbi dicit quod crimina secundum intentionem iudicantur, & iniuria ex affectu mentis fit: & citat ad hoc quinque, vel sex tex. vtriusque iuris quæ ibi videri poterunt: & ibi dicta iuuant ad præsens intentum.

CASVS XXIII.

De quodam Confessore reuelante furtum iudici ex licentia pœnitentis positi in articulo mortis.

QVidam existens in articulo mortis dixit suo confessori, vt iret ad iudicem sæcularem, illique ex sua parte diceret, in tali loco esse sub terra coopertam rem magni pretij, quam ipse pœnitens furto rapuerat, eamque suo domino redderet. Confessor iudici manifestauit locum, latrone iam in extremis agente. Sed conualuit latro de infirmitate. Post sanitatem assecutam publico carceri traditus est: Quæritur, an si iste latro per iudicem ad mortem condemnetur, prædictus confessor maneat irregularis?

1 Casus pro vtraque parte satis dubius est. Ante cuius

respondeo primo. Supposito, quod latro suspendatur, talis confessor non erit irregularis ex homicidio voluntario, quia non intendit occidere propriè, in se, ac directè: imo intendit opus pium, id est, animam pœnitentis exonerare, & rem reddi domino suo. Pro quo sufficiat videre quæ diximus supra *casu* 17. *huius* 3. *p. num.* 2. de homicidio voluntario ex Suarez. Secundo, iste confessor non erit irregularis eo quod fuerit causa homicidij casualis dando operam rei illicitæ, vt primo aspectu apparet: opus enim quod intendebat, vt proximè dixi, licitum, ac pium videbatur, exonerare scilicet conscientiam pœnitentis, & rem suo domino restitui. Et quidem negari non potest illum valdè inconsideratè egisse manifestando furtum iudici ante mortem latronis, debuit enim expectare mortem: imo & post mortem poterat furtum detegere non nominando latronem suo nomine. Restat ergo vt inquiramus an talis confessor incurrerit irregularitatem homicidij casualis dando operam rei illicitæ, sed non adhibendo, debitam diligentiam: & dicta in hoc casu proderunt ad alios similes, ad cognoscendam irregularitatis incusionem.

2 Pro parte ergo negatiua, quod prædictus Clericus non incurrerit irregularitatem secuta morte suspendij, probatur primo ex iis, quæ tradit Azor *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 14. §. *Tria ergo*, & Sayro *Clauis Regia lib.* 7. *cap.* 14. §. *Tertia est*, videlicet, quod vt aliquis sit homicida casualis dando operam rei illicitæ, necessarium est, quod talis operãs teneretur abstinere à tali opere vnde mors per accidens secuta est, & teneretur abstinere ab illo opere ex iure diuino, naturali, vel humano. At iste confessor reuelans latronem iudici, non tenebatur abstinere ab ista reuelatione ex aliquo iure illorum trium, imo

imo reuelando faciebat opus quod credebat licitum, vt restitutio sortiretur effectum; ergo non incurret irregularitatem iuxta hos Doctores. Secundo, quia Inquisitores sancti Officij non incurrũt irregularitatem tradendo hæreticos iudici sæculari, quos certo sciunt damnandos esse ad mortem, & non euadunt hanc irregularitatem propter interceſſionem, vel proteſtationem quam faciunt corã eodem iudice ne procedat ad effusionẽ sanguinis, iuxta cap. *Nouimus, de verb. signif.* nam licet aliqui Doctores dixerint eos illam euadere ob dictam proteſtationem: Suar. tamen *tom. de cenſur. diſput. 47. ſect. 1. in fine*, ait, causam cur non incurrũt irregularitatem esse, quia iudex Eccleſiasticus tradens aliquem brachio sæculari, nec dat iurisdictionem iudici sæculari, nec dictat sententiam sanguinis, nec ad illam inducit, sed solum declarat delictum, & reum afficit pœnis Eccleſiasticis, & permittit reum capi à iudice sæculari. Sic iste confeſſor sua reuelatione facta iudici, non dedit iurisdictionem iudici sæculari, nec tulit sententiam mortis, neque induxit ad illam, nec fuit teſtis iuratus, sed solum intẽdit vt reſtituerio fieret vero domino. Tertio probari potest ex eo quod tradit Reginald. *tom. 2. lib. 30. tract. 2. num.* 118. quod scilicet non sum irregularis (licet ille ponat verbum, videtur) si Petrum induxi ad committendum delictum propter quod ille captus damnatur ad mortẽ: quia in hoc non censeor occidisse. Sic iste confeſſor non videtur pœnitentem hunc occidere reuelatione facta iudici, licet per accidens, & remotè ex sua reuelatione mors fuerit secuta. Quarto probari potest ex eo quod dicit idem Reginald *cit. loco n.* 121. quod scilicet, is qui habet curam infirmi non ex obligatione iuſtitiæ, sed solum ex charitate, & pietate, non incurrit irregularitatem ob

mortem secutam ex sua negligentia si fuerit leuis negligentia: nisi quando illius negligentia circa vigilia, & medicinas adhibitas fuerit grauis, & notabilis: & iste confessor in sua reuelatione facta iudici non videtur peccasse saltem grauiter. Vltimo confirmatur, quia ista irregularitas est pœna grauissima, & proinde non debet imponi nisi ob culpam grauem, & mortalem, vt tenet Suar. *cit tom. de censur. disp. 45. sect. 5. num. 8.* cum aliis ibi citatis. Facit adhuc pro ista opinione Henriquez *tom. 2. lib. 14. cap. 12. n. 7 post medium*, vbi loquens de ista irregularitate, dicit non esse irregularem, illum qui dicit, vel facit aliquod opus pium: vt si confessor dicat carnifici, permittitur tibi facere officium tuum, vel dicat reo vt ascendat patibulum, &c. ibi.

2 Pro parte tamen affirm. quod incurrerit irregularitatem secuta morte sunt vrgentes rationes. Primum est argum. fundatum in eo quod etiam citati Doctores dicunt, videlicet quod homicida ex homicidio casuali, quando dabat operam rei licitæ, vt euadat irregularitatem debet facere diligentiam moralem, & sufficientem ne sequatur mors ex suo facto. Et in particulari Suarez *cit. disp. 35. sect. 5. num. 41.* specificans qualem diligentiam facere debeat homicida casualis dans operam rei licitæ vt euadat irregularitatem: dicit quod talis dicetur ille, qui fecit omne illud quod debuit, & potuit, & solum omisit facere id quod non est animaduersum, quia sine magna ingenij perspicacitate, & solertia non potuit animaduerti. Sic ille. At constat quod iste cõfessor cum ordinaria, imo & cum tarda solertia potuit aduertere pœnitentem posse conualescere ex infirmitate, & suam reuelationem factam iudici posse illi mortem causare. Et quidem, si pœnitens non declarauit confessori expresse vt reuelaret iudici statim

tim ante mortem ſuam (quod de illo non eſt credendum, voluiſſe ſcilicet ſe tali periculo exponere) ſed abſolutè dixit confeſſori, vt id iudici reuelaret; magis culpandus eſt confeſſor, nec ab irregularitate excuſandus, ſecuta morte, cum clarè deberet intelligere pœnitentem id ſibi committere, ſolum poſt mortem ſuam. Et proinde non appoſuit diligentiam debitam, imo fuit in magna negligentia, maximè cum poſſet dicere iudici locum furti, & cui eſſet reſtituendum, non reuelato nomine furis. Et hinc colligitur ſecundum argumentum iuxta ſupradictum ex Azorio, quia ſcilicet iſte confeſſor ex lege diuina, & naturali tenebatur abſtinere ab iſta reuelatione prout ſic facta, declarato nomine latronis illo viuente, cum tali ipſius periculo, ac proinde irregularitatem incurrit. Tertio probatur, quia teſtis dans teſtimonium in cauſa ſanguinis vnde mors ſequitur, eſt irregularis, vt omnes admittunt, etiamſi in illo dando non peccet: ratio eſt, quia vt ait Henriquez *2.tom.ſum.lib.14.cap.12.num.9.* cum ibi citatis, teſtis influit in ſententiam ſanguinis, eodémque modo iudex: & in hoc caſu iſte confeſſor etiam influit in ſententiam ſanguinis, quamuis remotè. Et ſic vt minimum colligitur ex dictis quod iſte confeſſor attenta ſua negligentia, dedit operam rei licitæ, ſed illicitè.

3 Viſis argumentis pro vtraque parte eligat quis partem ſecuriorem: ego enim magis credo quod incurrerit ob dicta proximè num. 12. quia tamen hic quæritur de foro conſcientiæ, dico quod ſi iſte confeſſor attenta bona fide qua fecit, credens ſe facere opus virtutis, non peccauit mortaliter iudicio boni viri, non eſt reputandus irregularis, etiamſi credat ſe peccaſſe venialiter in omiſſione diligentiæ faciendæ. Sic tenet Suarez *tom.de cenſur.diſp.45.num.8.* citans Salon. & So-

tum, qui dicunt homicidam casualem si in facienda diligentia fuit negligens solum ex culpa veniali, non esse irregularem: tanta enim pœna, quanta est irregularitas non est ponenda pro culpa veniali. Si vero cognouerit, quod sua negligentia fuerit culpa mortalis, debet se reputare irregularem. Pro quo etiam notat Sayro cit. loco num. 3. quod debita diligentia, & circumspectio in hac materia discernenda est ex circumstantiis loci, temporis, & personarum, & similibus, & ex quantitate negotij. Si vero facta omni inquisitione dubius adhuc omnino maneat an omissio suæ diligentiæ fuerit mortalis, an non, stante tali dubio in æquilibrio debet se reputare irregularem: nam in irregularitate orta ex homicidio, stante dubio debet quisque se reputare irregularem, prout tenet Sanchez *lib. 1. Decalogi, 10. num. 43.* citans decem graues Doctores. Quod in aliis irregularitatibus extra homicidium dicit non habere locum.

CASVS XXIV.

De quodam legato pro redimenda puella captiua.

QVædam fœmina nobilissima in suo testamento iniunxit hæredi, vt redimeret vnam puellam ex captiuis apud Turcas, quæ esset septem, vel octo annorum: cœpit hæres per mercatores, & negotiatores agere de redimenda quadam illius ætatis captiua inter Turcas. Post negotium iam cœptum, mortuus est mercator agens negotium, & ortæ sunt aliæ difficultates, & impedimenta, ob quæ istius captiuæ redem

redemptio effectum non habuit vsque ad annum decimumquintum suæ ætatis. In hoc anno hæres paratus est prosequi negotium redemptionis, sed dubitat, & quærit, an sit redimenda alia quæ sit hodie septem, vel octo annorum tantum, iuxta formam testamenti. An vero redimenda sit illa prior, quæ est hodie quindecim annorum, de qua iam cœptum est negotium, & intentata redemptio, eo quod iam videatur habere ius ad rem, siue ad talem redemptionem.

1 Respondeo, quod si illa prior in septennio, vel hodie sciens de tali legato, & sciens iam agi de sua redemptione acceptauit, vel acceptauit pro illa pater, aut mater, aut tutor ipsius, vel Prælatus illius, vel persona potens acceptare validè pro alio, tunc illa est redimenda, licet sit quindecim annorum. Probo primo, quia per illam acceptationem per se factam, vel per aliquam personam ex supradictis, iam acquisiuit ius ad dictam redemptionem pro se cœptam. Probatur hoc ex iis quæ Doctores communiter tradunt circa promissionem factam absenti, quando scilicet obliget promissorem ad implendum. Inter quos præcipuè est Reginaldus *tom. 2. sum. 25. cap. 6. sect. 3. num. 77.* vbi citans alios ait, quod si promisi Petro absenti certam pecuniam, promissio non obligat in conscientia donec Petrus absens acceptet: si tamen in præsentia promissoris acceptet promissionem, vel donatiocem pro Petro, pater, mater, tutor Petri, vel Prælatus, creditor etiam cui Petrus debet, vel alius potens validè acceptare pro absente in causa pia, tunc promissor tenetur implere promissionem Petro. Quod etiam in isto casu cernitur: nam istud legatum de redimenda captiua absente, est quædam donatio, vel promissio facta captiuæ destinan

ſtinandæ per hæredem. Si ergo iam hæres hanc deſtinauit Mariam, v.g. & illa abſens, & ſciens iam acceptauit, vel acceptauit pro illa abſente pater, tutor, mater, aut vllus ex ſupradictis, iam iſta, licet hodie ſit quindecim annorum, habet ius ad rem per talem acceptationem, & proinde huic, & non alteri implenda eſt promiſſio legati, & redemptionis. Idem probatur ex iis quæ tradunt Doctores agentes de commutatione voti, maxime Vega 2. *part. ſum.* ver. *votum caſu* 115. vbi cum multis reſoluit, quod ſi promiſi calicem certæ Eccleſiæ, & non fuit præſens perſona quæ acceptaret promiſſionem pro tali Eccleſia, poſſum ego commutare votum, & dare calicem alteri Eccleſiæ, maximè ſi ſit pauperior: at ſi facta promiſſione ibi erat aliquis miniſter Eccleſiæ illius cui primo facta eſt promiſſio, qui acceptauit promiſſionem nomine Eccleſiæ, vel alia perſona, quæ validè poſſet illam acceptaret promiſſionem, iam teneor dare priori Eccleſiæ, quia acquiſiuit ius per acceptationem; quæ omnino faciunt pro noſtro caſu.

2 Si vero iſta puella hodie quindecim annorum, nec ſciuit de ſua redemptione iam cœpta, nec acceptauit per ſe, nec pro illa acceptauit pater, mater, tutor, aut aliquis ex ſupradictis, non tenetur hæres iſtam redimere, quia non acquiſiuit ius ad rem per illam acceptationem, ſed poterit hæres aliam ſeptennem redimere: imo ad hanc ſeptennem tenebitur ob formam teſtamenti, non ad illam quæ nec eſt ſeptennis, nec ius acquiſiuit per ſuam acceptationem. Vltimo aduerto, quod ſi teſtatrix nominauit illam priorem puellam, vel aliam proprio nomine, vel nomine ſuorum parentum, tunc iſta redimenda eſt quantæcumque ſit ætatis, vt patet.

3 Quæris:

3 Quæris: quid si pro nunc non inueniatur aliqua puella captiua septennis, in casu, quo illam priorem non teneatur hæres redimere ob defectum conditionum positarum *num.* 2. Respondeo tunc redimendam esse priorem quindecim hodie annorum, quia saltem in hac impletur intentio testatricis, & quia iam apta erat tempore quo testamentum debuit ex obligatione impleri. Potest hoc probari ex casu posito à Sanchez *lib.* 1. *de matrim. disput.* 33. *num.* 32. vbi dicit, quod si quis legauit certam pecuniam certæ virgini pro suo matrimonio, & quando is mortuus est, iam illa erat nupta, potest illi donari legatum, quia iam fuerat habilis quando testamentum conditum est: & constat, quod testatoris mens fuerit huic fauere: quod potest hic applicari. Denique si hodie nec prior illa quindecim annorum viua sit, nec aliqua septennis, vel octo annorum reperiatur, credo ad nullam grandæuæ ætatis redimendam teneri, quia verba testamenti sunt intelligenda in significatione propria, & illa expressè dicunt vt redimatur septem, vel octo annorum puella. Sed de isto legato standum erit Decreto Episcopi: & tutius est aliam quamcumque redimere.

CASVS XXV.

De Moniali illegitima, an possit esse Abbatissa sine dispensatione.

QVædam Monialis Ordinis sanctæ Claræ secundæ Regulæ, electa est in Abbatissam per suffragia Conuentus cum esset illegitima ex prohibito concubitu. Prouincialis noluit illam confirmare propter hoc impedi

impedimentum, neque cum illa dispensare : quæritur an possit esse Abbatissa sine Prælati dispensatione, & an Prælatus potuerit illam excludere?

1 Sanchez *lib. 5. Decalog. cap. 5. num. 19* ait Monialem illegitimam non posse esse Abbatissam sine dispensatione; licet concedat posse cum illa Prælatos dispensare, & illam ad officium habilitare, Additque Monialem bigamam, quæ scilicet bis nupsit, non posse esse Abbatissam etiam cum dispensatione Prælati. Non affert Sanchez aliquam rationem particularem contra illegitimam ne sit Abbatissa nisi textus, & rationes communes probantes, seu prohibentes, ne masculi illegitimi sint Prælati, sed rationes quas affert infra ponam & soluam.

2 Ego credo quod Monialis illegitima potest esse Abbatissa, vel Prioriſſa, absque vlla dispensatione Prælati, maximè si sit Regulæ primæ, vel secundæ Sanctæ Claræ, vel Ordinis habentis communicationem priuilegiorum, & proinde quod hæc, de qua agitur, non potuit excludi ab officio Abbatissæ, neque indiguit dispensatione vt in officio confirmaretur. Pro istius probatione suppono, quod Moniales S. Claræ gaudent priuilegiis omnibus, quæ habent Fratres Minores, siue talia priuilegia fuerint concessa illis immediatè, sine talia priuilegia habeant ipsi Minores per communicationē. Nam illud priuilegium quod aliqua Religio habet per communicationem, habet illud tanquā sibi proprium, & tanquam si sibi immediatè, & nominatim fuisset concessum, vt patet ex multis locis *compendij*, maximè in ver. *communicatio priuilegiorum*, §. 9. *in fine*, & §. 12. & alibi. Quod vero Moniales S. Claræ gaudeant priuilegiis concessis Fratribus Minoribus, habetur in compendio Mendicantium citato proximè verbo §. 14. ex Leone

Leone X. Quo supposito, Fratres Minores gaudent priuilegio concesso Religiosis Sancti Ioannis Euangelistæ, in Portugallia, quæ dicitur congregatio Sancti Ioannis Euangelistæ, in quorum compendio *fol.9.pag.* 2. habetur hoc priuilegium: *Vt admissus ad professionem inter illos si habet defectum natalium ipso facto sit dispensatus non solum ad Ordines, sed etiam ad omnia solita gubernari per Fratres illius Ordinis, Prioratus, Rectorias,* &c. Cum ergo Monales S. Claræ gaudeãt hoc priuilegio cõcesso Minoribus per extensionẽ participationis, sequitur quod Monialis S. Claræ ipso facto quod fuit admissa ad professionem manet dispensata ad omnia officia, & Prælaturas Religionis, ita vt nõ indigeat alia dispensatione. Et hoc credo esse verum, etiamsi dicta Monialis esset illegitima sacrilega, id est, nata ex concubitu sacrilego: lex enim, seu dictum priuilegium non distinguit, sed loquitur in communi, de omni defectu natalium. Prædictum vero priuilegium est in praxi apud dictos Religiosos, vt scio certe: quamuis autem hoc priuilegium ignoretur à Monialibus. neque apud illas sit in praxi, hoc non tollit quin illo possint frui nunc postquam illius notitiam habent, vt tradit Rodrig. *tom.1.qq.q.61.art.3.§. At Vrbanus.* Et idem Rodrig. *in exposit. Cruciat. ad* §.9.132. in tit. *de voto vltramarino.* Secundo probo, quia textus excludentes illegitimos ab officiis & dignitatibus, quales sunt cap.1. & cap. fin. *de filijs Presbyterorum,* loquuntur solum de masculinis, vt patet ex verbis textuum. Lex autem loquens de masculis, maximè in odiosis, non comprehendit fœminas, vt tenet Geminianus in cap. *in generali in 3. casu de elect.* & Antõ. Gabriel *com. opin. tit. de verbor. signific. conc.6.num.17.* Tertio, quia Sixtus V. in Motu proprio contra illegitimos, nec vllum verbum fecit

de

de fœminis in ordine ad Prælaturas, vel ad professionem. Quarto, quia fœminæ non sunt propriè Prælatæ, prælatura de qua loquuntur Canones, vt colligitur ex D. Thom. *in 4. dist. 25. q. 2. art. 1 quæstiunc.* 1. & tenet hanc opinionem expresse Rodrig. *tom. 1. qq. q. 13. artic. 21.* & citat pro eadem Cynum, Bartolum, Ancharanum, Fauent. Palud. Tabiena citati à Sanchez *cit. cap. num. 18.*

3 Rationes particulares Sanchez sunt hæ. Primo adducit duos textus supracitatos ex cap. 1. & fin. *de filijs Presbyt.* sed ad hæc duo capitula iam respondi supra *n. 2. in argum. 2.* Secunda ratio Sanchez est, quia in cap. *Indemnitatibus, de elect. in 6.* dicitur quod Abbatissa habet dignitatem: & hæc dignitas interdicitur illegitimis citatis duobus cap. *de filijs Presb.* Respondeo, quod licet citatum cap. dicat. Abbatissam habere dignitatem, nõ dicit quod hæc dignitas sit Ecclesiastica Prælatura, sed est dignitas impropriè, vt diximus ex D. Thom. proximè citato. Est enim dignitas Abbatissæ, quædam sola præeminentia tanquam matrisfamilias: eo modo, quo Parochus dicitur Prælatus, id est, propriè Prælatus, vt habetur cap. 1. *de Cleric. ægrot.* licet enim ibi, & alibi Parochus vocetur Prælatus, intelligitur impropriè, & largè, vt explicat idem Sanchez *7. lib. Decal. cap. 29. num. 56.* & Sylvest. ver. *Prælatus, ad initium.* Imo ipse Sanchez *cit. lib. 5. c. 1. n. 19.* sic attenuat iurisdictionem Abbatissæ, vt dicat illam non posse imponere præceptum spirituale in ordine ad finem spiritualem; ac proinde ex mente eiusdem non est propriè Prælata. Tertia ratio Sanchez est, quia Concilium Trid. *sess. 25. cap. 7. de Regular.* tanti facit officium Abbatissæ, vt non nisi quadragenariam, & post annos 8. professionis eligendam esse decernat. Respondeo, esto quod ita sit, sicut est: non inde sequitur, quod excludat illegitimam,

ab

ab officio Abbatissæ : imo inde arguo, & probo illam non excludi. Nam cum ibi Tridentinum tam exactè assignauerit conditiones requisitas ad Abbatissam, & nullam mentionem fecerit de natalibus illius, seu quod debeat esse legitima, clarè innuit, quod defectus natalium non sit impedimentum ad officium Abbatissæ, si enim impediret, à Concilio diceretur. Vnde iuxta Regulam Iuristarum, illa quæ in lege non prohibentur, concessa intelliguntur : vt refertur in indice Decretalium, verb. *concessum*.

4 Imo addo contra Sanchez, quod etiam Monialis bigama poterit esse Abbatissa : tum ob supradicta, quia scilicet Abbatissa non est propriè Prælata : tum propter citatum priuilegium cõcessum Patribus Congregationis S. Ioannis Euangelistæ: tum quia ipse Sanchez concedit Monialem non virginem posse esse Abbatissam : per quod etiam innuit quod non virgo ex concubitu illicito poterit esse Abbatissa cum non distinguat quomodo virginitatem amiserit. Maius vero incommodum videtur vt sit Abbatissa non virgo ex concubitu illicito, quam non virgo bigama, quæ bis validum matrimonium contraxit. Tum denique quia bigamia solum, & propriè impedit receptionem Ordinum sacrorum, quos Abbatissa non recipit: & præterea pœnæ impositæ bigamis in titulo de bigamis solum imponuntur masculis bigamis, & proinde non comprehendunt fœminas bigamas iuxta dicta *num.* 2. Imo inauditum videtur, quod in titulo *de bigamis* intelligantur fœminæ bigamæ *in Decretalibus, vel in* 6. omnia enim capitula in titulo *de bigamis in Decretalibus, & in* 6. clarè loquuntur solum de bigamis masculis, & in Ordine ad Ordines sacros suscipiendos.

5 De Moniali vero, quæ incontinenter, & inhonestè

vixerit, an possit esse Abbatissa? Dico breuiter, quod si inhonestè vixit intra Religionem, prohibetur esse Abbatissa *in cit. cap. 7. Trident.* vbi requiritur, quod in ordine laudabiliter vixerit. Si vero inhonestè vixit ante ingressum Religionis, & delictum sit publicum, impedietur fieri Abbatissa propter scandalum.

CASVS XXVI.

De quodam Parocho qui dixit duas Missas vna die. Vnam veram & ordinariam, alteram siccam.

IN quodam oppido paruo erant duo tantum Clerici, vnus Parochus, alter coadiutor. Coadiutor tenebatur ex officio in quadam Dominica dicere Missam maiorem omni populo. Parochus eadem die Dominica summo manè Missam ordinariam celebrauit confidens quod coadiutor celebraturus erat Missam hora solita, vt totus populus audiret. Coadiutor, vel ex infirmitate, vel alio impedimento non potuit, vel noluit illa die Dominica celebrare. Parochus qui iam celebrauerat, & erat Dominica solemnis in Ramis Palmarum, ne populus tali die maneret in toto fraudatus solatio spirituali, solemniter benedixit Ramos, & postea dixit Missam siccam populo, cum illis cæremoniis, & vestibus, quas aliqui libri pro Missa sicca assignant. Accusatus est Clericus Parochus de tali Missa coram Regio tribunali, Ordinum Militarium, erat enim Parochus professus Ordinis Militaris Sancti Iacobi, cuius Ordinis Rex est supremus Magister. Quæritur an iste

Paro

Parochus peccauerit, vel aliquam pœnam incurrerit ex celebratione iſtius Miſſæ ſiccæ.

1 Ex duobus capitibus credi poſſet hunc Parochum peccaſſe. Primo ex eo quod duas Miſſas eadem die dixerit contra textus mox citandos. Secundo ex eo quod Miſſam ſiccam dixerit extra mare, & ſine neceſſitate. Sed ego reſpondeo ex neutro capite peccaſſe, vel pœnam vllam incurriſſe. Probo, quod non ex primo: nam textus qui prohibent eadem die duas Miſſas ab vno Sacerdote celebrari, quale eſt capitulum *conſuluiſti, de celebr. Miſſarum* & cap. *ſufficit, de conſecr. diſt.* 1. loquuntur ſolum de duabus miſſis veris, ordinariis, in quibus fit verum Sacramentum, vt praxis quotidiana docet: at Miſſa ſicca non eſt Miſſa in rigore, cum in illa non fiat vlla conſecratio, oblatio, nec conſumptio, quæ ſunt partes eſſentiales Miſſæ: & ideo nauigantes non tenentur ſub m. audire Miſſam ſiccam dictam in nauibus diebus feſtis, vt tenet Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 7. *quæſt.* 6.

2 Neque peccauit ex 2. capite ex eo quod Miſſam ſiccam dixerit extra mare, & non ſit conſuetudo iam celebrare in terra: nam Miſſa ſicca non eſt illicita ex ſe. Probo, quia non eſt illicita ob legem prohibentem, ſi quidem nulla lex Eccleſiæ datur, quæ illam prohibeat dicere extra mare: imo videmus illam in aliquibus Prouinciis eſſe in praxi extra mare, vt refert Durand. *lib.* 2. *de Ritibus Eccl. cap.* 4 *ad finem*: & Henriquez *tom.* 2. *lib.* 9. *cap.* 27. *num.* 2. in gloſſ. *litera A.* refert quod Leo X. approbauit quemdam librum, qui dicitur Sacerdotale, in quo continetur forma dicendi Miſſam ſiccam: ergo non eſt prohibita, imo permiſſa ex lege. Addit Durant. *cit loco*, quod Durand, *in ſuo Ration. diuini officij, lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 23. dicit, quod ſi Sacerdos non poteſt conficere, quia fortè iam celebrauit, vel ob aliam

cauſam, tunc poteſt ſumpta ſtola, &c. dicere Miſſam ſiccam, modo ibid. aſſignato: nec ſpecificat quod debeat dici in mari, vel in terra: & Durant.*cit.loco* ad finem quod in Gallia, videlicet Tolozæ, quando aliquis defunctus ſepelitur poſt prandium, dicitur Miſſa ſicca pro illo: ergo etiam in terra dici poteſt Miſſa ſicca. Et hoc ipſum contigit iſti Parocho, cum enim iam manè celebraſſet veram Miſſam, & non poſſet aliam veram ſecundo celebrare, potuit pro aliqua conſolatione populi ſecundo dicere Miſſam ſiccam per quam populus ad aliqualem deuotionem excitaretur. Denique Miſſa ſicca non eſt illicita ex parte materiæ, ſeu ex parte rei in illa contentæ: nihil enim continet malum contra Eccleſiam, vel bonos mores; ſolum enim iubet recitari Epiſtolam, Euangelium, Orationem Dominicam, & dare benedictionem, & pauca alia, quæ clarè ſunt bona, & ſancta, de quibus in illa dicendis, vide Durantum *cit.loco*, & contenta in illa non ſunt ſuperſtitioſa, ſed poſſunt excitare deuotionem populi, vt patet: ergo ex nullo capite prædicta Miſſa eſt illicita, nec proinde Parochus vllam pœnam ex illius celebratione incurrit. Vltimo non potuit iſte Parochus condemnari ex eo quod populo illa die veram Miſſam non dixerit, quia vt ſupra dictum eſt, Coadiutor illa die tenebatur populo Miſſam communem dicere, non Parochus: & proinde ſi populus illa die Dominica vera Miſſa caruit, culpa fuit coadiutoris, non autem Parochi. Et ob has cauſas, noui prædictum Parochum in publico tribunali fuiſſe abſolutum ab omni culpa, & pœna.

CASVS

CASVS XXVII.

De quodam casu pertinente ad materiam restitutionis.

OLyssipone hyemabant octo triremes Galliæ cum suo duce generali. Dux generalis conduxit quamdam nauiculam, vel cimbam, vt iret alium portum distantem per tres, vel 4. leucas, vulgo barreiro, pro conuehendo pane nautico, vulgo biscouto, ad triremium sustentationem. Dixit dux generalis officiali cuiusdam triremis (vulgo Meirinho) vt prædictam cimbam pararet, assignans illi Turcas remiges captiuos, qui de terra ad cimbam prædictam panem nauticum asportarent baiulando. Cumque ex officio dictus officialis triremis teneatur in simili casu assignare milites Christianos sufficientes pro custodia, & securitate Turcarum, designauit nouem Turcas pro oneribus portandis, & tres tantum milites ad custodiam. Nocte Turcæ captiui contra Catholicos paucos insurgentes, illos (vt creditur) occiderunt, & cum nauicula ad partes Africæ transfugerunt, Dominus nauiculæ, qui manserat in terra, petiit à duce generali triremium restitutionem suæ cimbæ, siquidem de illius mandato cimba fuit conducta.

Dux generalis remisit se ad Theologos, qui dicerent vtrum in foro conscientiæ illæ teneretur restituere damnum illatum: an vero ad restitutionem cimbæ teneretur officialis triremis cuius culpa damnum illatum est eo quod de militibus sufficientibus non prouidit, & tot Turcas destinauerit.

1 Ego respondi, me credere, quod dux generalis non tenebatur in conscientia restituere pretium nauiculæ domino petenti: sed quod ad id tenebatur officialis triremis dictus Meirinho. Probo, quia si dux generalis ad hanc restitutionem teneretur, esset ex eo quod iussit talem cimbam conduci: sed ex ista iussione non tenetur: ergo probo minorem, nam ista sola iussio, vt cimba conducatur vel locetur, ex se non est causa ordinata ad illud damnum inferendum, vt patet in praxi quotidiana, per quam de mandato Regis similes cimbæ capiuntur pro seruitio Regis: & ex tali Regis mandato præcisè, non sequitur simile damnum. Fuit ergo proxima causa damni dati officialis triremis, cui ex officio incumbebat prouidere cimbã de militibus sufficientibus, & non prouidit. Neque ex eo quod generalis dux iussit dicto Officiali vt cimbam conduceret, & pararet, & officialis negligens fuit in cimba paranda, talis negligentia officialis imputanda est duci generali. Facit pro hoc Regula illa qua dicitur: quod dico tibi vt facias, & tu potes facere benè, & debes facere benè, nõ dico tibi vt facias malè. Quam Regulam citat, & applicat ad casum similem Sanchez *in lib. 7. de matrim. disp. 95. num. 10. & 11.* Cum ergo dux generalis officiali triremis dixit, vt nauiculam conduceret, pararet, & mitteret, & talis officialis posset, ac deberet parare benè & sufficienter; non dixit illi dux generalis vt pararet malè, sed virtualiter dixit illi vt pararet benè, iuxta Regulas, & exigentiam negotij commissi, & proinde damnum illatum non euenit ex negligentia ducis generalis, sed officialis. Secundo facit ad deobligandum ducem generalem à restitutione, quod tradit Sayro *in Clau. Reg. lib. 10. tract. 2. cap. 6. num. 4.* vbi citans Gaët. Sot. Ledesm. Couar. Petr. Nauar. & alios dicit,

cit, quod ad hoc, vt aliquis dicatur causa damni dati, non sufficit quod sit conditio sine qua non: sed oportet quod aliquo suo influxu, & concursu morali concurrat ad illud damnum, & conferat ad illum effectum: iussio vero ducis generalis vt cimba caperetur, & mitteretur, nó influit influxu particulari in tale damnum, vt patet etiam moraliter. Et addit Sayro *cit. lib. c. 7. n. 6.* mandantem non teneri ad restitutionem, nisi quando imperium suum fuit periculosum, id est, ex se ordinatum, & occasionatum ad causandum damnum. Hæc autem iussio ducis generalis vt sic, non fuit ordinata, neque occasionata ad tale damnum inferendum. Probatur etiam efficaciter ex eo quod tradit Rabello *tom. de oblig. iust. lib. 2. de restit. quæst. 14 sect. 3.* vbi explicans in quibus casibus iubens teneatur ad restitutionem *num.* 12. dicit optimè ad intentum: quod si dominus nec expressè, nec tacitè damnum præcepit, quamuis famulus nomine ipsius damnum intulerit, non tenebitur dominus ad restitutionem, cum nec ratione rei acceptæ, nec iniustæ acceptionis, nec aliunde teneatur. Imo, nec si postea sciens crimen suo nomine patratum, id ratum habeat; & citat Medinam, & Petrum Nauar. quo nihil clarius ad intentum dici potuit. Nam in hoc casu dux generalis nec expressè, nec tacitè damnum hoc fieri mandauit, nec post factum ratum habuit, sed potius reprobauit: ergo ad restitutionem non tenetur. Et addit ibidem Rabello *num.* 13 quod si scio damnum nomine meo inferendum, & tamen non impedio cum commodè possim, peccabo contra charitatem, non tamen contra iustitiam, ac proinde ad restitutionem non tenebor, nisi vel ex officio damnum tenear impedire, &c. & tamen dux generalis ex officio non tenebatur hoc damnum impedire, sed id ex offi-

cio ſpectabat ad Officialem triremis, & dux generalis, nec tale damnum ſomniabat. Et confirmatur, quia aliàs diceremus teneri Regem ad reſtitutionem omnium damnorum cauſatorum per ſuos miniſtros culpabiliter, & negligenter operantes, vt v. g. cum iudices Regis iudicant iniuſtè, cum Scribæ, & Notarij officio malè fungũtur, plus exigendo, & falſo ſcribendo, & ſic de aliis officialibus Regiis, quibus Rex dat officia, & præcipit vt officia exequantur benè, & ſecundum conſuetudinem, & ignorat quando aliquid malè ab illis agitur. Quod nullus dicet, neque in his caſibus Regem ad reſtitutionem obligat: & idem dicendum erit de inferioribus principibus, ac dynaſtis reſpectu inferiorum ſibi ſubditorum: qui ſubditis non imperant vt malè agant, nec ſciunt quando actu malè agunt, nec proinde tenentur tunc aduertere, nec poſſunt, licet teneantur punire cum poſtea male factum aduertunt. Facit denique quod tradit Sà *in Aphor.* ver. *Reſtitutio, num.* 25. & 36. videlicet, quod in foro conſcientiæ de quo agimus, non tenetur reſtituere qui fecit bona fide, nec qui dubitat an fuerit cauſa damni. Et citat pro hoc ſecundo dicto Sylueſt. & Valentiam. At conſtat quod dux generalis in ſuo mandato fecit bona fide, vt patet. Et præterea eſt in dubio an fuerit cauſa damni: imo clarius conſtat quod non fuerit cauſa damni ex ſuo præcisè mandato.

2 Quod vero obiicitur ex Regula iuris, qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur: dico intelligendum eſſe de illo, qui eſt cauſa damni vera, naturalis, vel moralis per ſe, & directa: non vero de cauſa per accidens omnino remota, vel quando ſolum eſt conditio ſine qua non: ſi enim cauſantes ſolum per accidens, remotiſſimè, & velut conditio ſine qua non eſſent

sent obligandi ad restitutionem: obligaretur restituere feber, qui fecit gladium, vel clauem quibus quis iniustè occiditur, vel res aliena ex domo clausa eripitur ignorantibus his febris, neque tale intendentibus, vel scientibus. Et id contigit in hoc casu, fuit enim dux generalis sua iussione causa per accidens, remotissima, & conditio sine qua non.

3 Vltimo dico, quod nec dux generalis tenebitur restituere in casu, quo officialis triremis non habet vnde restituat: nam nemo tenetur restituere pro alio nisi quando fuit per se causa damni naturalis, vel moralis vt dando consilium, fauorem, mandando, vel quid simile, vt Doctores tradunt in materia restitutionis, maximè quando agunt an Dominus in conscientia teneatur restituere damnum illatum à suo seruo, ante condemnationem, de quo damno dominus nescivit, & seruus non potest restituere: & dicit communior opinio, quod non tenetur dominus. Quod efficaciter probat Rabell *lib. 1. de restit. q. 10. sect. 4. concluf. vltima*, pro qua ibi citat multos, & graues Doctores antiquos, & recentiores: magis autem videtur obligandus dominus ad restitutionem damni illati per seruum restituere non valentē, quam dux generalis ad restituendum damnum illatum per officialem triremis restituere non potentem.

CASVS XXVIII.

Dubia circa officium Conceptionis Deiparæ, quod incipit: Sicut lilium.

CIrca officium Conceptionis Deiparæ, cuius officium ad Vesperas incipit, *Sicut lilium*. Proposita

sunt sequentia dubia. Primum, an dictum officium recitatum fuerit in Ordine Minorum antequam Paulus V. Summus Pontifex id Minoritis concesserit, vel, si aliquando aliud diuersum in eadem Religione fuerit recitatum.

Secundo, à quo tempore, vel à quo anno in eadem Religione prædictum officium cœptum est recitari.

Tertium, quis fuerit Author istius officij, *Sicut lilium*, & an Sedes Apostolica aliquod priuilegium, vel indulgentiam concesserit illud recitantibus.

Quartum Vtrum non obstante verbo, *Quod possint illud recitare.* maneat liberum recitare aliud officium Conceptionis diuersum ab isto, *Sicut lilium*: vel si debeant recitare de Conceptione, necessarium sit vt recitetur?

1 Ad primum dico. Hoc officium Conceptionis sicut lilium, cœpit recitari in Ordine Minorum à tempore Sixti I V. anno 1475. in quo anno coram eodem Sum. Pontifice Romæ facta est disputatio celeberrima de conceptione Deiparæ, & ibi resolutum fuit disponente Papa, vt in Ecclesia hoc festum celebraretur sub titulo immaculatæ Cõceptionis: ad quem finem commendauit Papa cuidam Leonardo Nogarola Protonotario Sedis Apostolicæ viro doctissimo, vt componeret dictum officium, *Sicut lilium* Ita refertur *in 3. part. Chron. Ordinis Minorum, lib. 3. cap. 60. §. En este tiempo.* & refert Pater Ægidius *lib. 3. de Concept. Deiparæ, quæst. 6. §. 5. fol. 294.* & dicit Chronicorum Author cit. loco quod ab eo tempore Sixti I V. vsque ad præsens recitatum est in Ordine Minorum prædictum officium, *Sicut lilium*, etiam à Clericis. Postea anno 1480. Frater Bernardinus de Bustis Minorita reformauit idem officium, *Sicut lilium*, in aliquibus locis, & Papa Sixtus

tus IV. adhuc viuus approbauit idem officium reformatum, sicut refert Toscinianus *in historia Franciscana, lib. 3. fol. 311. pag. 1. in medio paginæ*, & probatur ex compendio Mendicantium verbo *Conceptio Virginis*, §. 7. & ex his manet responsum ad tria dubia posita in primo quæsito, videlicet, quod hoc officium recitatum est ante Dominum Paulum V. & quod ab anno 1475. vel saltem ab anno 1480. habuit initium: & quis fuerit Author illius. Et quod in particulari quæritur, an aliquo tempore recitatum fuerit aliud officium Conceptionis diuersum ab isto, de hoc constare non potest, quia ante Breuiarium à Pio V. reformatum, erat in variis Prouinciis varietas multa Breuiariorum, vt Toletani Bracarensis, Eborensis, &c. & dabatur maior libertas variandi, vel mutandi diuinum officium, quam modò datur. Sufficit quod ait Author chronic. Minorum cit. loco, quod à tempore Sixti IV. dictum officium, *Sicut lilium*, cœpit in Ecclesia celebrari, etiam à Clericis: & sufficit quod refert P. Ægidius citato loco ex verbis Sixti IV. dicentis, quod dictum officium, *Sicut lilium, A nobis emanauit*, id est, à nobis Papa. Et sufficit quod ibidem addit Ægidius, hoc officium, *Sicut lilium*, non esse reprobatum per nouum Breuiarium: & ex hoc etiam manet responsum ad 2. quæsitum, ex quo anno in Ordine Minorum cœperit recitari idem officium, & quis fuerit Author illius.

2 Ad secundam partem tertij quæsiti: dico, quod videndus est Rodriguez *tom. 1. qq. q. 57. artic. 3.* vbi refert concessionem Sixti IV. ex monum. Ordin. per quam Papa concedit fidelibus vtriusque sexus, qui Missam, vel officium Conceptionis, *Sicut lilium* celebrauerint, aut dixerint, aut illius horis canonicis interfuerint, his inquam concedit illas omnes indulgentias, quas Pa-

pa

pa Vrbanus conceſſit illis, qui præſentes fuerint Miſſæ, & horis canonicis in die Corporis Chriſti D. Quas indulgentias recenſet Rodrig. *citato loco*, §. *Circa quam*: & Leo X. conceſſit aliquas indulgentias intuitu Conceptionis B. Mariæ tam Fratribus, quàm ſæcularibus, vt habetur in compendio Mendicantium verbo *Conceptio Virginis*, §. 12 & hoc quantum ad indulgentias conceſſas reſpectu huius officij, vel Conceptionis Deiparæ. Quod attinet ad priuilegia conceſſa recitantibus hoc officium, *Sicut lilium*, videatur Rodriguez *in Bullario*, *fol.* 650. vbi ponit Bullam Leonis X. per quam concedit Eccleſiis Hiſpaniæ, vt poſſint in die Conceptionis Deiparæ, & per totam illius octauam, ſuſpendere interdictum, dummodo recitent officium Conceptionis compoſitum à dicto Leonard. & dicãt Miſſam eiuſdem officij, quæ incipit, *Egredimini*, quæ hodie canitur à Fratribus Minoribus, Vnde colligo, quod etiam tempore Leonis X. dabatur licentia Eccleſiis Hiſpaniæ, etiam ſæcularibus, dicendi officium Conceptionis, *Sicut lilium*, compoſitum à dicto Leonardo, & reformatum per Bernardinum de Buſtis. Et quamuis ego *in* 2. *tom. Dubiorum Regular.* ver. *Interdictum*, *num.* 2. & 3. dixerim cum Suarez, & Henr. quod in Hiſpania ſuſpenditur interdictum in feſto Cõceptionis Deiparæ, etiamſi tales Eccleſiæ Hiſpaniæ non dicant officium Conceptionis, *Sicut lilium*: hoc non obſtat, quin datum fuerit prædictum priuilegium à Leone X. in forma ſupradicta, quod priuilegium ponit Rodriguez *cit. loco Bullarij*.

3 Quod vero attinet ad Fratres Minores circa hoc officium, *Sicut lilium*, quia aliqui credere poterant eos illud non poſſe recitare poſt reformationem Breuiarij Pij V. iubentis vt officium D. dicatur ſolum iuxta

ta Regulas dicti Breuiarij, dico quod Pius V. concessit expressè Fratribus Minoribus vt possint recitare officia sui ordinis prout communiter sunt impressa, quorum prius est officium Conceptionis, *Sicut lilium*. Sic habetur affixus titulus in principio officiorum nostri Ordinis, & dicitur in titulo id concessisse Pium V. anno 1569. 14 die Maij, vnde obiter colligo, quod cum ista concessio fuerit priuilegium concessum annis ab hinc 57. Fratribus Minoribus, videant cæteri Mendicantes, qui communicant nobiscum in priuilegiis, quod potuerint ab illo anno in illo communicare, maximè cum iam esset concessum à Sixto IV. & Leone X.

4 Ad vltimum quæsitum, *Vt possint recitare*, &c. & possint priuilegiati quibus hoc priuilegium conceditur, dicere aliud officium Conceptionis extra hoc, *Sicut lilium*? Dico sequentia. Primo, quod supra citaui duas Bullas, vnam Sixti IV. aliam Leonis X. & neutra istarum continet verba obligantia ad dictum officium hodie recitandum, maximè post Breuiarium Pij V. obligantis ad recitandum iuxta illius tantum Regulas. Nec aliqua Religio vltra Franciscanam poterat illud recitare ex vi priuilegij Sixti IV. & Leonis X. quia Pius V. id prohibet generaliter, nisi à ducentis annis sic consueuerint recitare. Dico secundo, quod si aliqua Religio denuo impetrauit priuilegium recitandi dictum officium, *sicut lilium*, talis Religio antequam priuilegio illo vtatur, poterit illi renunciare in capitulo generali propter duas Regulas generales Iuristarum, videlicet quod priuilegium non confertur inuito, & quod vnusquisque potest renunciare suo priuilegio: & hoc intelligo de Religione in communi, quæ potest in capitulo generali illud renunciare. Dico tertio

tio quod Religiosus in particulari non potest huic priuilegio renuntiare: volo dicere : Si tota Religio cuius est professus, ex priuilegio recitat hoc officium, *Sicut lilium*: Religiosus particularis istius Ordinis non potest aliter recitare, recitando alio modo: quod ostendo hoc exemplo. Clericus particularis non potest renunciare priuilegio canonis, & fori, quia hæc duo priuilegia non sunt concessa huic Clerico in particulari, sed Ordini Clericali in communi primario, vt omnes Doctores dicunt. Sic in nostro casu, Religiosus particularis non posset dicere aliud officium diuersum ab isto, *Sicut lilium*, si tota illius Religio illud recitat, quia hoc priuilegium non est suum particulare, sed totius Religionis: sic tenet Reginald. *de renuntiatione priuilegij, tom. 2. lib. 18. num.* 160. citans Azorium, qui dicunt teneri Religiosum recitare officium diuinum iuxta formam sui instituti. Et probatur ex cap. *de his*, & cap. *Placuit, dist.* 12. Quantum vero peccatum committeret iste Religiosus mutando officium, collige ex iis quæ dicunt Doctores de Clerico dicente vnum officium pro alio scienter vna die, vel altera, de quo Reginald. *cit. lib. num.* 172. citans Suarez.

5 Ad vltimum dico, quod si Papa concessit alicui Religioni vt diceret officium Conceptionis, *Sicut lilium*, & concessit cum particularitate, vt scilicet illud recitet singulis Sabbatis, sicut facit Religio Franciscana, si Religio non recitauerit illud officium, *Sicut lilium*, non manet priuilegium in suo vigore, quia non seruatur forma priuilegij. Cum enim priuilegium sit lex priuata, nō seruata forma, & verbis illius, violatur lex, seu priuilegium, & sic non seruata forma priuilegij perditur priuilegium : est enim priuilegium quasi contractus conditionalis, quo Papa aliquid concedit si

aliquid

aliquid taliter fiat: de quo latè Suarez *tom. de legibus, lib.8 cap.13.à num.2.vsque ad finem capitis.* Vide etiam illum *eod.lib.8.cap.12.& seqq.* vbi multa dicit, ad cognoscendum quomodo amittatur priuilegium.

CASVS XXIX.

De quodam Parocho qui excommunicauit Parochianum, quod non audiret Missam in propria Parochia.

QVidam Parochus excommunicauit suum Parochianum eo quod non audiebat Missam in propria Parochia, cum tamen certo constaret eum illam audire in Conuentu Religiosorum iuxta quod habitabat: & declarauit illum excommunicatum: appellauit Parochianus ad Ordinarium, siue ad Vicarium Generalem Episcopi. Interim dum litigium durabat, Parochianus inquietus ob communicationem prohibitam sibi cum aliis, fecit se absolui à Parocho ad cautelam, non obstante litigio.

Quæritur primo, vtrum Parochus ordinarius possit excommunicare: quod dubium iam alibi vidi contigisse.

Secundo, quæritur, an Parochus possit cogere Parochianum cum pœnis vt adeat propriam Parochiam pro Missa audienda in diebus festis, ac Dominicis?

Tertio. An isti Parochiano petenti absolutionem excommunicationis ad cautelam, nocere potuerit talis petitio, & proinde reputandus fuerit excommunicatus, eo quod per talem petitionem visus est fateri se excommunicatum?

1 Antequam ad quæsita respondeam præmitto hunc Parochianum non prudenter egisse appellando ad Vicarium generalem Episcopi: sed potius debuit ille, vel potius Prælatus dicti Monasterij, in quo Missam audiebat, debet adire conseruatorem talis Conuentus, & petere ab illo iuridicè, vt mandaret Parocho ne in hoc molestaret Parochianum eo quod dictus Conuentus habet priuilegia, vt possit quicumque Catholicus in illo Missam audire, & cum illa satisfacere obligationi: quæ priuilegia mox citabo. Hoc enim est proprium officium conseruatoris cuiusque Religionis, defendere illius Religiosos contra violatores suorum priuilegiorum, per quorum violationem Religiosis sit vis, & iniuria, & ideo hoc magis spectat ad conseruatorem Ordinis, quam ad Vicarium generalem; & magis spectabat ad Prælatum Conuentus, quàm ad Parochianum hoc negotium prosequi, ne per tales omissiones Religiosi sua priuilegia amittant.

2 Ad primum quæsitum dico resolutè, quod Parochus ordinarius, siue dicatur Prior, siue Curatus, siue Vicarius, siue quouis alio nomine, non potest excommunicare suum Parochianum, nisi id sibi in speciali committat Episcopus, vel id habeat ex consuetudine antiqua, & præscripta. De secunda parte huius conclusionis nemo dubitat: potest enim Episcopus alicui pro aliquo casu dare iurisdictionem ad excommunicandum: & similiter consuetudo antiqua, & præscripta dare potest iurisdictionem, etiam ad excommunicandum, sicut alibi Doctores tradunt. Prior ergo pars cõclusionis, quod scilicet Parochus ordinarius de iure communi non possit excommunicare, asseritur à Nauarro *in Summ. cap. 27. num. 5.* & super cap. *cum contingat, de resc.* Panormitanus ad cap. *cum contingat, de foro compet.*

compet. glossa in cap. *Nemo* 2. *quæst.* 1. Ledesm. 24. *q.* 24. *art.* 1. & nouissime illam tenet Sanch. *lib.* 3. *Decal. c.* 29. *num* 56. & alij. Et probatur, quia licet parochus habeat curam animarum, non tamen habet forum contentiosum, vnde nec est propriè, & strictè Prælatus, sed largè & impropriè, teste Syluestro verb. *Prælatus*, ad initium. Et idem ver. *excommunicatio, notab.* 2. *n* 5. neque obstat cap. *cum ad Ecclesiarum*, & cap. *si Sacerdos, de offic. ordinarij.* vbi pro tuto habetur, quod plebanus S. Pancratij suos parochianos excommicauerit: nam iuxta glossam cit. cap. *cum ad Ecclesiarum.* talis parochus, vel erat præfectus Ecclesiæ Collegiatæ, vel id fecit ex commissione officij superioris Prælati, non vero quatenus solum parochus erat. Nec item obstat cap. 1. *de Clerico ægrotante.* vbi parochus appellatur Prælatus: largè enim, & impropriè vocatus est ibi Prælatus, vt diximus; eo ferè modo, quo Abbatissæ vocantur Prælatæ. Et praxis communis Ecclesiæ idem obseruat.

3 Ad secundum quæsitum dico, non posse fideles cogi à parochis, vt audiant Missam in propria parochia, nec impedire possunt quin illam audiant in Monasteriis Regularium. Ita tenet Nauarrus *in sumc.* 21. *num.* 5. & multis probat Azor *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 6. *quæst.* 4. idem dic de concione audienda. Citat Nauarrus citato loco priuilegium Leonis X. concessum Religiosis in ista materia. Concessit hoc idem Clemens VIII. vt habetur in bullar. Rodriguez *fol.* 1197. *col.* 2. *n* 4. & citat Azor vnam declarationem Cardinalium, qui ita declararunt, quam Azor dicit esse in ordine 112. inter declarationes Cardinalium. Extat etiam praxis generalis Ecclesiæ id tolerantis, ob quæ ait Nauarrus non posse Episcopum ad oppositum cogere. Alios Doctores citatos inuenies apud Nauarrum, & Azor.

4 Obiiciunt aliqui Extrauagantem Sixti I V. quæ incipit, *Vices illius, de treuga & pace.* vbi dicitur teneri parochianos in diebus festis Missam audire in propria parochia. Obiiciunt etiam Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 4. de reform.* vbi dicitur teneri parochianos in diebus festis propriam adire parochiem ad audiendum verbum Dei. Non inquam hæc obstant: quia in primis ius commune citatæ Extrauagantis hoc solum voluit, ne parochiani id faciant in diebus festis contempto proprio parocho, sic explicat Azor citato loco dicens, sic etiam explicare Innocentium, Hostiensem, & alios Canonistas. Secundo respondet Nauarrus citans Syluestrũ & Antoninum, quod capita iuris communis dicentia quod parochiani audiant Missam in propria parochia, sunt abrogata per generalem consuetudinem in contrarium ab Ecclesia scitam, & toleratum. Ad Concilium Tridentinum dico in primis quod illud citato loco non reuocat priuilegia Mendicantium, & supra vidimus duo priuilegia cõcessa Monasterijs, & vnam declarationem Cardinalium, qui explicant in illa materia ipsum Tridentinum. Secundo dico Concilium ibi solum loqui de concione audienda, non vero de Missa audienda. Tertio dico cum citato Azor, Tridentinum etiam quoad concionem non posuisse præceptũ, sed exhortationem: & præterea etiam quoad concionem. non esse in vsu. Circa primam vero responsionem datam ad Extrauag. Sixti IV. quod scilicet solum prohibet ne parochiani id faciant proprio parocho contempto, intellige, vt formaliter, & expressè non contemnant parochum: quem contemptum non habẽt fideles adeuntes Monasteria Religiosorum pro Missa, & cõcionibus audiendis, cum ibi diuina officia vt plurimum perfectius, ac deuotiùs celebrentur,

&

& plures sint celebrantes, & quauis hora celebrent,& concionatores doctiores, & non est credendum saltem hodie,velle Ecclesiam suos fideles istis commodis priuare,impediendo illos ne in Monasteriis diuina audiant,sed semper ad propriam parochiam vadant.

5 Posset adhuc obiici idem Cõcilium Tridentinum, quod *sess* 22. in Decreto *de observandis in celebratione Missæ*,ponit hæc verba : *Moneant etiam eundem populum,vt frequenter ad suas parochias,saltem diebus dominicis , & maioribus festis accedant.* Vbi clarè loquitur de parochianis circa suas parochias adeundas diebus festis. Respondeo vt supra , verba Concilij ibi non præcipere : ait enim, moneant populum. Non ait, cogant. Et Marzilla in declarationibus Cardinalium quas impressit ad citatum locum Tridentini , citat declarationem Cardinalium,quæ dicit non esse mentem Concilij,quod parochi,vel Prælati per censuras populum cogant,neque ea de re per Concilium præceptum imponi, sed solum velle Concilium , quod moneantur fideles, vt id faciant, quando commodè fieri poterit. Alia capitula iuris canonici citat Reginaldus *lib.* 19. *tomo* 2. *q.* 3. *num.* 22. *& sequentibus*, quæ videntur etiam obligare parochianos pro Missa adire parochiam : ad quæ capita iuris ibi respondet Reginald. & responsio in substantia data est in supradictis *num.* 4. vide alios multos Doctores hac de re citatos à Barbosa *in suis remission. ad Tridentinum super cit. sess.* 22.

6 Ad tertium quæsitum dico breuiter , quod isti parochiano nocere non potest , quod petierit absolutionem ab excommunicatione , nec proinde reputandus est excommunicatus,vt excommunicati pœnas subeat. Sic in terminis dicit Panormitanus ad cap. *Ad præsentiam, de appellat.* dicens quod si quis petit se absolui

ad cautelam, non per hoc fatetur se esse excommunicatum. Idem citat glossa parua marginalis ad citatum c. *Ad præsentiam*. Et ratio dictat ita esse, nam multa petimus, vel facimus ad vitandam molestiam, non quod nobis, necessaria sint. Addo quod illa excommunicatio lata à parocho fuit omnino nulla ex defectu iurisdictionis ex dictis *num.* 2. & præterea etiamsi parochus haberet iurisdictionem ad excommunicandum, adhuc esset nulla, quia lata esset contra ius, id est, contra priuilegia Summorum Pontificum, & declarationem Cardinalium, & contra generalem consuetudinem Ecclesiæ, & ideo diceretur continere errorem intolerabilem, & proinde illi parendum non esset.

CASVS XXX.

De quodam contractu in materia census.

PEtrus mutuauit Francisco certam summam pecuniæ pro tempore designato tantum, addens quod si præfixo tempore pecuniam non sibi redderet, teneretur Franciscus per viam census vendere, seu reddere Petro certam mensuram tritici singulis annis, dicens quod ad illum finem habebat illam pecuniam designatam: Franciscus pecuniam mutuatam non reddidit termino præfixo, nec scripturam census venditi facere voluit. At singulis annis Petro dabat certam mensuram tritici prout putabat mutuatam pecuniam posse luctari singulis annis. Detinuit Franciscus dictã pecuniam annis quindecim modo prædicto, clamante semper Petro, vt vel sibi pecuniam suam redderet, vel census scripturam faceret. Mortuus est Franciscus, & testamento

ſtamento præcepit hæredibus, vt dictam pecuniam ſibi mutuatam, Petro redderent. Hæres petit vt Petro iuramentum exhibeatur, per quod dicat, quantum triticum quotannis reciperet à Fr̃ãciſco, in ſatisfactionem ſuæ pecuniæ mutuatæ pro quolibet anno. His ſic poſitis: quæſiuit à me Petrus hoc ſolum; an teneretur ob tale iuramentum confiteri triticum receptum, attento quod ſua pecunia tot annis caruerit, in quibus poſſet cum illa multo plus lucrari? Ego reſpondi, caſum alias habere maiores difficultates prius enodandas, quas ſic breuiter reſoluo.

1 Dictum pactum, vt non reddita ſibi pecunia mutuata præfixa in termino, ſibi Franciſcus cenſum tritici venderet, fuit pactum illicitum, & ferè vſurarium. Nam ratione mutui impoſita eſt Franciſco obligatio quaſi de iuſtitia, ad quam alioqui non tenebatur, id eſt, ad vendendum ſibi Petro cenſum tritici. Hæc eſt communis Doctorum dicentium, vſuram eſſe, ratione mutui imponere mutuatario aliquam obligationem pretio æſtimabilem, ad quam non tenebatur aliàs. Nam ſicut dicitur in leg. *Sicut*, *C. de actionibus*, omnis obligatio tollens libertatem, pecunia æſtimabilis eſt. Idem habetur Inſtitut. *de obligation.* ad initium. At obligatio impoſita Franciſco ratione iſtius mutui, vt illo non ſoluto præfixo termino, tritici cenſum venderet, eſt obligatio ad quam Franciſcus non tenetur, & prætio æſtimatur, & denique libertatem minuit. Hæc concluſio præter quam quod eſt communis de mente Doctorum, aſſeritur à Rebello *lib.* 8. *de vſuris*, *quæſt.* 4. *num.* 2. & in particulari ibidem *num.* 4. vbi dicit cum Soto, vſuram eſſe ſi tibi mutuo oleum, vel vinum, ea conditione, vt mihi vendas triticum. De qua re multa alia exempla traduntur à Doctoribus, vt ſi mutuatario

obligationem imponam, vt triticum deferat ad meum molendinum, panem ad meum furnum, & similia, quæ sunt obligationes pretio æstimabiles; & ad quas mutuatarius non tenetur ratione mutui: vide alia exempla citato loco apud Rabello *num.* 4. & 5.

2 Dico prædictam venditionem census prædicto modo petitam à Petro transacto termino præfixo ad solutionem, non potuisse fieri validè, saltem in foro externo ex vi præteritæ pecuniæ mutuatæ, quam Franciscus receperat, etiamsi fieret scripturis venditionis census per publicum Notarium. Probatur clarè ex Motu proprio V. de censibus, in quo iubet irritam esse constitutionem census si in illius venditione pecunia non numeretur coram testibus, & Notario. Hæc vero pecunia, quam Petrus olim mutuatam Francisco tradiderat, non potest numerari, nunc quando fit scriptura venditionis census tritici, id est, quando Petrus petebat fieri scripturam census transacto termino præfixo ad solutionem mutuatæ pecuniæ.

3 Tertio dico, si ad recuperandam pecuniam suam ab hæredibus, Petro exhibeatur iuramentum à iudice, vt dicat quantum triticum receperit à Francisco singulis annis in recompensationem pecuniæ detentæ, tenetur Petrus iurare veritatem, & declarare quantum tritici receperit singulis annis ob detentam pecuniam. Hæc etiam est clarissima, & certissima: nam si Petrus vellet receptum triticum retinere, & præterea totam suam pecuniam olim mutuatam accipere ab hæredibus, claram vsuram committeret recipiendo dictum triticum ratione mutuatæ, pecuniæ, & præterea exigēdo totam pecuniam mutuatam insolidum, quod est clarissima vsura. Si vero Petrus cogitat (vt innuit) posse se receptum triticum tacere, & occultare ratione

lucri

lucri cessantis, quia sua pecunia non soluta per tot annos poterat mereari censum verum tritici perpetuum: ad hoc respondeo in dicto sequenti.

4 Quarto dico, quod si Petrus ex mutuatione suæ pecuniæ, & retardata solutione habuit lucrum cessans, vt ipse innuit, potest corã iudice petere restitutionem veri lucri sibi cessantis, si in veritate sibi cessauit, maximè cum id videatur expressisse in principio quando muruauit; hæc etiam est communissima Doctorum in materia de vsuris, dicentium posse mutuantem aliquid vltra sortem recipere ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Quæ vero conditiones requirantur vt verè dicatur lucrum cessare, tradunt communiter Doctores, maximè Rabello *citato lib. 8. de vsuris, q. 6.* vbi citat multos Doctores, & assignat sex conditiones vt verè dicatur lucrum cessare, & ob illud cessans exigi interesse.

5 Ex conditionibus vero ibi positis, secunda in ordine est quæ facit multum ad nostrũ intentum: ait enim cit. quæst. 6. num. 3. inter alia requiri, vt non plus recipias quam lucrum cessans æstimetur, alioquin receptio talis excessus, vel erit vsuraria, vel iniusta. Et ratio naturalis id dictat, vt nõ possis plus petere, quam æstimaretur id quod amisisti. Exemplum accommodatum omnino est, in compensatione debiti, quam quis facit per seipsum seruatis debitis conditionibus, v.g. Petrus mihi debebat centum clara & liquida, non vult soluere, neque ego habeo probationes, quia dedi in occulto, nec possum modo aliquo recuperare: possum in conscientia clam cessante scandalo illa centum accipere: vel debitum quod alias illi clam debebam non reddere, faciendo compensationem debiti ad debitum, dummodo non plus accipiam quam mihi debebatur;

si enim plus accepero, tenebor restituere excessum illum, quem vltra debitum accepi. Hanc doctrinam applico ad casum præsentem, & dico considerandum esse quantum triticum accepit Petrus à Francisco singulis annis pro retardata solutione pecuniæ, constat enim Franciscum illud triticum non soluisse Petro ratione gratificationis, vel alio titulo gratuito, sed in compensationem lucri quod Petro cessabat ex detenta pecunia: vnde si constiterit quod triticum redditum quotannis tanti æstimabatur, quantum lucrum Petro cessabat, vel quantum Petrus acciperet de censu tritici illa pecunia singulis annis, credo quod in tali casu hæredes Franciſci nihil debent Petro ratione lucri cessantis ob causam supradictam, quia aliàs vellet Petrus ratione lucri cessantis plus accipere quam amitteret in lucro cessante. Si vero triticum receptum à Petro singulis annis non æquiualeret pretio lucri quod cessauit singulis annis, tenebuntur hæredes Franciſci ad restituendum Petro id quod defuit ad illud iustum lucrum quod sua pecunia potuit acquirere attentis circumstantiis, periculis, & cæteris arbitrio prudentis viri. Et ad hoc liquidandum, vt dixi *num. 3.* tenetur Petrus exhibito sibi iuramento declarare veritatem, de tritico quotannis recepto. Et hoc dico supposito quod in veritate Petro lucrum cessauit. Si enim non cessauit tenebitur Petrus in conscientia restituere hæredibus Franciſci omne triticum receptum tanquam lucrum ex mutuo, vt clarè constat ex dictis à nobis supra *n. 1.* quia cessante, id est, non interueniente lucro cessante, pactum fuit illicitum.

CASVS

CASVS XXXI.

De quodam Tabellione qui vocatus noluit ire ad approbandum certum testamentum.

QVædam Catharina vidua habebat fratrem vxoratum, & alios consanguineos, nepotes scilicet ex fratribus. Hæc morti propinqua volens condere testamentum, vocauit confessorem suum, vt testamentum suum scriberet, & ordinaret. Prædictus frater id sciens, domum sororis adiit, & impediuit ne illa testamentum faceret. Imo sororem in domum suam duxit sic ægrotantem, & vocauit amicum suum, ipsius scilicet fratris, qui testamentum sororis scripsit, & ordinauit: sic facto testamento, vocauit Tabellionem qui dictum testamentum approbaret. Tabellio respondit, se paratum esse ad illud approbandum, sed post approbationem se secum adducturum esse testamentum clausum, nec illud relicturum esse in manu fratris, eo quod essent alij prætensores ad hæreditatem sororis suæ. Noluit frater Catherinæ vt Tabellio cum illa conditione approbaret testamentum. Et quia in illo oppido pro tunc non erat alius Tabellio, fecit hic frater Catherinæ testamentum approbari per quemquam Notarium Apostolicum Ecclesiasticum. Mortua Catherina iudex sæcularis sententia publica declarauit testamentum esse nullum eo quod non fuisset approbatum per Tabellionem Regium, sed per Notarium Apostolicum, qui iuxta legem istius Regni non potest approbare testamenta, vt habetur *lib.2. Ordin.tit.20.*

Frater Catherinæ fraudatus hæreditate sibi relicta in testamento non approbato iuridicè, litem mouit contra tabellionem, qui noluit approbare nisi sub dicta conditione, eo quod causa fuerit sibi ademptæ hæreditatis. Quæritur, an frater hanc litem intentans habeat ius vt Tabellio sibi restituat hæreditatem amissam. Et vtrum dictus Tabellio pœnam aliquam incurrerit ex eo quod vocatus noluerit ire ad testamentum approbandum.

1 Et pro parte affirmatiua, quod Tabellio teneatur in conscientia restituere huic fratri Catherinæ hæreditatem amissam, videtur probari primo: quia impediens aliquem ab assecutione alicuius boni tenetur illud restituere, vt tenent communiter Doctores in materia restitutionis, maximè Angelus ver. *Restitutio*, 10. & alij. At Tabellio iste sua omissione impediuit ne frater Catherinæ aditet hæreditatem sibi à Catherina relictam. Secundo id clarius ostenditur: quia obligatus aliquid facere ex officio, & omittens illud facere, si ex sua omissione damnum alicui resultet, tenetur ad restitutionem talis damni, vt omnes Doctores dicunt in materia restitutionis, dum explicant personas obligatas ad restituendum in illa particula, *Non obstans*, vt verbi gratia de custode vineatũ obligato ex officio, ac de similibus, qui ex officio tenentur aliquid facere: sed iste Tabellio tenetur ex officio approbare testamenta, ad hoc enim constituitur officialis publicus à Rege: ergo omittens approbationem huius testamenti tenetur de damno illato isti fratri Catherinæ.

2 His non obstantibus, dico primo. Nimis inclinor vt credam, hunc fratrem Catherinæ incurrisse pœnam impositam per legem istius Regni *lib. 4 Ordin. tit. 84. illi* qui impedit ne aliquis liberè faciat testamentum;

quæ

quæ pœna vltra alia ibi, est vt talis careat spe hæreditatis sibi inde obuenturæ. Moueor, quia iste clatè impediuit ne dicta soror testamentum faceret liberè cum suo confessore, vt illa volebat: & licet illa postea testamentum fecerit in domo fratris, vehemens præsumptio est quod non fecit liberè, vt statim dico num. sequenti. Probo præterea ex Mascardo *tom. 3. de probationibus, concl.* 1361. vbi probat illum censeri impedire ne aliquis testamentum faciat, & subiici pœnis impositis taliter impedienti, qui non solum impediuit aliquem testari, sed etiã impediuit ne testaretur contra id quod volebat, & ad id adhibuit aliquod impedimentum: Frater vero Catherinæ, dato quod sibi soli tota hæreditas, vel maior pars relinquebatur in illo testamento nullo, impediuit ne Catherina relinqueret aliquid cæteris consanguineis, adhibens impedimentum ne illa testaretur liberè in domo sua sicut volebat. Et citat Mascardus multos Doctores, maximè Menochium *de arbitr casu* 395. *num.* 34.

3 Dico secundo vehemẽs præsumptio est quod istud testamentum sic factum à Catherina, etiamsi approbaretur iuridicè à Tabellione, adhuc esset nullum, & fratri Catherinæ ex vi illius nõ esset danda hæreditas. Suppono ante probationẽ, quod ob solam vehementem præsumptionem quæ violentæ æquipolleat, potest iudex ferre sententiam, etiam in causa grauissima, quando crimina sunt difficilis probationis, vt praxis istius regni obseruat, etiam in criminalibus; quo supposito dico, vehementem esse probationem, imo violentissimam præsumptionem quod hoc testamentum fuerit factum absque libertate requisita de iure vt testamentum sit validum, & proinde etiamsi hoc approbaretur nõ valeret ex defectu libertatis in Catherina.

Proba

Probatur clarè ex tot circumstantiis, quæ in illo concurrerũt. Primo enim impediuit sororem ne testamentum faceret cum suo confessore. Secundo illam abduxit in domum suam propriam. Tertio aduocauit amicum suum vt sorori testamentum scriberet, & ordinaret. Quarto noluit vt Tabellio iret approbare testamẽtum cum illa conditione, quod secum reducturus esset testamentum clausum. Quinto interuenit etiam metus reuerentialis Catherinæ erga fratrem suum, maximè cum esset extracta à domo propria, & posita in loco non tuto, fœmina fragilis, & ægrotans: quis non videat has omnes circumstantias facere violentam præsumptionem, imo euidentiam, quod Catherina tale testamentum liberè non fecit? Quod adeò verum est, vt contractus factus per solum metum reuerentialem sit nullus, vt probat Sanchez *lib. 4. de matrim. disp. 4.* & hoc tunc magis verificabitur, si constiterit, quod illa ante hoc testamentum domi suæ existens, significauerat se aliis consanguineis aliquid testamento donaturam: & licet id non exprimeret verbo, sufficiebat, quod alios consanguineos habebat pauperiores hoc frãtre; tunc enim omnino credendum est quod hanc voluntatem piam aliquid relinquendi prædictis, mutauit in domo fratris victa precibus importunis, & metu reuerentiali eiusdem fratris.

4 Dico tertio, quod non audeo affirmare dictum Tabellionem teneri in conscientia restituere tali fratri Catherinæ hæreditatem amissam ex sua approbatione omissa, si Tabellio sciebat has omnes circũstantias proximè dictas præcessisse, vt videtur sciuisse iuxta informationem datam, & iuxta protestationem quam adhibuit: probatur, quia licet Tabellio ex officio teneatur approbare testamentum, id intelligitur quando testamentum

mentum ritè confectum est iuxta leges Regni: at testamentum istud erat factum sine libertate, vt patet ex dictis, & hoc Tabellioni notum erat: ergo non tenebatur illud approbare. Et confirmatur. Nam si iste Tabellio vocaretur ad approbandum testamentum alicuius hominis, quem reperiret actu esse insanum, vel mente captum, teneteturne illud approbare? Minimè quidem: eodem ergo modo non tenebatur approbare hoc testamentum quod sciebat factum esse non liberè. Secundo, probatur, quia transgrediens aliquam legem bona fide putãs se habere causam licitam ad illam violandam, seu omittendam, non peccat, & excusatur à transgressione illius: & qui lædit sine lata culpa, non tenetur restituere, vt tenet Sot. *lib.* 4. *de iust. q.* 7. *art.* 2. & Toledo *lib.* 5. *cap.* 18. & Sà *in Aphor.* verb. *Restitutio*: & Nauarr *consil.* 4. *de accusat. n.* 5. citans D. Thom. & alios: At iste Tabellio putauit se habere causam iustam non approbandi illud testamentum, nisi secum clausum adduceret, pro pace, & securitate aliorum hæredum, & cum hac bona fide, & causa, omisit approbare: ergo non peccauit in illa omissione, nec proinde tenetur ad restituendum saltem in foro conscientiæ: quod tunc verius erit si constet quod alij hæredes id petierunt à Tabellione, vt secum domum ferret testamentum clausum, nec illud in domo fratris relinqueret. Addo quod nulla est lex quæ obliget testamentum clausum approbatũ manere in domo testatoris, cum sæpè ipsi testatores testamẽtum clausum iam approbatum, dent alicui amico, vel Religioso seruãdũ in domo sua, & sic Tabellio non adhibuit conditionem iniustam dicendo quod testamentũ clausum secum erat delaturus. Tertio probo in particulari quod iste Tabellio non teneatur restituere ex eo quod impedierit fratrẽ Catherinæ, vel filios

lios eius ab assequēda hæreditate illi per hoc testamentum relicta: nam illud dictum Doctorum, quod impediens aliquem ab assecutione alicuius boni tenetur illi restituere, intelligitur, si impediuit vtens dolo, fraude, & metu, vt tenent Doctores mox citandi: item intelligitur quando impediuit bonum ad quod habebat ius ad rem, vel in re, vt tenet inter alios Azor *tom. 3. sum. Mor. lib. 4. c. 9.* citans Angelum, Sylvest. Tabien. Armil. Adrian. & alios. At Tabellio sua omissione non est vsus dolo, fraude, nec metu, nec frater Catherinæ habebat ius ad rem, neque in re: quia ad totam hæreditatem sororis non habebat ius ad rem, cum tale ius non acquiratur, nisi per testamentū ritè approbatum: ergo ex hoc capite quod impediuit, non tenetur ad restitutionem. Et adhuc explico illud dictū, quod impediens assecutionē alicuius boni, tenetur restituere: dico adhuc, esse intelligendum, si iniustè impediuit: secus si iustè impediuit, tunc enim non tenebitur: fit exemplum. Volebat Episcopus dare beneficium indigno, ignorans illius defectus: ego informaui Episcopum, illique detexi defectus illius cui dare volebat beneficium: impediui illum ab assecutione beneficij; non tamen teneor illi restituere, quia impediui iustè. Sic etiam in hoc casu; Tabellio sciens per illam præsumptionem, hoc testamentum factum esse sine libertate in iure requisita ad testandum, non impediuit iniustè fratrem Catherinæ ab assecutione hæreditatis sibi relictæ ex testamento non liberè facto. Et licet Azor *cit. loco, §. Porro contingit*, dicat quod hæres institutus in testamento habet iam ius ad hæreditatem adeūdam, intellige de hærede instituto in testam. valido, liberè facto, cum cæteris conditionibus: quod in hoc non reperitur, cum testatrix caruerit libertate in illo condendo. Et ex his solutum

lutum manet primum argumentum in contrarium initio positum, quo dicebatur teneri restituere illum qui impediuit assecutionem alicuius boni.

4 Ad secundum argumentum potest primo dici tabellionem ex officio non teneri approbare testamentum, quod clarè scit esse factum sine libertate in iure requisita, sicut supra dixi de testamento mente capti, vel à iudice alienati: hic vero tabellio, maximè in oppido paruo vbi casus contigit, scire potuit testamentum hoc esse factum sine libertate ob circumstantias supra numeratas: & sic non tenebatur ex officio testamentum approbare. Secundo dici potest, quod licet teneretur aliàs ex officio approbare, quia tamen omisit id facere bona fide, sine dolo, sine fraude, non tenetur restituere, iuxta tot Doctores supra citatos *num.* 4. saltem pro foro conscientiæ, de quo solum hic disputo.

6 Ad secundam partem quæsiti principalis, an scilicet Tabellio hic pœnam aliquam incurrerit positam à legibus? dico hoc pertinere ad forum externum de quo iudex secularis viderit. Ego saltem in legibus Regni non inuenio aliquam pœnam particularem ipsis impositam tabellionibus qui talem approbationem facere noluerint, maximè si causam habuerint, qualem iste habuit. Nam *cit.* 4. *lib. Ordin.* vbi agitur de impedientibus testamentorum factionem, nec titulo 80. aliqua illis pœna imponitur. Imo si licet argumentari à simili, Ordinationes *lib.* 4. *tit.* 24. §. 17. loquentes de tabellionibus, qui negligenter negotia partium exequuntur, & qui asperam responsionem illis reddunt, non dicunt quod Tabellio parti damnum restituat: solum dicit lex ibi, quod Tabellio suspendatur ab officio per vnum mensem. Et *in lib.* 1. *tit.* 80. §. 11. iubet vt Tabellio, qui intra vnum diem parti non dederit instrumentum

mentum grauaminis petitum, amittat officium: non vero dicit, quod parti damna restituat. Addo præterea quod illa pœna amittendi officium non videtur esse in praxi: & ideo non video legem, ex qua obligetur iste Tabellio in foro externo restituere pretium hæreditatis amissæ fratri Catherinæ istius propter omissionem approbationis istius testamenti. Et quando lex talis daretur. Respondere potest Tabellio, illam non habere locum, quando constaret de testamento facto sine libertate, sicut constitit de isto: vel quando constiterit quando alius prætensor hæreditatis fecit protestationem Tabellioni, ne testamentum approbatum domi testatoris relinqueret, vt præsumitur hic euenisse: & confirmatur, quia *cit. lib. 4. Ordin. Lusitaniæ, tit.* 80. §. 1. dicit lex in approbatione testamentorum, quod testator manu propria debet dare testamentum Tabellioni approbanti, vt illud approbet: non vero dicit, quod Tabellio illud approbatum reddat testatori. Si vero alicubi id deberet exprimi, quod Tabellio testamentū approbatum secum in domum suam non deferat, hoc loco foret exprimendum. Et aliquæ personæ sua testamenta approbata dant Tabellionibus vt illa seruent, ac proinde non apposuit hic Tabellio fratri Catherinæ conditionem vllam contra legem de deferendo secum testamento approbato, per quam conditionem appositam, mereatur aliquam pœnam legis maximè præcedentibus talibus circumstantiis supradictis contra libertatem testatricis præsumptis. Seruit adhuc pro isto quæsito an Tabellio iste pœnam vllam incurrerit, id quod dicit Mascardus in suo indice generali, ver. *Notarius*, videlicet, quod Notarius si malitiosè errauerit, punitur, (licet citatio folij sit falsa) ergo à contrario sensu, si Notarius non errauerit malitiosè, vt iste non

errauit,

errauit, non punietur: cum iste fecerit bona fide, & putans se habere causam non approbandi testamentum, nisi cum illa conditione quam adiecit.

7 Vltimo ad illud, quod mihi extra informationem dictum est, an videlicet, non obstante nullitate istius testamenti ex defectu approbationis, & libertatis, valida fuerint legata, quæ testatrix iussit fieri pro anima sua: dico fuisse valida, & proinde implenda, non obstante nullitate testamenti, vt sunt Missæ, Capellæ, officia defunctorum, & similia, & hoc etiam in foro externo, vt in particulari tenet expressè Molina *tom. 1. de iustit. disput.* 134. dicens esse opinionem communem, & citat Costam, & Iulium Clarum, hos citat Molina *cit. disp. §. quando iuxta*, & in §. præcedente, quod incipit, *Testamentum tunc.* Quando vero hoc testamentum etiã nullum, fuerit factum ad causas pias, vt legatum pro anima ibi sit validum, tenet Molina cit. disp. in princip. citans Abbatem, qui dicit tunc relinqui aliquid ad causam piam, quando relinquitur in bonum propriæ animæ, vt si relinquat Ecclesiæ, vel pauperibus etiam consanguineis. Vnde licet hoc testamentum fuerit nullum, legata tamen præcisè pro anima sua relicta erunt valida, & implenda. De cæteris bonis in particulari relictis certis personis titulo hæreditatis, iudicandum ac disponendum erit, ac si moreretur ab intestato. Videatur Molina *cit. disput. §. Ratio cur.* vbi congruenter ad hoc loquitur, & alij.

CASVS XXXII.

Professio nulla cuiusdam Monialis.

QVædam fœmina ingressa est Monasterium Monialium coacta iussu parentum, finito Nouitiatu, ante professionem coram quinquaginta Monialibus, & imagine crucifixi, protestata fuit se nolle esse Monialem, neque intendere profiteri: & paulò post professionem emisit coram Abbatissa: nunquam tamen professionem ratificauit etiam actu interno. Post annum duodecimum à facta professione, mortuis parentibus illa impetrauit Bullam Papæ, vt posset reclamare, non obstante quinquennio. Adhuc tamen hac Bulla non fuit vsa propter metum fratrum suorum, qui timebant ne suo egressu illa priuaret illos bonis temporalibus, quæ ipsis obuenerant ratione suæ professionis. Denique anno vigesimoquarto post suam professionem impetrauit aliud rescriptum Papæ ad reclamandum non obstante quinquennio, & cæteris annis: in quo Papa commisit certis iudicibus delegatis, vt non obstante quinquennio illam audirent, & inuenta nullitate professionis, illam in sua libertate reponerent, & obligarent Conuentum, & alios possessores vt eidem bona sua temporalia restituerent. In hoc tamen secundo rescripto non dixit Papa se reuocare Decretum Concilij Trident. verbis expressis. Et præterea in hoc secundo rescripto impetrando, non est narratum Papæ iam impetrantem obtinuisse primum rescriptum anno duodecimo post professionem, quo non fuit visa. Denique declaratur quod parentes Monialis paulò ante professionem, graues minas, & damna illi

oppo

oppoſuerunt niſi profeſſionem emitteret. Hoc poſito,

Quæritur primo, an profeſſio valida fuerit præcedente illa ſua proteſtatione coram Monialibus, & præcedente metu, ac minis patris?

Secundo quæritur, an ſecundum reſcriptum ad reclamandum anno 24 validum fuerit, etiamſi Papa in illo verbis expreſſis non dixerit, ſe id concedere, non obſtante Decreto Concilij Tridentini in contrarium.

Tertio, an ſecundum reſcriptum validum fuerit, quamuis impetratrix pro illo obtinendo non narrauerit ſe iam aliud prius reſcriptum impetraſſe à Sede Apoſtolica anno 12. poſt dictam profeſſionem ad reclamandum, quo tamen vſa non fuit.

Reſponſum.

1 AD primum dico profeſſionem hanc fuiſſe nullam in vtroque foro: idque ex tribus capitibus. Primum eſt, quia defuit clarè voluntas vouendi, & ſe obligandi per vota emiſſa, vt clarè illa oſtendit in ſua proteſtatione facta paulo ante profeſſionem. Votum autem emiſſum ore ſine in intentione vouendi, & ſine animo ſe obligandi, non eſt votum, vt tenet communis Theologorum ſententia, quam refert Sanchez *tom.* 1 *Decalog. lib* 4 *c.* 1. *n.* 19 Valentia 2.2. *diſput* 6 *q.* 6. *punct.* 1. *q.* 1. Leſſi *tom. de iuſtitia, lib.* 2 *cap.* 40 *diſput.* 1. *num.* 6. & alij. Huius cauſa eſt, quia iuxta Ariſtotelem, Actus non extenduntur vltra intentionem agentis. Et ſic verba vouentis non extenduntur vltra intentionem illa proferentis. Hæc autem proferens verba voti, habuit omninò intentionē non vouendi, nec ſe obligandi. Præterea, quia votum eſt quædam lex particularis, quam ſibi vouens imponit. At lex non obligat, niſi iux-

ta intentionem legislatoris, adeò vt si legislator nolit illam obligare, non obligabit. Colligitur idem clarè ex cap. *cum virum, de Regular.* vbi Papa ait, fœmina, quæ habens ætatem,& voluntatẽ professa fuerit: *Non poterit Monastica professionis à se iugum excutere, cum eã non constet euidenter contradixisse, cum benedictionem accepit,* (ideſt, cum professionem emisit.) At constat quod ista professa, nec voluntatem habuit vouendi, & præterea euidẽter contradixit per antecedentem protestationem. Ergo à contrario sensu poterit iugum professionis excutere iuxta illum textum. Quod vero illa protestatio facta paulo ante professionem, sit clarum indicium quod in ipsa professione emittenda habuit dissensum internũ, patet ex iis quæ tradunt Ioan. Andr. Caldet. Barbat. Ant. Gabr. Petr. Ledesm. Emanuel. Rodrig. cit. à Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 45. q. 2. à n. 7.* qui dicunt quod si aliquis sponsus coram testibus ante matrimonium protestatur se per verba futura matrimonij nolle consentire in matrimonio, signum est, quod non consensit. Nec obstat limitatio ibi posita à Sanch. *num. 19.* dicente, quod si talis protestatio fiat altero sponso absente, vel ignorante, vel si sciuit, dissensit, tunc protestatio illa non valet, eaque non obstante per verba sequentis matrimonij videtur recessisse ab illa protestatione, & interius consensisse, non inquam obstat, quia etiam illa professa quãdo protestata est etiam absens erat Prælata, & tota plena cõmunitas, ac proinde per sequentia verba professionis nõ recessit à priori protestatione. Adde quod tempore emissæ professionis adhuc impendebat metus parentum, qui fuerat causa istius protestationis. Denique quod tẽpore professionis emissæ, & toto sequenti tempore habuerit istũ dissensum vouendi, cum talis dissensus sit res pendens

dens à sola anima probari potest iuramento ipsius, eo modo quo Nauarr. *consil.1. de constitutionibus, q.2. n.7.* ait ignorantiam, &c. quæ sunt obscura, & pendentia solum ab anima: probari debere per iuramentum partis.

2 Secundum cap. *Nullitatis*, in hac professione fuit metus saltem Reuerentialis patris, qui illam inuitam ad Monasterium adduxit, & paulò ante professionem ad cratem est allocutus, admonens ne profiteri detrectaret. Iam verò quod solus metus Reuerentialis annullet professionem tenent viginti Doctores graues quos citat Sanchez *lib.5.de matrimon disput.6.num.13.* & Farinacius in suis declarationibus Cardinalium, quas collegit,& impressit *fol.106. ad sess.25. Tridentin. c.11.de Regul.* ait Romæ in Rota præsidente Oradino decisum fuisse professionem cuiusdam fœminæ fuisse nullam eo quod facta fuerit per metum reuerentialem. Et præter Doctores citatos à Sanchez,idem tenet Brunorus in suis locis commun.verbo *Matrimonium,n.4.* vbi citat Iasonem, & Matsilium idem dicentes. Idem sentiunt Sayro, & Riccio citati à Barbosa in suis remissionibus ad Tridentinum *sess.25.cap.19.de Regular.* idem tenet Henriquez *tom.2.summ.lib.11. cap.9.§.5.litera S.* Idem tenet Valerus Carthuxanus *lib. de differ. viriusque fori*, verbo *Metus differentia 3.§.Hinc infero.* vbi citat alios. Ratio istorum Doctorum est,quia status Religionis includit maius, & rigidius vinculum quam includat matrimonium, & ideo requirit maiorem libertatem quàm matrimonium:& ex consequenti licet metus solus Reuerentialis non annullet matrimonium, annullat tamen professionem. Facit quod tradit Molina *tom.3.de iust.1.p. disp.579.n.29 §. vtrum autem:* vbi ait renunciationem legitimæ factam à filio

coram patre ob metum reuerentialem illius, esse nullam licet fiat cum iuramento. At maius quid est professio solemnis, vbi non solum renunciat filius legitimis, sed etiam propriæ voluntati in perpetuum: ac proinde requiret perfectam, & omnimodam libertatem, quam non habet ille qui operatur cum metu reuerentiali.

3 Tertium cap. *Nullitatis*, in ista professione fuit metus cadens in virum constantem, vt enim refertur, pater minas asperas fecit, vt quod per crines illam aliàs raptare debebat, & asperè illam tractare deberet. Quæ minæ arbitrio prudentis viri à patre incussæ fragili fœminæ, metum grauissimum causant: minus enim requiritur ad causandum metum grauem in fœmina, quam in viro, vt tradit Sanchez *lib.4. de matrim.d.sp.3. num.2.* citans multos. Quando vero vltra metum reuerentialem adduntur minæ, omnes Doctores dicunt incuti metum cadentem in virum constantem, pro quo citat multos Sanchez *lib.4.de matrim.tota disput.6.* maximè *n.7.* & ibidem *n.22.* ait Sanchez quod licet ad hoc vt minæ incussæ causent metum viri constantis, necesse est vt minans solitus sit minas exequi: ait tamen Sanchez, quod in dubio præsumendum est quod minæ dabuntur executioni, & quod allegans minas non tenetur probare quod comminator illas exequi soleat. Cum ergo in hac professione metus grauis interuenerit, consequens est vt fuerit nulla ipso iure, & ipso facto: iuxta cap. *Puella 20.q.1.* & cap. *cum virum Regul.* quæ duo capitula citantur à Tridentino in margine *sess.25.cap.19. de regular.* cum agit de professione ob metum annllanda. Imo addit Sanchez *lib.4. Decalogi, tomo 1.cap.3.num.13.* quod si aliquis professionem emittat per metum grauem, etiamsi aliàs verba proferens

rens intendat vouere, & se obligare, adhuc professio erit annullanda. Nam, ait Sanchez, Ecclesia talem professionem irritat, & insufficientem reputat ad hoc, vt possit ex illa oriri aliqua obligatio. In hoc vero casu ista profitens nullo modo intendit vouere, vel se obligare, imo hæc duo excluſit ab intellectu, & voluntate per actum positiuum dissensus interni.

Ad secundum quæsitum.

4 AD secundum quæsitum dico, Papam in secundo rescripto clarè reuocasse Concilium Tridentinum circa decretum quinquennij, constat hoc ex verbis ipsius rescripti, sic enim ibi dicitur: *Aduersus lapsum quinquennij Regularibus ad reclamandum à Concilio Tridentino præfixi*, &c. Hoc enim est, quod postulatum fuerat à Papa, restitutio videlicet cõtra quinquennium lapsum, quod Tridentinum præfixerat ad reclamandum, & in nullo alio iure expressum reperitur, quod professus post quinquennium non reclamet nisi in Tridentino. Et paulo post proximè citata verba, ait Papa in rescripto alloquens iudices delegatos: *Aduersus lapsum quinquennij authoritate nostra prout de iure restituatis, & in suis iuribus audiatis.* Quæ enim clarior reuocatio Tridentini dari potest, quam dum Papa referens Decretum Trident. mox contra ipsum aliquid disponit, & concedit in contrarium. Ita Rodrig. 3. *tom. Addit. ad summam, cap.* 78. *concluſ.* 2. vbi licet dicat cum communi non derogari Concilio Tridentino, nisi Papa illud exprimat: ait tamen Papam Tridentino derogare, quando aliquid expresè concedit contra illud. Et citat ad hoc Felinum, Loays, & Sanchez. Idem tenet Henriquez *lib.* 7. *de indulgent. tom.* 1. *c.* 26. *num.* 3. Couar.

Rubr.de teſtam.2.part.num.19.verſ.4. concluſio in quodam caſu ſimili. Sarmiento *lib.7.ſelect.cap.14.* alios citans *num.7.* & Iulius Clar. § *Teſtamentum, quæſt.99.§.cæterum.* Et probatur exemplo omnino ſimili in materia de teſtamentis. Nam rigoroſior eſt reuocatio teſtamenti prius confecti, quam ſit intellectus clauſulæ Papalis derogantis. Et nihilominus quando teſtator conficit ſecundum teſtamentum contrarium priori, cenſetur derogare priori teſtamento, etiamſi illius prioris reuocationem non exprimat; ergo licet Papa in hoc ſecundo reſcripto non exprimat derogationem Tridentini, nihilominus cenſetur illud clarè abrogare, eo quod in ſecundo reſcripto diſponat contrarium Concilio Tridentino circa quinquennij reclamationem. Reuocare enim facto, plus eſt quam reuocare verbo. Eo modo quo appellare facto, arrepto ſcilicet itinere ad ſuperiorem, plus eſt quam appellare verbo, vt habetur in cap. *Dilecti, il 2.de appellat.*

Ad tertium quæſitum.

5 AD tertium dico, quod licet impetratrix illa in narratione ſecundi reſcripti non fecerit mentionem prioris reſcripti obtenti ad reclamandum anno 12. poſt profeſſionem, iſta taciturnitas non vitiauit impetrationem ſecundi reſcripti, quia hæc taciturnitas pertinet ſolum ad cauſam impulſiuam, quæ non vitiat gratiam, iuxta omnes, & non pertinet ad cauſam finalem. Quod explico ſic. Si illa veritas tacita de priori iam reſcripto obtẽto, narraretur Papæ, vt plurimum faceret vt Papa difficilius concederet ſecundum, eo quod fœmina negligens fuerit in exequẽdo priori reſcripto, non tamen Papa negaret omnino, cum dura-

ret

ret eadem, imo & maior neceſſitas. At conſtat quod quando tacetur verum, cuius expreſſio ſolum redderet difficiliorem diſpẽſationem, talis taciturnitas veri non vitiat diſpenſationem, vt tenet Sanchez cum multis *lib.8.de matrim.diſput.21.num.32.* ergo hæc taciturnitas non vitiauit reſcriptum ſecundum. Et in hoc caſu finalis cauſa diſpenſandi fuit ſuccurrere neceſſitati fœminæ tot annis oppreſſæ, & inuitæ, quæ cauſa finalis non fuit occultata Papæ, ſed ſolum fuit omiſſa cauſa impulſiua, cuius omiſſio non vitiauit gratiam, vt omnes fatentur, maximè Adrianus, Medina, Deçius, Nauarrus, Berous, Sylueſt. & alij citati à Sanchez loco proximè citato. Secundo principaliter id probo ex traditis à Sanch. *diſp.cit.21.num.42.* vbi ait cum multis citatis ibidem, quod ſi in ſupplicatione Papæ exhibita narrãtur multæ cauſæ copulatiuè, quarum aliquæ veræ ſunt, aliquæ falſæ, ſpectãdam eſſe cauſam cui nititur reſcriptum, atque hac exiſtente vera non obſtare cæterarum falſitatem, nec vitiari reſcriptum, quia diſpenſatio tunc nititur ratione vera, & ſufficiente ad diſpenſandum, & citat ad hoc Sanch. 19. Doctores. At conſtat quod in hoc ſecundo reſcripto narrata eſt Papæ cauſa finalis vera, videlicet vis illata fœminæ in profeſſione, illiuſque diffenſus: & huic cauſæ principaliter innititur ſecundum reſcriptum: ergo hoc reſcriptum non fuit vitiatum ex taciturnitate prioris reſcripti, cum in eo tacendo nihil falſum narratum fuerit Papæ, ſed ſolum tacitum verum, quod non pertinebat ad cauſam finalem. Concordat cum hac doctrina Suarez *tom.2.de Relig.tract.de voto.lib.6.cap.vlt.num.5.* & Nauar. *tom.conſiliorum*, primæ impreſſionis in fine. *in Addit.ad tit.de reſcript.fol.* 629. *col.2.* vbi citat Abbatem dicentem, quod narratio falſi ſolum vitiat gra-

tiam quoad illud cuius causa fuit, & ita poterit gratia esse subreptitia quoad vnum, & valida quoad aliud. In hoc vero casu nullum falsum fuit narratum, vt proximè dixi, licet fuerit omissum verum non pertinens.

6 Quæsitum etiam fuit an fratres, & consanguinei huius fœminæ impedientes ne illa professio declaretur nulla per iudices delegatos, metuentes amissionem bonorum temporalium illius quæ illi possident, incurrant excommunicationem positam à Tridentino contra cogentes fœminas inuitas intrare in monasterium, & in illo profiteri. Videntur enim hi fratres illam cogere ad professionem, vel saltem ad statum Religiosum? Respondi tamen me credere illos non incurrere: nam lex pœnalis, qualis est ista, strictè est interpretanda: & isti consanguinei non cogunt vt intret Monasterium, neque vt habitum suscipiat, neque vt profiteatur: iam habitum suscepit, iam professa est, solum procurant ne declaretur professio nulla, qui actus è Concilio Tridentino non prohibetur expresè; & aliàs videntur habere ius ad defendenda bona temporalia, quæ possident sibi delata per putatam professionem sororis. Secus dicendum, si illi in principio quando illa inuita intrauit Monasterium, illi scienter cooperati sunt ad ingressum.

Vide quæ dicta sunt supra 1. *part.* *casu* 9. de alia professione Monialis facta per metum.

CASVS

CASVS XXXIII.

De quadam donatione facta Monasterio Monialium.

QVædam nobilis fœmina vidua, & habens filium, eo morte sublato sepeliri fecit illum in quadam Ecclesia Monialium: eidem capellam particularem constituens cum particulari sepultura. Qua de causa eidem Ecclesiæ donauit aliqua donaria, seu donatiua, vt lampadem, Calicem, & candelabra argentea, & similia: eaque donauit absque scriptura, absolutè, gratis, & sine vlla conditione apposita. Post multos annos, prædicta domina ædificauit vnum Monasterium Monialium, ad cuius Ecclesiam vult transferre ossa filij cum licentia Ordinarij. Quæsitum fuit an posset prædicta domina simul cum ossibus filij transferre prædicta donaria quæ dederat priori Conuentui, illaque auferre à priori Monasterio, reuocando priorem donationem?

Et quod possit illam reuocare, potest probari ex eo quod dicunt Theologi & Iuristæ, maximè D. Thom. 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 3. *ad.* 3. & alij, videlicet, donationem posse reuocari ex eo quod post illam superuenit notabilis mutatio rerum: sicut votum mutatur, seu non obligat, si post votum mutatur notabiliter materia voti. At in hoc casu post factam donationem priori Monasterio, superuenit notabilis illla mutatio, quia sepultus filius in priori Ecclesia transfertur ad Ecclesiam nouam cum licentia Ordinarij: ergo potest reuocari donatio facta priori Monasterio. Secundo, hæc domi-

na

na Comitissa fecit hanc donationem priori Monasterio intuitu filij ibi sepulti, & proinde filij sepultura ibi posita videtur fuisse finis ob quem illa donaria dedit priori Ecclesiæ: cum ergo hodie per translationem filij sepulti ad aliam Ecclesiam, cesset finis ob quem facta est donatio, cessabit etiam ipsa donatio, iuxta illud dictum commune, quod cessante fine legis, cessat lex, & cessante fine cessant illa quæ sunt ad finem.

Responsum.

1 HOc non obstante, dico prædictam Comitissam non posse cum ossibus filij deferre donaria quæ dederat priori Monasterio, & proinde non posse reuocare priorem donationem. Probatur primo ex communi sententia Doctorum vtriusque iuris dicentium donationem inter viuos, qualis fuit ista, factam absolutè sine conditione, & post traditionem rei donatæ, non posse reuocari. Hoc inter alios affirmat, & refert Iulius Clarus in sua praxi *lib.* 4. §. *Donatio*, *n.* 3. vbi citat leges, & Doctores id asserentes: & ex Theologis tenet Azor *tom.* 3. *lib.* 11. *cap.* 9. vbi citat etiam leges ciuiles: & habetur in iure canonico *cap. verum, de condit. appositis.* Et licet aliqui sint casus ob quos donatio potest reuocari, qualis est ingratitudo, & alij, in hac donatione nullus ex illis casibus interuenit. Cum ergo hæc Comitissa donauerit prædicta donaria priori Monasterio donatione liberali, sine conditione, & inter viuos, & fuerit accepta à Monialibus prioris Monasterij illa possidentis pacificè per multos annos, non potetit illam reuocare. Accedit ratio pro ista communi sententia, nam si is qui aliquid alicui absolutè donauit, posset ad libitum post multos annos donatio

nem

nem reuocare, sequerentur quotidie multæ inquietationes,& scandala,& motiua impatientiæ, quæ tamen incontinentia non sunt admittenda in Republica. Secundo idem probo ex eo quod tradit Rabell. *lib.* 1. *de donat. in genere quæst.* 3. *sect.* 3. §. *Tertio dici potest*, vbi citat,& sequitur Angelum, & Duennas dicentes, quod quando donator dat pro causa pia, censetur donare irreuocabiliter, Hæc vero Comitissa dedit prædicta donaria pro causa pia : donauit enim Ecclesiæ pro cultu diuino, pro anima filij, & pro anima sua propria, quæ omnes sunt causæ piæ, vt constat : ergo censenda est donasse irreuocabiliter. Tertio hoc colligitur ex quadam epistola ipsius Comitissæ scripta in quadam occasione ad Abbatissam prioris Conuentus, in qua petiuit ab illa vt sibi accommodaret pro certo festo celebrando candelabra, & lampadem, quæ ipsa donauerat, promittens quod finito festo eadem redderet prædictæ Abbatissæ : cum ergo mutuo illa peteret, promittens reddituram se illa esse, signum clarum est illam confessam esse quod dicta donaria dederat Conuentui irreuocabiliter, transferendo illorum dominium in prædictum prius Monasterium, & sic hodie non poterit illud priuare prædicto dominio acquisito. Quarto est quidam textus efficax ad hoc probandum desumptus ex D. Ambrosio,qui textus habetur in cap. *Sunt qui opes*, 17. *q.* 4. vbi dicitur, quod dans aliquid Ecclesiæ animo tumultuario, id est, non plenè deliberato, & cum impetu,facit donationem validam, ita vt si postea rem sic donatam velit reuocare ab Ecclesia, committat sacrilegium. Hæc autem Comitissa prædicta donauit Ecclesiæ non animo tumultuario, & indeliberato,sed animo quieto, & deuoto : ergo non poterit donationem reuocare. Quinto probatur ex eo quo-

tradit

tradit Comitolus in suis Respons. Moral. *lib.* 7. *q.* 7. *n.* 11. vbi citans Felinum, & alios ait, quod si quis carens filiis aliquid donauit Ecclesiæ, & post donationem eidem nati sunt filij, quos posset commodè alere cum re illa iam donata Ecclesiæ, non potest ad hoc reuocare donationem factam Ecclesiæ, quia iuxta quandam glossam ibi citatam, potior est causa pia, quàm causa liberorum. Hæc autem Comitissa donauerat Ecclesiæ, illique non sunt nati filij, sed filiis carebat, neque indigebat rebus donatis ad sustentandum filium. Et confirmat ibi Comitolus dicens, quod res donata Monasterio transiuit in dominium Monasterij, quod non proinde potest priuari per reuocationem donationis, quæ fuit ratio iam supra à nobis tacta.

2 Ad primum igitur argumentum in principio pro parte contraria positum, respondet Rabello *lib.* 18. *q.* 11 *n.* 9. dicens, illud quod dicitur posse reuocari donationem, si post illam superuenit notabilis mutatio, intelligendum esse, si talis mutatio superueniat antequam res promissa tradatur donatario: si enim iam tradita sit, non poterit reuocari. Præterea intelligẽdum est illud, si per mutationem superuenientem donatio reddatur illicita, vel inutilis donatario. Vt si promittitur gladius homini, qui postea deuenit in amentiam, & furiam, cui proinde illicitũ, & inutile est dare gladium, & sic de aliis exemplis. In hoc vero casu ista mutatio superueniens donationi, id est, translatio filij defuncti ad secũdum Monasterium superuenit post tradita iam illa donatia priori Monasterio, & per multos annos ab illo possessa. Præterea hæc donatio per istam mutationem superuenientem, filijve defuncti translationem non est facta illicita, vel inutilis priori Monasterio, sed est illi valdè vtilis: ergo non potest reuocari per istam muta

mutationem ſuperuenientem. Ad ſecundum dico non valere hanc conſequentiam. Dedit hæc donaria intuitu filij ibi ſepulti: ergo non exiſtente ibi filio ſepulto ceſſat ratio donationis, ita vt poſſit reuocari: non valet primo, quia dare illa donaria intuitu filij ſepulti non fuit apponere conditionem donationi: intuitus enim, ſeu reſpectus ille non eſt conditio appoſita quod ibi manerent donaria quoad vſque tantum maneret corpus filij, nihil enim tale fuit expreſſum in donatione. Secundo non valet conſequentia, quia ille reſpectus, ſeu intuitus filij ibi ſepulti, non fuit cauſa finalis donationis, ſed ſolum fuit cauſa impulſiua, ſeu mouens ad donandum. Cauſa vero finalis fuit gloria Dei, cultus Eccleſiæ, ſalus animæ propriæ, vel animæ filij, & hic finis non ceſſat per trãſlationem filij defuncti ad ſecundum Monaſterium. Tertio dico, quod licet illa donaria fuerint donata priori Monaſterio iutuitu filij ibi ſepulti, prius Monaſterium hæc dona non amittit, ſiquidem illa ex ſua ſola, & propria voluntate voluit hanc tranſlationem facere. Declaro hoc, exemplo omnino ſimili. In materia de matrimonio dicũt Doctores mox citandi, quod ſi ſponſus ante cõtractum matrimonium mittit aliqua donaria ſponſæ (quam vocant ſponſalitiam largitatem) illa donaria dantur intuitu matrimonij futuri, & proinde ſponſa acquirit dominium illorum, manentque propria illius: ita tamen quod ſi culpa illius poſtea matrimonium non ſequatur, illa donaria ante donata amittit, & reuertuntur ad ſponſum. Si verò è contra matrimonium non ſequatur culpa ſponſi, ipſe illa perdit, & manent ſponſæ, vt omnes Doctores tradunt communiter, maximè Sanchez *lib. 6. de matrimonio, diſp.* 18. *concluſione* 3. & Rabello *de obligatione iuſtitiæ, 2. part. l. 6. quæſt.* .. vbi citant alios. Quod optimè facit

facit ad nostrum casum. Licet enim hæc Comitissa donaria illa dederit priori Monasterio intuitu filij ibi sepulti: cum tamen translatio filij ex hoc loco fiat solum ex sua causa, & propria voluntate Monasterio ferè repugnante, & non consentiente: prædictum Monasterium non debet donaria antiqua amittere, cum filij sepultura ibi perpetua non cesset culpa Monasterij, sed vt ita dicam culpa Comitissæ filium transferentis.

3 In fine duo aduerto. Primum est, quod si Abbatissa prioris Monasterij ad solam petitionem Comitissæ illi donaret omnia antiqua donaria, quæ dederat, Abbatissa peccaret moraliter, & incurreret pœnas positas cõtra alienantes bona Ecclesiæ. Alienaret enim in hoc bona Ecclesiæ pretiosa quorum dominium Monasterium verè acquisiuerat. Secundum est, quod si fortè Comitissa impetraret à Sum. Pontifice Bullam, vt cum ossibus filij transferret etiam donaria illa quæ dederat priori Monasterio, præsumi potest, quod talis Bulla sit subreptitia ob narrationem alicuius falsi, vt quod dictum fuerit Papæ illa donaria donata fuisse priori Monasterio sub conditione, quamdiu scilicet ibi manerent sepulta ossa filij, vel quid simile. Et proinde contra talem Bullam posset ad Papam recurri per supplicationem: cum sit res certissima apud Doctores, quod nunquam Princeps, vel Papa concedit aliquid cum præiudicio tertij, nec per sua priuilegia intendit aliquem priuare iure iam sibi quæsito, vt inter alios tradit Suarez *tom. de leg. lib.* 8. *cap.* 27. *num.* 9. citans ad hoc duo capita iuris canonici, & vnam legem ciuilem. At talis Bulla, si exiret, priuaret potius Monasterium iure, & dominio clarè quæsito circa illa donaria, & proinde posset præsumi subreptitia.

CASVS

CASVS XXXIV.

De quadam licentia confirmata à Domino Collectore.

QVidam Generalis cuiusdam Ordinis concessit licentiam certo Religioso ad certum quid faciendum: iste confirmauit prædictam licentiam per D. Collectorem Apostolicum illius Regni. Finito officio D. Collectoris, illoque egresso, à dicto Regno & alio succedente, prædictus generalis prædictam licentiam à se datam reuocauit. Et declaratur, quod quando D. Collector illam licentiam confirmauit, addidit, quod illi licentiæ nullus contradiceret, sub pœna excommunicationis, & priuationè actuum legitimorum.

1 Quæritur primo. An prædicta licentia semper valida sit, etiamsi D. Collector illam confirmans, officio finito sit egressus Prouinciam, & an sit necessarium illam confirmare per Collectorem successorem?

2 Secundo quæritur, an Prælati Religionis possint prædictam licentiam reuocare, & annullare?

3 Quæritur, an si Prælatus Ordinis prædicto Religioso præcipiat ne vtatur tali licentia, incurrat pœnas impositas à D. Collectore confirmatore illius?

4 An Religiosus cui talis licentia concessa est, teneatur credere Prælato inferiori Religionis dicenti se habere commissionem ad prædictam licentiam impediendam, sine eo quod litteras suæ commissionis ostendat?

Responsum.

1 AD primum dico, prædictam licentiam sic confirmatam validam esse, & suum robur non amisisse, etiam postquam D. Collector præteritus officium finiuit, & Prouinciam fuit egressus. Est expressum hoc à Sylueſtro verb. *delegatus*, *quæſt.* 15. vbi ait, quod etiam si delegatus Papæ finierit officium in persona, & sit Prouinciam egressus, non finiunt constitutiones eius factæ in Prouincia, neque illa quæ sunt facta, vel cœpta per suos delegatos. Quod à fortiori locum habebit in dominis Collectoribus Regnorum, qui sunt delegati ad vniuersitatem causarum. Delegatus enim ad vniuersitatem causarum est ordinarius, vt latè probat Sanchez *lib. 3. de Matrim. disput. 31. num. 2.* Secundo probatur ex traditis ab eodem Sanchez *lib. 8. de Matrim. disput. 28. num* 83. vbi multos citans resoluit quod licentia concessa alicui ad suscipiendos Ordines valida est etiam post mortem Episcopi concedentis. Tertio probatur ex eo quod tradit Nauar. *consil. 4. de Clericis non residen. num. 2.* vbi ait licentiam semel datam durare etiam post mortem concedentis, iuxta capitulum, *Si super gratia. de offic. delegati in 6.* & glossam ibi citatam. At ista licentia est data, & confirmata à D. Collectore authoritate Apostolica, & non est reuocata à D. Collectore successore: ergo valida est. Facit quod tradunt octo Doctores iuris Canonici citati à Sanchez *lib. 7. Decalogi, cap. 29. n. 29.* dicentes. Secundo, Quod si Prælatus Regularis conferat beneficium certo Religioso, & Papa confirmet, non potest amplius Prælatus tale beneficium auferre. Licet autem ibi Sanchez *num* 30. limiter id intelligi, dummodo Papa confirmet ex certa scientia; cæteri tamen Authores loquun

loquuntur absolutè. Et præterea confirmatio ex certa scientia solum est in vsu apud Sum. Pontificem, non verò in cæteris Prælatis inferioribus. Hinc colligitur responsio ad id quod continet prima interrogatio, dicendum est enim non esse necessarium, quod ista licentia confirmetur à nouo D. Collectore succedente. Si enim illa valida est, & iam confirmatur, donec reuocetur iuxta supradicta, non indiget alia confirmatione: quod enim validum est, non oportet reualidari: ad eum modum quo in regulis iuris in 6. dicit quædam Regula, eum qui certus est non oportet amplius certiorari.

3 Ad secundum quæsitum dico, nullum Prælatum Religionis posse prædictam licentiam confirmatam à D. Collectore annullare, vel reuocare. Constat clarè, quia inferior non potest annullare legem superioris, vt definit Clementina *Ne Romani, de electione*, & alia iura. At Prælati Ordinis sunt inferioris D. Collectore Apostolico, qui illam confirmauit: ergo non possunt illam reuocare. Et declaratur exemplo. Si enim Generalis Ordinis confirmaret aliquam licentiam datam ab aliquo Prouinciali, iam talis Prouincialis, qui illam prius dedit, non poterit illam reuocare, quia sic reuocaret licentiam Generalis superioris. Quod in nostro casu militat eodem modo.

4 Ad tertium quæsitum dico, Prælatum Religionis impedientem talem licentiam incurrere pœnas impositas à D. Collectore confirmante. Probatur, quia prior licentia data à Generali, & confirmata à D. Collectore iam non est solum licentia, sed transiuit etiam in mandatum, & præceptum: quia præcepit D. Collector confirmans, ne aliquis sibi inferior talem confirmationem impediret, idque præcepit sub grauibus pœnis: ergo

Prælatus Regularis contraueniens, & violans præceptum D. Collectoris, incurrit pœnas positas talis præcepti transgressoribus.

5 Ad quartum dico Religiosum subditum non teneri credere Prælato Regulari dicenti se habere commissionem ad annullandam prædictam licentiam, nisi ostendat commissionem. Probatur, quia etiam delegato Sedis Apostolicæ non creditur, nisi ostendat literas suæ delegationis, & commissionis, vt habetur expressè in cap. *Cum in iure, de offic. & potestate iudicis de leg.* cum gloss. ibi verb. *Super mandato.* Et cap. *Cum à nobis, de testibu, & attestat.* & multo minus credendum est Prælato Regulari dicenti se habere commissionem ad reuocandam licentiam D. collectoris. Adde quod licet Prælatus Regularis talem commissionem ostenderet factam à Generali Ordinis, illi non tenetur obedire, quia Generalis Ordinis non potest reuocare licentiam confirmatam à D. Collectore, vt probauimus sub censura Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS XXXV.

De iurisdictione Prouincialis supra Conuentum Monialium in certo casu.

QVædam Prælata certi Cõuentus Monialium durante suo officio iussit fabricare certum opus argenteum pro cultu diuino suæ propriæ Ecclesiæ. Pro quo opere fabricando contractum iniuit cum aurifice in pretio ducentorum aureorum reddendorum aurifici pro labore operis. Ad quod debitum soluendum in scriptura

scriptura publica designauit ducentos aureos, quos Petrus suo tempore debebat clarè eidem Conuentui. Et vt hoc maius robur obtineret Prouincialis Conuentus patentibus literis consensit in contractu, & sub censuris mandauit vt illi ducenti aurei soluendi à Petro applicarentur ad solutionem pro pretio aurificis, & in alia re non insumerentur. Finito officio prioris Prælatæ succesſit alia quæ non vult stare contractui prioris, sed vult vt illi 200. aurei debiti à Petro sibi soluantur pro aliis necessitatibus Conuẽtus, & ad hoc litem intentauit Petro, vt illos sibi reddat, non aurifici.

Quæritur, an Prouincialis potuerit illud mandare: & an Prælata succedens teneatur stare contractui suæ antecedentis?

1 Respondeo Prælatum præcedentem potuisse inire valide illum contractum, applicando illi ducentos aureos soluendos postea à Petro. Item potuisse Prouincialem mandare vt illi 200. aurei applicarentur aurifici pro solutione operis, & alio modo non insumerentur: & proinde Prælatam, quæ succesſit, teneri ad standum contractui inito per Prouincialem firmato. Et quidem quod prior Prælata potuerit facere prædictum contractum, applicando illi 200. illos aureos suo tempore iam debitos à Petro, constat, quia Prælata Conuẽtus habet plenam administratiooem bonorum temporalium Conuentus in bonum commune ipsius Conuentus maximè accedente consensu Prouincialis, vt praxis obseruat: sed illud opus argenteum iussum fieri à priori Prælata erat clarè in bonum Cõuentus, & cultus diuini, & illi 200. aurei debiti à Petro, erant iam bona temporalia illius Conuentus, de quibus illa potuit disponere: ergo potuit illos applicare ad soluẽdum opus aurificis pro bono communi Conuentus. Et hæc

ratio amplius roborabitur ex mox dicendis, vbi probabit r Prælatum succeſſorem teneri ſtare cõtractui anteceſſoris inito pro bono Conuentus, imo ad ſoluenda debita contracta per anteceſſorem pro eodem bono communi Conuentus. Quod autem Prouincialis idem potuerit mandare obligando illos 200. aureos ad ſolutionem faciendam aurifici, conſtat, quia Prouincialis habet plenam adminiſtrationem, & iuriſdictionem etiam in temporalibus pro bono Conuentus in quouis Monaſterio Monialium ſibi ſubdito. Patet hoc maximè in Prouincialibus Minorum circa Moniales ſibi ſubditas. Nam in compendio Mendicantium verbo *Moniales*, §. 21. Iulius II. committens Prouincialibus Minorum Regimen Monialium, ait, quod circa illas habeant omnem iuriſdictionem quam antea circa illas habebat Cardinalis protector eaſdem gubernans. Iuriſdictio vero Cardinalis protectoris illas antea gubernantis tradita in eodem compendio verbo, *Protector Ordinis*, §. *à Papa Vrbano*, erat hæc, vt illas gubernaret, *Inſtituendo, deſtituendo, ſtatuendo, ac diſponendo prout ſecundum Deum viderint expedire.* Quæ verba ſatis ſignificant plenam iuriſdictionẽ datam Prouinciali diſponendi de rebus etiam temporalibus Conuentus Monialium. Et confirmo exemplo, nam maius eſt dare licentiam ad alienanda bona immobilia Cõuentus Monialium quàm dare licentiã vt certa pecunia Conuentus inſumatur in aliqua re particulari: illud enim prius non poteſt fieri, niſi concurrentibus certis ſolemnitatibus, & neceſſitatibus, hoc vero ſecundum illas ſolemnitates non requirit: ſed Prouincialis poteſt dare licentiam vt bona immobilia Conuentus Monialium alienentur in bonum commune eiuſdem Conuentus, ſeruatis aliis ſolemnitatibus, vt conſtat: ergo poterit dare

licen

licentiam, vt certa pecunia Conuentui debita, insumatur solum in soluendo alio debito, ad quod tenetur Conuentus. Cum ergo Prouincialis posset illud præcipere, clarum est non posse Prælatam succedentem contraire tali mandato in re graui, & 200. illos aureos sibi applicare, nec proinde litem mouere Petro vt illos sibi soluat. Iam enim hoc esset inferiorem posse abrogare legem superioris, contra cap. *Cum inferior. de maiorit. & obedient.* & Clement. *Ne Romani, de elect.*

2 Dico secundò, Abbatissam succedentem teneri stare contractui à sua antecedente inito in bonũ ipsius Conuentus Hoc docet, & probat Rodriguez *tom. 3. qq. Regul. q. 26. artic. 1.* citans Abbatem, Cardinalem, Decium, & alios. Idem tenet Sylvest. ver. *Dignitas.* citans alios, addens esse communem, adeo vt etiam Papa, & Imperator teneantur stare contractui inito per antecessores, quando est in bonum Ecclesiæ, vel Regni, & fuit initus nomine dignitatis, seu officij. Et idem habetur in cap. *Dilect. filijs, de foro compet.* At Abbatissa præcedens fecit illum contractum cum aurifice nomine dignitatis, seu officij, & contractus est clarè initus pro bono Conuentus: ergo Abbatissa succedens tenetur stare contractui, nec potest illi contraire. Videatur etiam Rodrig. *tom. 3. addit. ad summam*, verb. *Capitulum Sede vacante, conclus. 9.* vbi dicit cum Gutierrez, & Rodoano, posse Capitulum Sede vacante petere pecuniam mutuatam pro bono communi, & vrgente necessitate Ecclesiæ, quam pecuniam postea Ecclesia, vel successor Episcopus tenetur soluere.

3 Dico tertiò, Etiam Abbatissa præcedens non relinqueret illos 200. aureos suo tempore sibi debitos, & applicatos ad soluendum pretium aurifici, adhuc

Abbatissa succedens teneretur soluere illud debitum aut si i contractum à præcedente Prælata pro bono communi Conuentus, idque de bonis aliis eiusdem Conuentus. Sic habetur expressè cap. 1. *de solutionibus.* pro quo multa ibi citat glossa in ver. *Prædecessoris* Et confirmatur, quia Monasterium tenetur soluere debita contracta per aliquem Religiosum habentem administrationem Conuentus, vel si talia debita contraxit de licentia Prælati, de quo sufficiat videre tradita à Rabello *tom. de oblig. iust. lib.* 1. *de contractu in genere, quæst.* 8 *sect.* 1. *à n.* 8. citante ibi Molinam *de iust.* imo quod maius est, Monasterium tenetur soluere contractum debitum per Religiosum particularem sine licentia Prælati, si contractus cessit in bonum aliquod Conuentus, vt colligitur ex cap. *quod quibusdam, de fide instrum.* & approbat Nauarrus *consil* 14. *de Regular num.* 8 & 16. Si ergo Conuentus tenetur soluere debita contracta per procuratorem Conuentus, imo & contracta per Religiosum particularem sine licentia Prælati, quando talia debita resultarunt in bonum Conuentus: quanto magis tenebitur Abbatissa succedens soluere debita Abbatissæ antecedentis quando illa contraxit pro bono communi Conuentus; quale bonum fuit hoc de quo agimus, videlicet Custodia ad portandam sanctissimam Eucharistiam? Quod multo magis habet locum in nostro casu, quando Abbatissa præcedens de licentia Prælati reliquit illos ducentos aureos sibi iam debitos à Petro pro soluendo debito aurificis. Et ipsa praxis hoc obseruat etiam in sæcularibus, qui vnum debitum compensat cum alio debito: vt, verbi gratia, debeo tibi decem aureos, sufficienter soluo dicendo tibi, vt hos decem aureos colligas à Francisco, qui totidem aureos mihi debet.

Ex

Ex his sequitur non posse iudicem sæcularem admittere Abbatissam succedentem ad intentandam litem Petro pro recuperandis sibi 200. aureis applicatis per Prouincialem autifici: hoc enim esset impedire iurisdictionem Prælatorum, quam habent ex priuilegio circa regimen Monialium. Et præterea dictus iudex obuiaret in hoc, tot iuribus supracitatis dicentibus teneri successorem stare contractui antecessoris, & soluere debita contracta ab antecessore redundantia in bonum Conuentus: quod non est admittendum, sub censura Ecclesiæ, &c.

CASVS XXXVI.

An Conuentus Minorum debeat dare alimenta, & expensas Religioso contra se litiganti extra Conuentum.

QVidam Religiosus de Ordine Minorum ob culpas graues per sententiam expulsus est ab ordine priuatus habitu Religionis: & exilio punitus, & à Conuentu iam egressus cum habitu Clericali sæculari, appellauit coram D. Collectore qui appellationi detulit, & causam delegauit cuidam Religioso alterius Ordinis, coram quo expulsus prædictus suam appellationem prosecutus manens extra Conuentum, & cum habitu Clerici. Ante omnia petiit à suo iudice delegato, vt obligaret Prælatos Ordinis vt sibi extra Conuentum darent alimenta, & pecunias ad expensas litis, nolebat enim ad Ordinem redire.

Quæsitum est an Conuentus teneretur ad prædicta

alimenta,& pecunias pro expensis ministrandas?& videtur quod ad id obligetur Monasterium. Nam in Capitulo *ex parte de accusat.* iubet Papa vt Religioso habenti litem contra suum Abbatem. *De rebus Monasterij expensæ necessariæ ministrentur.* Et hunc textum sequuntur omnes Doctores communiter. Sed prædictus Religiosus habet litem contra suos Prælatos circa suã expulsionem, quæ suæ famæ valdè nocet ergo Monasterium debet illi expensas ministrare, & alimenta.

Responsum.

1 HOc non obstante censui non teneri Monasterium ad danda alimenta prædicto Religioso ob causas sequentes. Prima est, quia Monasterium non tenetur dare alimenta Religioso litiganti contra se, quando Religiosus est extra Conuentum, & extra obedientiam Prælati, ita expresè explicat Panormitanus citatum cap. *ex parte*, & colligitur ex verbis eiusdem capitis, ibi enim cum prius dicat Papa subditos non impediri ab accusatione Prælati, ait: *Eo, quod de obedientia, & subiectione Abbatis esse noscuntur* At iste iam non est de obedientia Prælatorum Ordinis cum sit extra Conuentum, & Prælatis non obediat. Et addit etiam ad hoc Panormitanus, Monasterium non tenetur dare expensas litiganti Religioso, nisi quando Religiosus litigat ad bonum commune Conuentus, vt si accuset Prælatum eo quod dilapidator sit, & bona Conuentus dissipauerit. Si vero Religiosus litiget pro bono suo particulari, non tenetur Conuentus dare expensas ad litem, vt clarè probat ibidem Panormit. *num.* 13. Idem tenet in terminis Riccio *tom.* 1. *Decision. Collectanea* 850. pro quo citat vnam Decisionem Rotæ, quæ est

num.

*num.*799. Vt iſte Religioſus in hac ſua lite non proſequitur bonum commune, vt pater, ſed ſolum proſequitur bonum particulare: ergo non tenetur Monaſterium illi dare expenſas ad litem. Circa vero primam rationem Panormitani, quod non tenetur Conuentus dare expenſas ad litem, quando ille eſt extra Conuentum, id ipſum magis amplio ex Sanchez *lib. de matrim. diſput. 4. quæſt. 2. à n. 20. vſque ad* 27. vbi inter alia dicit maritum non teneri alere vxorem, quando illa exiſtit extra domum viri ſine licentia viri, & ſine culpa viri: & citat ad hoc textus iuris vtriuſque. Imo addit, quod ſi vxor fugerit à domo viri ob ſæuitiam viri, & nihilominus vir dedit ſufficientem cautionem de illa benè tractanda, & illa redire noluerit, non tenetur vir illam alere extra domum, & citat ad hoc *num.* 24. Barboſam: & quod non teneatur pater dare alimenta filio quando filius eſt extra domum paternam inuito patre, tenet etiam Riccius *tom.* 1. *Deciſionum, deciſione* 97. At iſte Religioſus eſt extra Conuentum inuita Religione, imo ipſa Religio petiit, vt ad Conuentum rediret, offerens alimenta intra Conuentum, & ſufficientem cautionem: & tamen ille noluit acceptare: ergo non tenetur Religio illum alere extra Conuentum.

2 Tertia ratio principalis ob quam non tenetur Conuentus Minorum hunc ſuſtentare extra Conuentum miniſtrãdo etiam pecunias ad litem, eſt quia Conuentus Minorum eſt notoriè pauper, & viuit ex eleemoſynis: ergo non tenetur illi dare alimenta extra Conuentum. Valet conſequentia à ſimili: nam quando pater eſt inops, non tenetur alimenta dare filio: & quando vir eſt pauper omnino, non tenetur dare alimenta vxori, ita Sanchez *citata diſput. n.* 27. citans textus, & Doctores, & Riccius idem tenet de patre inope erga

filium

filium, *citata decisione* 97 maiorem vero obligationem habet pater ad alendum filium, & vir ad alendam vxorem, quam habet Prælatus ad alendum subditum. Pater enim, & vir obligantur ad alendum filium, & vxorem ex iure naturali; non sic vero tenetur Prælatus ad alendum subditum. Imo Henricus super citatum cap. *ex parte*, generaliter dicit, Religiones Mēdicantes non teneri suis Religiosis litigantibus dare expensas ad lites, quia scilicet non habent redditus in communi vnde possint dare pecunias: quod in nulla Religione magis ad vnguem seruatur, quàm in Religione Minorum, qui nullos omnino redditus habent, neque in communi, neque in particulari. Et hoc videtur colligi ex cit. cap. *Ex parte*, Ideò enim ibi Papa iubet dari expensas Monacho litiganti, quia inquit, *Non habet proprium*. At Religio Minorum non habet proprium etiam in communi: ergo non tenetur dare expensas Religioso litiganti, maximè existenti extra Conuentum, cum id valdè oneroſum futurum sit Conuentui viuenti ex eleemosynis. Vltima ratio sit, quia filium non tenetur pater alere quando filius fuit ingratus patri, vt tenet Riccius *tom.* 1. *Decision. Collectanea* 962. citans, & sequens Baldum *decisione* 29. At iste Religiosus fuit ingratus Religioni matri, quam sæpè offendit, & molestauit, adeò vt mereatur ob culpas ab ea expelli: ergo illi non debet alimenta extra Conuentum.

Sub censura Ecclesiæ,
& Doctorum.

***

CASVS

CASVS XXXVII.

De absolutione cuiusdam notorij Clerici percussoris.

QVidam Clericus malæ famæ, & ob sua crimina priuatus vsu Ordinum, sæpiusque ob malam linguam, & mores ab aliquibus iniuriatus, & percussus, infamauit quemdam Petrum adolescentem nobilem, sed filiumfamilias, falso dicens de illo quod esset timidus, & pusillanimis,& fugiens facilè aggressores suos. Et præterea cum prædictus Clericus nocte fugeret duos inuadentes se, postea publicauit quod Petrus adolescens erat ille qui noctu fugit duos illos inuadentes, cum hoc esset falsum. Petrus his prouocatus publicè, & in platea Clericum palo percussit aliquibus videntibus, dicens se illum sic percutere eo quod se falso infamaret,& pusillanimem vocaret.

Quæritur an Confessarius Regularis possit absoluere Petrum percussorem, & dato quod possit, quid præmittere debeat ad istam absolutionem.

Responsum.

1 DIco primo, talem percussorem Clerici posse absolui per Bullam Cruciatæ, de quo non est dubium, cum ipsa concedat absolutionem ab omnibus censuris Papæ reseruatis, exceptis aliquibus contentis in Bulla Cœnæ, qualis, seu de quibus exceptis, non est percussio Clerici. Et quando iste percussor non haberet Bullam Cruciatæ, posset illum absoluere confessor

fessor Regularis per sua priuilegia, vt expressè tenet Rodriguez *tom.1.qq.Regul.q.61.art.8.& 5.* idem dicit monens quod ante absolutionem debet satisfacere parti læsæ. Citat ad hoc Rodrig priuilegium Pauli III. concessum Patribus Societatis Iesu. Idem tenet idem Rodriguez in explicatione Cruciatæ ad §.9 *n* 56. & in *Addit.ad Cruciat.cit.§.9.n.*50.& Nauar *in Sum. Latina, c.27.n.42.* Idem tenet Vega Minimus *in Sum.* ver. *Absolutio,casu* 28.§. *La segunda*,& alij ibi citati à Vega. Accedunt duæ rationes ad facilitandum istam absolutionem per dicta priuilegia. Prima est, quia illa percussio non est deducta ad forum contentiosum ; Clericus enim percussus non accusauit coram iudice Ecclesiastico. Secunda est, quoniam nondum est liquidata satisfactio, quæ dari debeat Clerico percusso. Quando vero liquidatum non est quanta satisfactio dari debeat parti læsæ, ait Rodrig. *cit.art.* 8. posse percussorem data prius cautione quod satisfaciet id quod iudicatum fuerit à viris prudentibus, absolui. Quanta vero satisfactio danda sit huic Clerico percusso, valdè dubium est, vt patebit ex dicendis. Hoc autem solum aduerto, posse hanc absolutionem dari à confessario Regulari etiam extra sacramentalem confessionem, vt dicunt multi Doctores cit, à Sanchez *lib.7. de Matrim. disp.* 15 *num.*25.& concordat Suarez *tom.4. de Relig. lib.9. cap.*2. maximè *num.*27.

2 Dico secundo, circa satisfactionem dandam huic Clerico percusso, teneri prius percussorem per tertiam personam dicere percusso se paratum esse ad dandam satisfactionem iudicatam prudentis arbitrio. Si vero Clericus percussus dicat se nolle acceptare satisfactionem, innuens fortè quod vel per se, vel per iudicem Ecclesiasticum illam sumet, potest, ac debet absolui per

percussor, iam enim fecit quod potuit. Item si Clericus dilatet responsionem volens fatigare, & molestare percussorem, poterit etiam absolui, quia teste Henriquez *tom.2.c.18 n.1.* nam iste percussor fecit quod erat in se; & pia mater Ecclesia non intendit negare beneficium absolutionis facienti quod in se est. Si vero Clericus percussus velit acceptare satisfactionem, eligendi sunt duo arbitri, vnus à percusso, alius à percussore, qui consideratis omnibus circumstantiis delicti, iudicent qualem satisfactionem percussor debeat exhibere.

Porro in ista percussione quoad satisfactionem, tria potissimum debent iudices considerare. Primum est, quod Clericus percussus non fecit expensas in curandis vulneribus, nullum enim vulnus illi fuit inflictum, cum percussio palo tantum facta sit: & quoad hoc solum æstimandum est quanta sit iniuria palo illata. Ad quod multum iuuat videre id quod Dominus præcipiebat in lege veteri, *Exod.21.cap...n.* 8. de simili ferè percussione: vbi in simili ferè percussione solum iubebat solui expensas medicinæ, non vero aliquid pro infamia. Ego vero in hoc casu sentio aliquid restituendum percusso pro sola infamia, iuxta qualitatem tamen Clerici iniuriati, de quo statim in tertio dicto. Secundo loco considerare debent hi arbitri, quod Petrus percussor percussit prius prouocatus iniuria sibi facta à Clerico, qui Petrum vocabat timidum, & pusillanimem, quod homo nobilis pro iniuria reputat. Et Clericus falso dixit Petrum quadam nocte fugisse à duobus illum insequentibus. Iam vero prius prouocatus si percutiat, vel occidat, multo minorem pœnam meretur, vt est communis opinio Iuristarum, maximè id docet Iulius Clarus *in sua praxi crim. §. iniuria, n.14.* & Author

thor Repertorij Inquisitorum, verb. *Iniuria, §. Si prouocas.* vbi dicit quod prouocatus ad iram, si verbo, vel facto faciat iniuriam prouocanti, non teneri iniuriatum, & citat glossin *l. ob hæc verba ff. de his qui notant. infam.* Idem tenet Nauar. ad cap. *Si quis iratus, de pœnit. dist.* 1. *num.* 4 *§. Tertio quod quamuis.* Tertium considerandum ab his arbitris in ista satisfactione arbitranda, est quod iste Clericus percussus erat ferè persona infamis saltem infamia facti: dicitur enim priuatum fuisse exercitio Ordinum ob culpas: item quod sit malæ famæ & linguæ, & ob id iam fuisse ab aliis percussum: quæ omnia indicant illum habere paruam famam, imo infamia multa notatum esse. Iam vero iniuria illata personæ infami multo leuior est, minorique pœna digna. Ita Commentator Iulij Clari, §. *Iniuria, num.* 47. citans Piguerium Et praxis obseruat, quod grauitas iniuriæ pensanda est ex grauitate personæ offensæ, ita vt cæteris paribus, eadem numero iniuria facta viro grauissimo, grauissima censeatur, quæ tamen eadem facta viro infimo, vel infami, leuissima reputabitur. Quartum denique adhuc considerabunt hi arbitri, quod vna iniuria compensatur per aliam iniuriam, teste Rabello *tom. de obligat. iust.* 1. *part. q.* 18 *lib.* 2. *n.* 8. & Lessio *lib.* 2. *de iust. cap.* 11. *dub.* 25. *num.* 133. & aliis Iam vero iste Clericus percussus prius infamauit Petrum, vt supra dictum est: ergo iniuria illi facta à Petro suo modo seruiet ad compensationem istam faciendam. Hæc inquam omnia præmittenda sunt, & considerandæ ante absolutionem istius percussoris. Simulque illi exhibendum est iuramentum, quo iuret se in posterum obedirurum præcepto iudicis Ecclesiastici in his quæ pro pœnitentia iniunxerit, sed de hoc iuramento vide omnino Henriquez *lib.* 13. *de excomm. c.* 28. *num.* 4. & quod se præsentabit

tabit Sedi Apostolicæ sublato impedimento; quod tamen iuramentum non esse necessarium affirmat Reginaldus *tom. 1. lib. 1. cap. 19. sect. 3.* quando confessor absoluit virtute priuilegij, per quod manet verè absolutus sine obligatione se præsentandi Sedi Apostolicæ.

4 Addo vltimo quod cum iste Petrus sit filiusfamilias in potestate patris existens, si pater ipsius noluerit pro eo satisfactionem dare Clerico læso, poterit absolui sine data, vel oblata satisfactione, imo & sine cautione. Cum enim filiusfamilias nihil ex se habeat vnde possit restituere, est impossibilitatus naturaliter ad restituendum: & nemo tenetur ad impossibile. Cum item pater nolit restituere pro illo, deobligatur pro nunc à restitutione. Non enim tenetur pater ipsius pro delicto filij, seu resarcire damna illata à filio, quando ipse pater ad talia damna non fuit vllo modo cooperatus, vt tenet inter alios Iulius Clarus *in praxi crim. q. 80. num. 3. & 4.* & tenet expressè Lessius *lib. 2. de iust. cap. 9. dub. 17. num. 121.* & est de mente Reginaldi *cit. cap. 19 & sect. 2. num. 252.* dum ait filium percussorem Clerici non teneri adire Romam pro absolutione quærenda si pater dissentiat. Loquitur vero cum suppositione quod non sit qui absoluat per priuilegium. Quamuis vero detur potens absoluere per priuilegium, semper tamen filiusfamilias manet addictus patriæ potestati, vt non possit sine illa aliquo ire, vel aliquid donare. Sub censura, &c.

***

CASVS XXXVIII.

De ingreſſu fœminarum in clauſtra Monaſterij virorum, abſque proceſſione, &c.

PAucis abhinc annis in hac Olyſſipone in aliquibus Monaſteriis virorum cœpit quædam conſuetudo, ſeu potius corruptela obrepere, vt cum in aliquo Monaſterio magnum aliquod feſtum celebratur, cuius reſpectu clauſtrum interius Conuentus ornatur tapetibus, & aliis ſericis, fiat proceſſio manè per clauſtrum: & poſtea Veſpere eodem die ſine proceſſione facta, aperitur clauſtrum, & ingreditur populus promiſcuè, etiam fœminæ, ad videndum ornatum clauſtri, ibique manent, imo & ſedent conuerſantes cum hominibus, & Religioſis per tempus notabile. Idque faciunt aliquando per continuos octo dies in quibus durat octauarium feſti.

Quæſitum fuit, an hoc licitè poſſit fieri: & an Prælati hoc permittentes incurrant aliquas pœnas?

1 Ante reſponſionem præmitto Pium V. anno 1566. publicaſſe motum proprium, quo ſtrictè prohibuit ne fœminæ cuiuſuis ſtatus, & qualitatis forèt, poſſent intrare in Monaſteria Religioſorum, etiam Mendicantium. Quam Bullam Gregor. XIII. anno 1575. confirmauit, & reuocauit omnes licentias à Sede Apoſtolica, quibuſcumque fœminis cõceſſas ad ingredienda Monaſteria Ruligioſorum, quas Bullas ponit Rodriguez in fine ſuæ explicationis ad Cruciatam. Quia tamen prior Bulla Pij V. videbatur rigoroſa, & ferè interdicens fœminis omnem ingreſſum in Monaſteria Religioſo

gioſorum ; teſte Rodriguez *in ſuo Bullario, folio* 978. Idem Pius V. anno 1568. ad inſtantiam Cardinalis Cribelli, viuæ vocis oraculo, & quaſi lege declaratoria, ſuam Bullam præteritam moderatus eſt, ſeu temperauit, concedendo videlicet, vt illa non obſtante poſſent mulieres intrare in clauſtra Monachorum, concurrente aliqua ex ſequentibus occaſionibus, vel conditionibus. Prima eſt ratione Miſſæ, vel diuini officij intus celebrati. Secũda ratione alicuius proceſſionis factæ per clauſtrum. Tertia ratione alicuius defuncti intus ſepeliendi. Quarta, quando pro verbo Dei audiendo datur magnus concurſus populi qui non poſſit per portam Eccleſiæ commodè intrare, & egredi : tunc poterunt mulieres cum viris intrare per ianuam communem Conuentus, & per clauſtrum ire ad Eccleſiam: & finito ſermone poterunt mulieres egredi per clauſtrum ad ianuã Conuentus, dummodò in hoc ingreſſu, & egreſſu vadant via recta ad Eccleſiam, vel ad ianuam Conuentus. Et de iſta conceſſione prædictus Cardinalis fidem fecit ſcripto firmatam, quæ habetur apud Rodrig. *citato loco Bullarij*. Neque mihi conſtat de vlla alia conſtitutione Pontificia ſuper hac materia edita. Quo poſito : ad quæſtionem in principio poſitam

2 Dico mulieres non poſſe licitè admitti ad videndum ornatum clauſtri Veſpere, vel manè, quando nulla fit proceſſio, nec interuenit aliqua ex illis quatuor conditionibus poſitis in ſecunda declaratione Pij V. & proinde Prælati illas ſic admittentes peccant, & pœnas incurrunt poſitas in priori Bulla Pij, & Gregorij. Hanc concluſionem tenet in terminis Rodriguez *tom.* 1. *qq. Reg. q.* 48. *art.* 3. vbi rẽ magis ſtringens in §. *Circa quam*, ait non poſſe Prælatum facere proceſſionem extraordinariam, & inſolitam, vt ratione ipſius mulieres in-

trent ad videndum clauſtrum. Idem tenet ipſe Rodrig. in explicatione illius Motus proprij Pij V. *dub. vnica num.* 20. vbi licet dicat poſſe Prælatum veſpere facere vnam proceſſionem vt mulieres intrent ad videndum clauſtrum; quoad hoc tamen, ſententiam mutauit art. 3. citato quem ſcripſit poſt explicationem Crucіatæ, & dicti Motus Pij V. dicens poſtea in citato artic. talem proceſſionem non poſſe fieri ob rationem ibi adductam pro quo citat Palacios. Idem tenet Sanchez *lib. 6. Decalog. cap. 17. n. 24.* quod ſcilicet mulieres non poſſint intrare prædicto modo ad videndum ornatum clauſtri, & citat ad hoc Rodrig. in explicatione dicti Motus proprij. Non tamen meminit, neque approbat quod dixit ibi Rodrig. poſſe Prælatum facere proceſſionem veſpere, vt illa occaſione poſſint mulieres ingredi ad videndum clauſtrum.

3 Rationibus vero hoc ipſum probatur efficaciter, vt credo. Primo, quia exceptio firmat Regulam, vt tenet Maxima Iuriſtarum : ſed Pius V. in priori Bulla prohibens omnino ingreſſum fœminarum in clauſtra Monachorum, poſtea poſuit in ſua declaratione illas quatuor tantum exceptiones, ſeu conditiones, in quibus liceat intrare: ergo per has quatuor exceptiones firmauit Regulam, & Bullam priorem prohibentem omnem ingreſſum, vbi non detur aliqua ex prædictis exceptionibus, vel conditionibus ad intrandum: ſed in ingreſſu, de quo quæritur, nõ concurrit aliqua de prædictis exceptionibus, vel conditionibus : ergo talis ingreſſus eſt illicitus. Secundo probatur, quia expreſſum in lege facit ceſſare præſumptum vt Iuriſtæ communiter dicunt, maximè Brunorus in ſeis locis communibus verb. *Maſculus num.* 3. & verb. *Lex, num.* 18. vbi ad hoc citat textus, & Doctores; ergo hi quatuor caſus expreſſi

expreſſi à Pio V. in quibus poſſunt intrare mulieres, faciunt ceſſare omnes alios caſus, in quibus quis poſſet præſumere licitum eſſe ingreſſum, qualem quis poſſet præſumere eſſe hunc ad ſolum videndum ornatum clauſtri. Facit optimè ad hoc dictum Nauarri *in conſil. 8. de electione, num. 2.* vbi ait à iure Regulari non eſſe recedendum, niſi quoad ea quæ inueniuntur excepta, pro quo citat vnam gloſſam iuris communiter receptam: ergo ab illa priori Bulla Pij V. & Greg. prohibente ingreſſum fœminarum in Conuentus virorum non eſt recedendum, niſi quoad illos quatuor caſus exceptos ab eodem Pio V. Tertio, quando lex aſſignat aliquam formam, vel conditionem ſeruandam pro aliquo actu faciendo, qui non ſeruat talem formam, vel conditionem, & peccat, & aliquando facit actum nullum, vt videre eſt in non ſeruante formam, & conditiones aſſignatas ab Eccleſia, & ſeruandas in electione, vel alienatione bonorum Eccleſiæ: at mulieres intrantes ad ſolum videndum ornatum clauſtri non ſeruant formam aſſignatam à Pio V. pro tali ingreſſu, cum in illo nulla inueniatur conditio ex quatuor illis aſſignatis ab eodem Pio V. ergo mulieres taliter ingredientes peccant, & proinde peccant Prælati illas admittentes, & conſentientes. Ecce rationibus, Doctoribus, & ex Decreto Pontificio manet ſatis probata noſtra concluſio. Neque ego credo aliquem Sum. Pontificem poſteriorem Pio V. conceſſiſſe aliquam declarationem vt intrent mulieres ad ſolum videndum ornatũ clauſtri, cum talis actus ſit vanus, vt plurimum, curioſus, & occaſionatus ad pericula, & ſcandala, maximè cum mulieres in hoc ingreſſu (vt fertur) ſedeant aliquando in clauſtro conuerſantes, & longam moram trahentes. Quod quam ſuſpectum ſit poteſt pro

bari à simili. Nam Leo X. in cõpendio Mendicantium, ver *Ingressus in Monasteria Monialiũ*, §. 34. concedens Minoritis confessoribus Monialium vt ingrediantur Monasteria Monialium pro Sacramentis eisdem ministrandis quando ægrotant, addit Papa vt intrent, dummodo Sacerdos intra non moretur nisi tanto tempore, quanto indiget ad celebrandũ, &c. & Pius V. in 4. casu supradicto concedens vt mulieres pro causa prædicationis intrent per clausttum modo ibi assignato, addit quod vadant recta via, & recto tramite, quæ verba moram, & detentionem in clausttro non admittunt. Quomodo ergo credendum est aliquem Sum. Pontificem postea concessisse vt mulieres intrent in clausttra Religiosorum vt solum videant ornatum clausttri, & ibi sedeant, vel ad libitum morentur?

4 Neque vero dici potest legem illam declaratiuam Pij V. pro modo illo intrandi, esse abrogatam per contrarium vsum. Nam iste vsus, vel abusus sic intrandi, nouissimus est, & ante annos octo, vel decem tantum, sicut audio: Lex autem Ecclesiastica postquam iam est radicata, & recepta per multos annos non potest abrogari nisi per 40. annos, vt Doctores communiter docent, maximè Suarez *tom. de legib. lib. 7. cap. 18. num. 12.* Lex autem Pij V. assignans modum intrandi lata est anno 1568. & sic iam decurrerunt anni ferè sexaginta. Et saltem in prioribus quadraginta annis fuit receptissima, & practicata quoad illum modum intrandi pro illis tãtum quatuor occasionibus: ac proinde consuetudo ista contraria intrandi eo modo, de quo quæritur per decem tantum annos non potuit abrogare prædictam legem. Nam licet lex in principio suæ publicationis, quamdiu non est radicata, possit abrogari per contrarium vsum intra annos decem: tamen post-

quam

quam lex est recepta, & practicata per annos 40. non potest abrogari, nisi per alios annos 40. Addo vltimo quod vt consuetudo abroget legem, debet esse consuetudo rationabilis, vt est communis Doctorum opinio, & habetur expressè in cap. *finali, de consuetudine*; sed ista consuetudo sic ingrediendi Monasteria Religiosorum ad solum videndum ornatum claustri, non potest esse rationabilis: fundatur enim vt plurimum in curiositate videndi: & præterea dantur in illa occasiones periculorum, & scandalorum. Ergo nunquam poterit abrogare legem Pontificiam. Et potest fortè applicari ad hoc intentum exemplum Dinæ filiæ Iacob, quæ sic periclitata est propter curiositatem videndi homines Regionis illius. *Genes.* 34. & scimus ex *Psalm.* 73. Quanta malignatus sit inimicus in sancto? id est, in loco sancto, vt exponit ibidem Lorinus. Sub censura Ecclesiæ Romanæ, & Doctorum.

CASVS XXXIX.

An possint Religiosi ministrare sacrosanctam Eucharistiam extra suos Conuentus.

QVædam Domina nobilis cum filia sua habet licentiam Nuntij, vel Ordinarij, vt possit facere Missam celebrare in priuato Oratorio intra domum suam, sed Ordinarius decreuit, vt si illa vellet Sacramentum Eucharistiæ in tali Oratorio recipere, id solum reciperet de manu parochi proprij, non vero de manu alicuius alterius etiam Religiosi ibidem celebrantis, idque quouis tempore per annum. Quæritur

an si ibi aliquis Religiosus celebret, iuxta licétiam fœminæ cócessam pro Missa ibi celebranda, possit eidem dominæ ministrare Sacramentum Eucharistiæ, non obstante illa prohibitione Ordinarij? Et videtur quod non possit, Nam Episcopus potest prohibere Religiosos ne celebrent in Oratoriis priuatis sæcularium prout illis concessit Concilium Tridentinum sessione 22. in Decreto de obseruandis in celebratione Missæ. Ergo Episcopus potest impedire ne iidem Regulares ministrent sacram Eucharistiam eisdem sæcularibus in eisdem Oratoriis. Valet consequentia, quia qui potest destruere id quod principale est, potest destruere id quod minus principale, & annexum est, iuxta legem 1. & 2. *ff. de pecul. leg.* vbi dicitur quod perempto principali, perimitur accessorium. At ministrare Eucharistiam est accessorium celebrationi Missæ, & Missa est quid principale: ergo si Episcopus potest prohibere ne Regulares celebrent Missam in Oratorio, quod est principale, potest eosdem inhibere ne ibidem ministrent Eucharistiam quod est accessorium. Et confirmatur ex illa maxima Iuristarum deducta ex cap. *Per venerabilem*, qui filij sint legitimi, quæ ait: Qui potest quod est plus, potest vtique quod est minus, & videtur quod maius quid est impedire celebrationem Missæ (quod potest Episcopus vt vidimus) quam impedire ministrationem Eucharistiæ. Secundo principaliter probatur quod id possint prohibere Episcopi non obstantibus priuilegiis Regularium, quia vnum ex priuilegiis quo muniuntur Religiosi ad dandam sacram Eucharistiam sæcularibus, est illud concessum à Paulo III. Patribus Societatis Iesu, quod incipit, *Cum inter cunctas.* In quo tamen Papa addit, vt id fiat, *Sine alicuius præiudicio.* Iam verò clarum præiudicium videtur fieri parocho, vt in

sua

sua propria Ecclesia, quale est Oratorium existens in propria sua parochia, aliquis Religiosus ministret Eucharistiam suo parochiano ipso parocho inscio, & inuito. Iniuria enim videtur fieri Domino domus alicuius, si illo inuito in eadem domo fiat aliquis actus notabilis. Tertio probatur ex Clementina Religiosi de priuilegiis, vbi Papa expressè prohibet, ne aliquis Religiosus ministret Eucharistiã alicui sæculari sine speciali parochi licentia: & addit Papa: *Nullo Religiosis eisdem super hoc exẽptionis, vel alio priuilegio suffragãte:* quo nihil clarius dici potuit, & declaratur exemplo: si enim Religiosus aliquis vadat ad aliquam Ecclesiam parochialem, & ibi velit Eucharistiam ministrare alicui parochiano, inscio & inuito parocho illius parochiæ, vtique malè faciet, quia iniuriam parocho facit. Quod idem dicendum videtur, si velit Religiosus eandem ministrare in Oratorio existente in parochia parochi, est enim Ecclesia illius parochi. Quarto, si Religiosi possent ministrare Eucharistiã extra suos Conuentus in domibus priuatis, possent etiam eandem Eucharistiam ex suo Conuentu cum processione, & pompa deferre ad priuatam domum pro communione sæcularis, quod est inauditum, & scandalum causaret.

1 His non obstantibus, dico posse quemuis Religiosum celebrantem in prædicto Oratorio ministrare Eucharistiam matri illi, ac filiæ dummodò non sit in articulo mortis, & in die Paschæ pro obligatione præcepti quadragesimalis communionis: & quod sic ministrando Eucharistiam, nec peccabit, nec pœnam vllam incurret, etiamsi faciat inscio, & inuito paroche. Hæc conclusio est Rodrig. & Suarez, quos antequam citem duo prius suppono. Primum est, Religiosos Mendicantes, & cum eis communicantes habere priuilegium

vt possint dare sacram Eucharistiam sæcularibus extra suos Conuentus, excepto die paschatis. Præcipuum priuilegium ad hoc inseruiens est Pauli I V. anno 1557. apud Bullarium Rodrig. *fol.* 851. in quo Papa facit mentionem in proœmio, quomodo Vicarius Generalis Fratrum Minorum apud Sedem Apostolicam conquestus fuit de aliquibus Parochis Italiæ, eo quod asserrent prædictos Fratres non posse ministrare Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchatistiæ sæcularibus, nisi intra Ecclesias suorum Conuentuum, non vero extra suos Conuentus. Qua querela proposita, & audita, Papa in hunc modum concedit Minoritis: *Quod de cætero per totum orbem omniũ vtriusque sexus fidelium pro tempore dicti Ordinis Fratres à suis superioribus deputati cõfessores, confessiones etiam infirmorum vbilibet, etiã extra domos & habitacula eorundem Fratrum audire, eosque absoluere, ac omni tempore, præterquam in die Resurrectionis Dominicæ Sacramentum Eucharistiæ tam illis, quam quibusuis personis ministrare possint, Apostolica authoritate concedimus*, &c. Quo nihil clarius potuit desiderari ad intentum. Et hoc priuilegium tam clarum non viderat Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regular. q.* 56. *art. c.* 3. vbi hanc materiam disputauerat ante suum Bullarium. Neque Villalobos quos statim citabo, hoc priuilegium viderunt. Alia priuilegia (licet non tam clara) per quæ Regulares possunt ministrare Eucharistiam sacrosanctam sæcularibus etiã extra suas Ecclesias sunt Nicolai V. Sixti I V. & Leonis X. quæ citat Rodriguez *cit. art.* 3. Suarez *tom.* 4. *de Religione lib.* 9. *c.* 3. §. *Circa alteram*, in fine istius §. dicens illos tres Pontifices concessisse Religiosis, vt possint dare Eucharistiam Catholicis sæcularibus: *Sine limitatione ad proprias Ecclesias, vel aliquod templum.* Aliam concessionem ad idem citat

Villa

Villalobos *tom.1. tract.9.difficultate 54.§.vltimo*, dicens Pium V. concessisse quod Religiosi possent audire confessiones, & sacram Eucharistiam ministrare etiam extra suos Conuentus: non tamen citat librum vbi concessio ista scripta sit. Hinc manet clarum habere Religiosos priuilegium ministrandi Eucharistiam sæcularibus etiam extra suos Conuentus: semper excipio diem Paschatis, & articulum mortis.

2 Secundo suppono, quod celebrare Missam extra Conuentus in Oratoriis quoad Religiosos, esse actum nimis distinctum ab actu dandi Eucharistiam extra Conuentus, vnus enim actus non dependet ab alio, quia Missa potest celebrari sine eo quod ministretur Eucharistia: & è contra potest ministrari Eucharistia sine eo quod celebretur Missa, vt patet quotidie in Cõuentibus, vbi sæpè datur Eucharistia populo sine Missa: sed dantur particulæ consecratæ repositæ in sacrario. Cumque sint hi duo actus distincti, Summi Pontifices duo priuilegia distincta cõcesserunt Religiosis, vnum vt possint celebrare extra conuentum (de quo alibi.) Aliud vero priuilegium distinctum est, vt possint dare Eucharistiam sæcularibus extra Conuentum, sicut paulo supra vidimus. Ac proinde cum sint distincta priuilegia celebrare Missam extra Conuentum in Oratoriis, & ministrare Eucharistiam sæcularibus extra Conuentus, vnum priuilegium non pendet ex alio, & ex consequenti reuocato vno non censebitur reuocatum alterum, nisi id exprimatur. Tertio adhuc suppono Episcopum non posse reuocare priuilegium datum alicui à Summo Pontifice, cum inferior non possit abrogare legem superioris, nisi fortè Papa expresè committat Episcopo vt reuocet priuilegia Religiosorum, sicut commisit Concil. Trident. supra citato

loco

loco Episcopis, vt possent præcipere Religiosis ne celebrarent in Oratoriis priuatis sæcularium, nihil tamen ibi dixit de ministranda Eucharistia sæcularibus extra Conuentum, quod est priuilegium distinctum.

3 His suppositis, conclusio supra posita, quod scilicet possint Religiosi celebrãtes in Oratoriis dare Eucharistiam prædictæ fœminæ, de quæ quæritur, & filiæ eius, non obstante prohibitione Episcopi iam manet probata ex dictis: habent enim ad id clarum priuilegium, vt vidimus, quod priuilegium distinctum est à priuilegio celebrandi in Oratoriis. Et Episcopus non potest hoc priuilegium abrogare, nisi id illi expressè à Papa committatur, quod non commisit Tridentinum citato loco, vt diximus: ergo possunt id facere Religiosi per dicta priuilegia, maximè cum id fiat in secreto sine scandalo. Hoc ipsum tenet nouissimè Suarez *tom.4.de Relig.lib.9.c.3.§. Dices: ergo licebit.* vbi in fine ait, quod Religiosus habens licentiam ordinarij, pro Missa celebranda in aliquo Oratorio particulari, non erit necessaria specialis licentia ad dandam Eucharistiam, sed ex vi priuilegij licebit. Sic ille. Sed in nostro casu Religiosus celebrat in hoc Oratorio de licentia Papæ, vel Episcopi, vt suppono: ergo ex vi sui priuilegij poterit ibidem ministrare Eucharistiam. Et licet Suarez cit.cap.*§. tertio circa.* dicat posse Episcopum ex ista causa præcipere suo parochiano ne sacram Eucharistiam recipiat in tali Oratorio in pœnam alicuius delicti, vel ob aliam causam iustam; hoc non facit contra nos, quia in hoc casu supponimus nullam dari culpam in hac matre & filia, ob quam priuentur sacra communione, neque aliam causam iustam. Imo addit Suarez cit.loco hæc verba. *Si Episcopus prohibeat subdito non quidem Communionem simpliciter, sed ne illam à nostris*

nostris Sacerdotibus (Societatis scilicet Iesu) *recipiat, talem prohibitionem non obstare huic facultati, quia illa supposita præceptum est iniustum, & directè pugnans cum priuilegio Pontificis.* Quo nihil clarius dici potuit. Hoc ipsum tenet Rodrig. cit. art. 3. §. *circa quas.* vbi in fine sic ait. *Per facultatem tamen Leonis X extra communionem Paschalem, id sibi indirectè per viam communicationis generaliter conceditur in omnibus communionibus voluntarijs, vt scilicet in quacumque Ecclesia possint fideles communicare.* Id est, illis Eucharistiam dare. Idem tenet Villalobos loco supra citato. Idem tenet Frater Ioannes à Cruce, in sua Epitome de statu Religionis *lib.* 2. *cap.* 5. §. *Tertia conclusio.*

4 Probatur adhuc conclusio rationibus. Prima iam fuit supra tacta: nam Religiosi habent clarum priuilegium ad dãdam Eucharistiam sæcularibus extra Conuentus suos, & Episcopus non potest illud abrogare, vt diximus. Nec constat vllum Papam post illos supra citatos, hæc nostra priuilegia reuocasse: sin minus reuocationem ostẽdant noui Pontificis. Reuocatio enim priuilegij debet intimari priuilegiato, teste Suarez *tom. de legibus, lib* 8. *cap.* 40. *num.* 6. & Doctores communiter: ergo nihil impedit quominus Religiosi hoc suo priuilegio vtantur. Secundo, ista prohibitio Episcopi, ne Religiosi dent sacram Eucharistiam in hoc Oratorio, in rigore est reuocatio dicti priuilegij concessi Religiosis, vt patet: Episcopus autem non potest reuocare priuilegia Papæ neque id illi commisit Tridenr. cit. loco circa ministrationem Eucharistiæ extra Conuentum faciendam à Religiosis: licet commiserit Episcopo, vt possit illis prohibere, ne celebrent in Oratoriis, quod est nimis distinctum à ministratione Eucharistiæ, vt supra dictum est. Tertio probatur, quia illud

lud priuilegium Pauli VI. non est antiquatum per non vsum, quia vt Religio amittat priuilegium per non vsum, requiritur spatium centum annorum cum aliis conditionibus, quæ hic non interuenerunt, de quo Rodrig. *tom. 1. qq. Regul. q. 61. art. 3.* Bulla autem Pauli IV. data est anno 1557. & nondum fluxerunt anni centum. Et præterea non constat quod vlli Religiosi vsi sint hoc priuilegio, fortè enim illud practicant quotidie. Quarto probatur, quia ministrare Eucharistiam hoc modo in Oratorio priuato nullum damnum, vel iniuriam infert parocho: hæc enim communio est voluntaria, & non fit in articulo mortis, vel in die Paschatis, in quibus solum tenetur parochianus illam recipere de manu parochi. Sicut enim extra articulum mortis, & diem Paschatis potest parochianus vnius parochiæ sacram Eucharistiam recipere in aliena parochia inscio, & inuito proprio parocho, quia tunc communicat voluntariè: ita etiam extra illos duos dies poterit recipere Eucharistiam in suo Oratorio de manu Religiosi ibidem potentis celebrare. Et dato quod in hoc aliquod præiudicium fieret parocho, adhuc posset Religiosus Eucharistiã ibi ministrare. Nam licet Papa non concedat priuilegium cum præiudicio tertij, si tamen Papa sciat, & videat inde oriri præiudicium tertij, & nihilominus priuilegium concedat, tenet priuilegium, quia Papa id potest facere: vt clarè patet in priuilegio quod aliqui Pontifices concesserunt aliquibus Monasteriis, vt non soluerent decimas, quod tamen clarè videbant Pontifices redundare in præiudicium Episcoporum, quibus debentur decimæ: & nihilominus tale priuilegium validum est. Eodem modo scire debuit Paulus IV. & alij Pontifices ex ministratione Eucharistiæ per Religiosos extra suos Conuentus

tus aliquod præiudicium posse erga parochos resultare,& nihilominus ad id priuilegium concesserunt, ergo priuilegium valet : est enim illud præiudicium valde paruum, vel ferè nullum.

5 Ad primum argumentum in oppositum patet solutio ex dictis:nam Concilium Tridentinum citato loco non dedit potestatem Episcopo abrogandi hoc priuilegium quod habent Religiosi ministrandi Eucharistiam extra Conuentus,licet illi concesserit vt posset abrogare priuilegium illorum celebrandi Missam in Oratorio priuato, quod est diuersum ab isto, de quo agimus, & destructo illo priori,non destruitur hoc secundum,cum sit vnũ independens ab alio. Ad id quod primo adducitur in argumento, videlicet, quod qui potest in maius,potest in minus : si intelligitur absolutè,est falsam.Nam Sacerdos absoluens pœnitentem in Sacramẽto Pœnitentiæ, dat remissionem peccatorum, & gratiam, vt minister, & tamen non potest illi dare vnum diem indulgentiæ per modum indulgentiæ extra Sacramentum, quod est minus. Intelligitur ergo quod potens maius,potest & minus, quando illud minus est contentum sub maiori, illique subordinatum, & pendens à maiori. At dare Eucharistiã,de se non est subordinatum,vel depẽdens à Missa, vt supra vidimus. Et adhuc probatur alio exemplo:nam in cap. 1. *de Torneamentis*, conceditur quod possit absolui ab excommunicatione ille qui moritur in torneamẽto illicito si ante mortem petierit : non vero illi conceditur sepultura Ecclesiastica, quod est minus quam absolutio ab excõmunicatione, & sic cõceditur illi quod est maius, non vero conceditur illud quod est minus, vt ibidem notat glossa.Ad aliud quod adducitur in eodem primo argumento, quod accessorium sequitur naturam principalis,

cipalis,& quod hoc destructo, destruitur accessorium: potest primo negari quod dare Eucharistiam sæculari, ex se sit accessorium Missæ:licet enim Eucharistia conficiatur in Missa,& in fieri pendeat à Missa, non tamen pendet ab illa in conseruari,neque quoad ministrationem, seu exhibitionem communionis , vt supra dixi. Et dari potest aliud exemplum:nam pater in humanis producit filium , & filius pendet à patre in fieri , non tamen filius dicitur accessoriũ patris. Secundo respondetur, illud quod dicitur accessorium perire peremptο principali, intelligi quando accessorium est tale , quod non possit consistere sine suo principali. Sic exponit Nauar. in consiliis *consil.35.de voto,& voti redempt.* & tunc dispositum in principali censetur dispositum in accessorio.Secus (ait Nauar.) quando accessorium potest consistere sine suo principali. At supra vidimus ministrationem Eucharistiæ posse existere sine Missa: ergo licet ministratio Eucharistiæ esset accessorium Missæ, dispositum in hac,non censeretur dispositum in ministratione Euchatistiæ.

6 Ad secundum argumentum dico,quod primo, Eucharistiam ministrare sæculari in Oratorio non causat præiudicium parocho,vt supra diximus: & dato quod aliquod paruum præiudicium causaret , Papa videns, & sciens potuit illud priuilegium concedere , sicut diximus in exemplo de decimis. Ad tertium respondet Suarez *citato cap.* 3. §.*obiici vero*, quod Papa Clemens V. non potuit reuocare concessiones Pontificum successorum, quia Papa antecessor non ligat manus posterioris,& Paulus IV.fuit posterior Clemente V. & concessit contrarium. Ad quartum respondet idem Suar. *cit. cap.* §. *Dices ergo*, negando sequelam , licet enim Papa concedat Religiosis vt possint ministrare Eucharistiam

tiſtiam ſæcularibus extra ſuum Conuentum, non concedit proinde vt illam poſſint cum pompa, & proceſſione ex Conuentu per plateas deferre ad infirmos, quia hoc eſſet contra conſuetudinem, & ſatis conſtat talem modum illam deferendi pertinere ſolum ad parochos, & hic modus deferendi propriè intelligitur in illis verbis Papæ: *Sine alicuius præiudicio.* Et talis modus illam deferendi per plateas ad infirmos, non eſt in vſu apud Regulares. Leges autem attendunt ad id quod regulariter fit & frequenter accidit. Et ſic potuit Papa concedere Religioſis vt extra Conuentus poſſent miniſtrare Euchariſtiam, quia hoc ſcandalum non generat: non tamen debuit concedere vt illam per plateas cum pompa ad infirmos deferrent, quia hoc in vſu eſt, & proprium officium parochorum eſt. Sub cenſura, &c.

CASVS XL.

De quodam Clerico ordinato cum tribus Ordinibus ſacris ſine interſtitijs, & extra tempora.

QVidam habés ſolos Ordines minores ex quodam Epiſcopatu Inſularum, obtinuit licentiam à Capitulo ibi Sede vacante poſt annũ, vt Olyſſiponem veniens ibidem omnes tres Ordines ſacros maiores reciperet non diſtinguente Capitulo, neque diſpenſante, neque petente diſpenſationẽ circa interſtitia, vel circa tempora. Olyſſiponem veniens erat etiam tunc Capitulum Sede vacante: ſed quidam ibi Epiſcopus titularis eidem dixit ſe habere priuilegiũ ordinando extra tempora. Quo audito recepit ab eodem Epiſcopo omnes

tres Ordines sacros intra paucos dies sine interstitiis, & extra tempora: & quando illos suscepit, habuit bonam fidem, & credens se id posse licitè facere. Post Ordines susceptos orto aliquo scrupulo, fecit sé absolui per Bullam Cruciatæ ab omni censura, & peccato si fortè antea incurrerit. Postea ad Insulam rediens exercuit bona fide susceptos Ordines. Quo audito Gubernator Episcopatus Insulani, per sententiam declarauit illum irregularem eo quod Ordines susceptisset extra tempora, & sine interstitiis, & in eisdem ministrasset. Olyssiponem rediit vbi iam tunc erat destinatus, & consecratus Episcopus pro eodem Episcopatu Insulano.

Quæsitum fuit primo quas pœnas prædictus incurrerit?

Secundo, an suus Episcopus possit cum illo dispensare, etiam Olyssipone existens extra suam diœcesem.

Responsum.

1 PRima conclusio. Iste Clericus non incurrit suspensionem, neque irregularitatem ex eo quod Ordines sacros receperit non seruatis interstitiis sine dispensatione Probo, quia Concilium Tridentinum *sess.23.cap.13. & 14.* iubens seruari interstitia, nullam pœnam suspensionis, vel irregularitatis imponit contrafacienti, vt videre est in textu vtriusque capitis. Quando vero lex non imponit has pœnas, neque nos debemus imponere, vt docent communiter Doctores. Hoc ipsum expressè tenet Zerola *2.p.praxis Episc.* verb. *Ordo*, §. *Octauo, an qui*, vbi ait quod licet Sixtus V. pœnam suspensionis imposuerit ordinatis non seruantibus

uantibus interstitia, postea tamen Gregorium XV. temperando Bullam Sixti, suspensionis pœnam abstulisse. Idem tenet Suarez *tom. de censur. disput. 31 sect. 1. num. 43.* dicens eandem suspensionem sublatam esse. Idem tenet Reginald. *tom. 2. lib. 32 tract. 2. n. 71. §. Reducitur*, & Riccio 3. *part. Decisionum, decis. 576.* citans Sayrum. Et sic ob interstitia non seruata, videtur sine causa fuisse hunc Clericum per sententiam declaratum irregularem.

2 Antequam ego proponam secundam conclusionem, noto, & facio magnam vim in eo quod dicitur in ipsa informatione, videlicet hunc Clericum, quando suscepit Ordines omnes sacros modo prædicto, & quando in illis ministrauit, habuisse bonam fidem. Et probari etiam potest quod habuerit bonam fidem, quia scilicet Episcopus titularis in illa materia versatus & bonus Theologus, eidem Clerico dixit, se habere priuilegium ad prædictos Ordines sic conferendos. Et saltem habuit Clericus ignorantiam inuincibilem, quæ ferè est idem, ac bona fides. Ignorantiam enim inuincibilem dicitur habere is qui interrogat Doctorem grauem: nihilominus ille Doctor errauit in consulendo: tunc enim sequens consilium Doctoris, etiam erratum, habet ignorantiam inuincibilem, quia interrogans illam vincere non potuit, & proinde habuit bonam fidem credendo Episcopo, & Theologo. Et adhuc noto, quod licet licentia data huic Clerico à Capitulo Sede vacante, exprimeret, quod posset recipere tres Ordines sacros maiores, seruatis tamen interstitiis, & in temporibus Ecclesiæ, adhuc tamen hic Clericus poterat habere bonam fidem, & recipere omnes Ordines absque interstitiis credendo Episcopo titulari, & docto, dicenti se habere priuilegium ad Or-

dines conferendos extra tempora, & sine interstitiis. Eo scilicet modo, quo si subditus habens casum reseruatum à quo suus Episcopus non vult, vel non potest illum absoluere: potest talis subditus adire Nuncium, vel alium habentem potestatem delegatam, & ab illo beneficium absolutionis recipere. Hoc posito sit.

3 Secunda conclusio. Hic Clericus quando primo recepit ordinem Subdiaconi extra tempora, nō incurrit irregularitatem, nec suspensionem, siquidem illum suscepit bona fide. Hoc sic deduco: quia quando ordinatus est Subdiaconus non erat suspensus ob non seruata interstitia, quia hæc non tunc obligabant. Deinde quando suscepit ordinem Diaconi, & Sacerdotis non incurrit suspensionem ob non seruata interstitia, vt patet ex prima conclusione. Deinde cum in susceptione horum trium Ordinum maiorum non esset suspensus, iuxta iam dicta, non incurrit irregularitatem in illis omnibus suscipiendis ratione vi latæ censuræ suspensionis quam quam non habebat. Secundo probatur non incurrisse irregularitatem in ordinibus recipiendis, quia scilicet omnes illos suscepit bona fide & cum eadem in illis ministrauit. Censuræ vero, & irregularitates quæ ponuntur ob delictum non incurruntur, quando adest bona fides, vt est communis Doctorum opinio, de qua fusè, & doctè Sanch. *lib. 9. de matrim. disput. 32. à n. 15.* citans multos. At iste Clericus suscipiens hos Ordines sacros habuit bonam fidem; ergo nullam incurrit irregularitatem. Et confirmatur, quia vbi non est culpa, non datur pœna: pœna enim & culpa sunt correlatiua: at hic Clericus suscipiens hos Ordines non habuit culpam cum haberet bonam fidem: ergo non incurrit pœnas suspensionis,

vel

vel irregularitatis. Est huius opinionis expresse Suar. *tom. de censuris disp.* 31. vbi loquens de suspensione posita contra ordinatum extra tempora, ait illam non incurrere eum, qui credit se habere legitimam facultatem, vel Episcopum illam habere, vel ex alia simili ignorantia inculpabili, quo nihil clarius dici potuit ad intentum. Hic autem Clericus credidit Episcopum habere facultatem, vt se ordinaret extra tempora, & sine interstitiis. Eandem opinionem tenet Comitolus *lib. 6. suarum responsionum, q. 7. num.* 1. dicens ordinatum extra tempora tunc solum incurrere suspensionem, si fecerit cum præsumptione, secus si faciat cum aliqua ignorantia. Idem probatur ex eo quod communiter dicunt Doctores ferè in simili materia, videlicet, quod si ego antequam susciperem Ordinem Subdiaconatus, feci diligentiam moralem, quam potui ad sciendum si haberem ætatem requisitam, & nihilominus à parte rei illam non habebam, suscipiens talem Ordinem non incurri irregularitatem, nec suspensionem propter bonam fidem. Sic tenet Nauar. *in Sum. Lat. c. 27. num. 155.* & Suar. *cit. disp. 31. num. 26.* Reginaldus *cit. tract. num. 7. §. Monet super.* Quod currit eodem modo in eo qui recipit Ordines sacros extra tempora bona fide. Hic vero Clericus omnes suscepit cum bona fide, vt supponimus; & hoc amplius confirmabitur ex dicendis in sequenti conclusione.

4 Tertia conclusio. Iste Clericus non incurrit irregularitatem postea celebrans Missam (idem dic de exercitio aliorum Ordinum sacrorum) si celebrauit bona fide. Probo hoc ex tribus fundamentis. Primum est ex Bulla Pij II. quæ pro hac materia frequentius citatur, quæ incipit, *Cum ex sacrorum.* in qua ponitur pœna irregularitatis ordinato extra tempora, & in illa ponun-

tur hæc verba: *Si in illis ministrare præsũpserit.* Quando verò lex Pontificia pœnalis ponit hoc verbum, *Præsumpserit*, contrafaciens cum bona fide, vel cum aliqua ignorantia non incurrit illam pœnam, vt tenet communis opinio Doctorum: de quo Henriq. *tom. 2. lib. 13. cap. 23. num. 3.* citans multos in glossa *litera C.* & tradunt multi alij. At iste Clericus celebrauit bona fide, vt suppono: ergo non incurrit irregularitatem. Secunda ratio est. Si aliquis Sacerdos à parte rei est excommunicatus, idque ipse ignorat, vel obliuiscitur, & bona fide celebrat, non incurrit irregularitatem posita contra excommunicatum celebrantem, idque ob bonam fidem, vt tradunt communiter Doctores, maximè Syluester ver. *Irregularitas*, §. 18. vers. *Quintum.* & Nauar *in Sum. Lat. c. 27. n. 244.* Henriquez *lib. 14. de irregul. c. 7. num. 1.* citans alios in glossa *litera I.* ergo à simili iste Clericus, dato quod esset suspensus (quod non erat, neque excommunicatus) cum celebrauerit bona fide, non incurrit irregularitatem. Addo quod dicitur de hoc Clerico, quod post susceptos ordines fecit se absolui per Bullam Cruciatæ à quodam Patre Societatis Iesu, qui tum per Cruciatam, tum per sua priuilegia poterat illũ absoluere ab omni censura reseruata Sedi Apostolicæ, quæ non esset Bullæ Cœnæ: & hanc absolutionem suscepit antequam Missam celebraret. Tertia ratio, seu fundamentum est, id quod tradit Nauarrus *in Sum. Lat. c. 27. num. 155.* vbi docet, quod ille qui temeratiè ordinatus est, postea tamen bona fide, & candida simplicitate per pœnitentiam purgato peccato, exercuit ordinem existimans id sibi esse licitum, non fit irregularis per Bullam citatam Pij II. Nauarrum sequitur Reginald. *lib. 3. cap. 6. num. 61.* quod dictum Nauar. continet plus quam petit noster casus: nam ibi loqui-

tur

tur de illo, qui ordinatus est temerarie, & postea cum sola confessione peccati, & sine dispensatione irregularitatis celebrauit. Nos autem loquimur de Clerico ordinato non temerè, sed bona fide, & qui celebrauit bona fide. Denique fuuet quod dictum mihi fuit, hunc Clericum, antequam Missam celebrasset, petiisse licentiam à Capitulo Sede vacante pro Missa celebranda: quod satis probat illum habuisse bonam fidem in celebrando: debuit enim in petitione præsentata Capitulo exponere quomodo Ordines extra tempora, & sine interstitiis susceperit: quo non obstante Capitulum dedit licentiam celebrandi: in quo significauit se velle dispensare cum illo in omni impedimento quod haberet ad celebrãdum. Poterat autem Capitulum Sede vacante dispensare cum illo in omni irregularitate orta ex delicto, non deducta ad forum contentiosum, sicut potest Episcopus per Tridentinum *sess. 24. cap. 6.* sicut dicunt Suarez, Reginald. Rodrig. Sanch. & Sayro citati à Barbosa in suis remissionibus ad Trident. ad citatum cap. 6. Tridentini: qui omnes dicunt, quod Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in omnibus quæ sunt iurisdictionis. Quod autem dare licentiam ad celebrandum, si dans licentiam sciat dari impedimentum celebrandi, & nihilominus dat licentiam, per hanc licentiam dispenset in impedimento, est etiam communis Doctorum opinio, quem citat Suarez *tom. de censur. disput. 41. sect. 3. num. 5.* posse fieri dispensationem non solum verbis, sed etiam aliquo facto.

6 Vltima conclusio. Dato quod iste Clericus incurrerit aliquam suspensionem, vel irregularitatem, (cuius oppositum manet probatum) illius Episcopus poterit illum absoluere, & cum illo dispensare, etiam dum existit extra suam diœcesim. Prior pars, quod pos-

sit hoc Episcopus, patet ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 6.* vbi conceditur Episcopo quod possit absoluere ab omni censura, & dispensare in omni irregularitate orta ex delicto, quæ non sit deducta ad forum contentiosum. Neque obstat quod ista irregularitas (si extitit) iam deducta fuit ad forum contentiosum, quia Gubernator Episcopatus, vt dicitur, illum per sententiam declarauit irregularem. Non obstat, quia illud forum contentiosum iam finitum est: quia iuxta bonos Doctores locum illum Tridentini explicantes, postquam finitum est iudicium fori externi ad quod irregularitas deducta est, potest Episcopus dispensare in illa. Sic in terminis tenet Reginaldus *tom. 2. lib. 30. c. 3. sect. 4. num. 29. §. Sextum est.* vbi sic ait. Si delictum fuit deductum ad forum contentiosum, sed iudicium iam est finitum, probabile est posse Episcopum dispensare in irregularitate ex illo secuta. Idem tenet absolutè Sanchez *lib. 2. Decalogi, cap. 11. num. 21.* citans multos: & maximè locum habebit, si Clericus iste sit pauper non valens Romam adire, & aliàs infamiam patiatur eo quod Missam non celebret. Secunda pars conclusionis, quod scilicet id possit Episcopus facere existens extra suam diœcesim, probatur quia iuxta Doctores communiter, Episcopus existens extra suam diœcesim erga suos subditos exercere potest omnia illa quæ sunt iurisdictionis voluntariæ, teste Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 19.* cum ibi citatis *num. 8. eiusdem libri num. 5. §. Secundo infertur.* At absoluere, & dispensare in Episcopo, est actus iurisdictionis voluntariæ, non contentiosæ: ergo id facere poterit extra suam diœcesim. Sub censura Ecclesiæ, &c.

CASVS

CASVS XLI.

De alio Clerico qui recepit omnes Ordines sacros omissis Ordinibus minoribus.

QVidam Clericus paruipendens Ordines minores, illisque omissis, recepit omnes tres Ordines sacros. Vixit in hoc statu annis duodecim, vel quindecim ministrans in tribus Ordinibus sacris pro occasionibus occurrentibus. Quæsiuit à quodam Religioso prædicatore ordinario an teneretur recipere Ordines minores, quibus carebat. Prædicator euoluens aliquos libros, eidem respondit non teneri ad illos recipiendos, quia illos nunc recipiens incurreret infamiam, & periculum, quod Episcopus illum puniret, qui necessario casum scire debebat, cum ordines minores recipere non posset sine Episcopi licentia. Acquieuit Clericus, & mansit in pristino statu ministrans in tribus Ordinibus sacris receptis, non recipiens minores. Prædicator qui dederat consilium volens scire an rectè consuluerit, mihi casum proposuit, & cum illo casu possunt quæri sequentes quæstiones.

Prima est, an iste Clericus verè receperit characteres trium Ordinum sacrorum, absque minoribus? Videtur enim, quod Ordines minores sunt porta ad alios Ordines sacros, sicut baptismus est porta ad cætera sacramenta: & proinde sicut carens baptismo nullum verum Sacramentum recipit: ita carens Ordinibus minoribus nullum Ordinem sacrum validè recipiet.

Secunda quæstio: an iste teneatur sub peccato mortali recipere Ordines minores quibus caret?

Tertia. Si existente periculo infamiæ grauis, vel metu magni supplicij, possit ordines minores omittere, & in tribus sacris ministrare?

Quarta, an sic celebrans absque minoribus ordinibus incurrat aliquam censuram Ecclesiæ, vel irregularitatem?

Ad primam.

1 AD primam quæstionem non defuerunt qui dicerent hunc talem non recepisse veros characteres Ordinum sacrorum, nec proinde esse verum Sacerdotem, Diaconum, &c. Doctores qui hoc dixerunt citat gloss. super cap. *vnicum, de Clerico per saltum promoto.* verbo, *De misericordia.* Quo non obstante, certissimè tenendum est prædictum Clericum verè recepisse characteres trium sacrorum, & proinde esse verum Sacerdotem, &c. Sic tenet cit. glossa ad citatum cap. & Ostiens. ad idem Capitulum, & alij Doctor. communiter. Idem tenet Suarez *tom. de Baptismo, disp.* 11. *sect.* 3. §. *Tertio de charactere,* vbi ait quod licet ordo superior recipi non debeat ante ordinem inferiorem, si tamen recipiatur factum tenet: & adducit rationes claras. Tenet etiam Henriq. *tom.* 2. *lib.* 1 *cap.* 14. *n.* 2. *in fine,* citans D. Thomam. Neque vero minores ordines sic sunt porta Ordinum sacrorum, sicut baptismus est porta cæterorum sacramentorum, quia hoc in nullo Concilio, vel in aliquo textu iuris Canonici dictum reperitur.

Ad secundam quæstionem.

2 AD secundam quæstionem dico hunc Sacerdotem teneri sub mortali recipere Ordines mino

minores omissos si commodè possit. Sic tenet Ostiens. citato cap. dicens quod ordinatus per saltum tenetur supplere id quod sibi deest. Et citat ad hoc cap. *In singulis*, &c. *quicumque, dist.* 73. vbi Sum. Pontif. dicunt consuetudinem antiquissimam esse Ecclesiæ, vt ad Sacerdotium ascendatur per gradus ibi designatos incipiendo ab ordinibus minoribus, qui ibidem numerantur. Et Concilium Tridentinum *sess.* 23. *in canone* 2. *de sacramento Ordinis*, ponit anathema neganti quod in Ecclesia sint Ordines minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur. Ex quibus textibus colligitur hæc ratio clara. Qui recipit Ordines sacros, non recipiendo minores violat legem Ecclesiasticam claram, & in materia grauissima: ergo peccat grauissimè omittēs Ordines minores si ad Sacerdotium tendat, & ab isto peccato non liberatur donec illos recipiat. Idem tenet Nauarrus *in consil* 9. *de tempor. ordin. num.* 4. vbi ait, quod cum quidam Protonotarius diceret certis hominibus, se posse eisdem minores Ordines conferre, & postea dubitatum est an id posset: tenebantur prædicti Ordines minores à vero Episcopo recipere. Idem tenet Henriquez *tom.* 2. *sum. lib.* 14. *cap.* 6. *num.* 3. quatenus ait ordinatum per saltum non posse recipere ordinem omissum sine dispensatione.

3 Tota dubitatio est an iste, de quo agimus, incurrerit pœnas impositas illis, qui ordinantur per saltum, quæ sunt suspensio ad non exercendum ordinem susceptum, & inhabilitas ad alios recipiendos: & irregularitas si ministret in ordine recepto. Respondeo certius esse, quod incurrerit in prædictas pœnas. Primo, quia fecit scienter, & cum malitia, & contemptu. Secundo, quia textus, & Doctores loquentes de ordinatis per saltum non distinguunt de ordinibus maioribus

vel

vel minoribus. Tertio, quia communior opinio Theologorum est, Ordines minores esse etiam sacramenta imprimentia characterem, de quo Henriq. *tom. 2. lib. 10. cap. 14. num. 2. littera M.* ex Conciliis Florent. & Trident. D. Thom. & aliis ibi citatis. Quo non obstãte dici etiam potest probabiliter hunc non incurrisse prædictas pœnas impositas ordinatis per saltum ob dimissos Ordines minores. Fauet huic dicto Nauar. *consil. 28. de sentent. excomm. à n. 11. vsque ad 15.* vbi ait, quod recipiens Ordines minores existens excommunicatus, non incurrit irregularitatem ad alios recipiendos. Quod probat primo, quia iura loquentia de malè promotis, quæ ibi citat, loquuntur solum de malè promotis ad Ordines sacros, non vero de malè promotis ad Ordines minores. Secundo, quia minus peccant isti, quam illi. Tertio, quia iuxta opinionem multorum satis probabilem, quos ibi citat, Ordines minores non sunt sacramenta, sed sacramentalia: & proinde non est eadem ratio puniendi promotos per saltum in Ordinibus minoribus, ac in maioribus. Quarto, quia Bulla Pij II. puniens ordinatos ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel sine literis dimissoriis, non punit sic ordinatos in minoribus, sed in maioribus Ordinibus. Quod ipsum ego colligo ex duobus textibus loquentibus de promotis per saltum. Primus est in cap. *Sollicitudo, dist. 52.* qui solum loquitur de illo qui suscepit Ordinem Diaconi, & Presbyteri, omisso Ordine Subdiaconi. Secundus textus est in cap. *vnico, de Clerico promoto per saltũ.* qui solum loquitur de Subdiacono, qui omisso Ordine Diaconi recepit Ordinem Sacerdotis. Et nullus ex his loquitur de saltu in Ordinibus minoribus: vnde videtur, quod recipere maiores, omissis minoribus, non fit propriè ordinari per saltum, maximè quia pœnæ

sunt

sunt restringendæ, non extendendæ; idque præcipuè quando militat diuersa ratio, vt hic militat iuxta Nauar. quia scilicet Ordines minores non sunt sacramenta, & circa illorum omissionem committatur minus peccatum. Semper tamen dico, hunc peccasse grauissimè, & teneri ad suscipiendos Ordines minores modo explicando statim in sequenti responsione.

Ad tertiam quæstionem.

4 AD tertiam quæstionem dico, quod si hodie iste Clericus responso sibi dato ab illo prædicatore, quietus est, cum bona fide, & ego sciam quod si illum monuero esse obligatum ad recipiendos Ordines minores, ille contemnet metu infamiæ, & supplicij, & sic insordescet perseuerans ministrando in ordinibus receptis cum mala conscientia per totam vitam, in tali casu credo illum non esse admonendum de obligatione recipiendi minores, sed relinquendum illum esse in sua bona fide. Probo hoc exemplo clarissimo à Theologis recepto, dicentibus, quod si in Sacramento confessionis confessarius ex coniecturis deprehendat aliquam, vel aliquem vxoratum publicè, non contraxisse verum matrimonium propter clarum impedimentum dirimens ab illis ignoratum, & nihilominus constet confessario satis probabiliter, quod si pœnitentem moneat de remedio, & dispensatione quærenda, ille cõtemnet, vel ob infamiam, vel ob supplicium, vel ob expensas faciendas in dispensatione obtinenda, & manebit in eodem statu cum mala conscientia accedendo ad non suam: in tali casu non est admonendus pœnitens de illo impedimento, sed relinquendus in sua bona fide, vt in particulari docet Sanchez *lib.* 2. *de*

de Matrimonio, disput. 38. *num* 6. cum multis & grauibus Doctoribus quos citat. Pro quo inter alia adducit Sanchez vnum textum sumptum ex D. Augustino in cap. *Si quis autem, de pœnit. dist.* 7. vbi D. Augustinus sic ait: *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem.* Secundo id probat Sanchez, quia nulla lex obligat nos ad actus inutiles, & frustraneos. Tertio, quia non debemus alicui laqueum inijcere ad peccandum. Quæ omnia applicari possunt, & debent ad nostrum casum de admonendo isto Clerico circa minores Ordines suscipiendos, si enim sit probabile quod ex monitione plus peccabit modo prædicto, abstinendum est à monitione. Si vero sit spes quod acquiescet, monendus est vt Ordines minores recipiat. Neque obstat quod citato loco ait Sanchez, illam doctrinam locum habere, quando pœnitens habet ignorantiam inuincibilem impedimenti, & habet bonam fidem: at Clericus de quo agimus non habuit ignorantiam inuincibilem nec bonam fidem, cum omiserit Ordines minores ex contemptu, & proinde ex malitia. Ad hoc enim dico quod licet iste Clericus habuerit malam fidem in principio, quando maiores sine minoribus recepit. Hodie tamen potest habere bonam fidem propter dictum prædicatoris sibi dicentis, & rationes allegantis ad probandum quod hodie ob rationes adductas non teneatur minores recipere cum metu infamiæ, supplicij, expensarum, si fortè Episcopus arguat illum quod etiam ea de causa irregularitates contraxerit. Denique facit ad hoc id quod diximus in proximè præcedenti, §. Qui incipit, *Tota dubitatio ex Nauarro.*

Ad

Ad quartam quæstionem.

1 AD quartam quæstionem d co,quod si talis Clericus habet bonam fidem qua credit se non teneri ad minores Ordines suscipiendos, tunc sic celebrãs,& alios Ordines exercens, nõ incurrit in aliquam censuram,vel pœnam Ecclesiasticam, & proinde non peccat. Probatur clarè ex eo quod tradit Nauarrus *in Summa Latina,c.* 27.*n.*15.dicens,quod qui bona fide recipit Ordines sacros putans se esse legitimum, cum à parte rei sit illegitimus, vel illos susceperit ante debitam ætatem, cogitans se illam habere facta prius diligentia,talis non incurrit vllam pœnam propter bonam fidem, quam habuit. Et adhuc plus est quod ait idem Nauarrus citato capite *num.* 239. videlicet quod qui habet vnam censuram reseruatam,& caret confessore, qui possit illum absoluere, vt si sit cẽsura Bullæ Cœnæ Domini, & alias si non celebret famæ periculum incurrat,vel scandalum resultabit, iste talis contritus,& cõfessus de aliis peccatis à quibus potest absolui poterit celebrare sine incursu alicuius irregularitatis: quia tunc præualet præceptum naturale conseruandi propriam famam præcepto positiuo Ecclesiastico de non celebrando cum censura.Idem tenet Henriquez *tom.*2. *lib* 13.*cap.*21.*num.*3. cum aliis ibi citatis;& Rodriguez *in Sum.* 1.*p.cap.*166.*concluf.* 1. citans alios: ergo si iste Clericus fuerit in bona fide, vt supponimus, & credat se habere rationes sufficientes ad deponendũ dubium practicatum,nõ peccabit,neque incurret aliquam pœnam Ecclesiasticam, iuxta prædicta ex citatis Doctoribus. Facit adhuc pro hac parte,quod tradit Henriquez *tom.*2.*lib.*10.*cap.*14. *num.* 2. videlicet, quod qui iteraret Ordines minores scienter, non esset irregularis, &

citat

citat in glossa litera N. Scotum, Paludanum, Sotum, Castro, & alios. Et rationem assignat, quia in iure non inuenitur irregularitas posita contra iterantem Ordines minores. Communis verò opinio docet non esse curandum de irregularitate illa, quæ non reperitur in iure posita, & expressa: quod etiam facit ad probandum id quod supra diximus pœnas impositas contra promotos malè, vel per saltum ad Ordines non intelligi de malè promotis in Ordinibus minoribus. Sub censura sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS XLII.

De quodam Religioso reclamante contra suam professionem post quinquennium.

QVidam professus in quodam Ordine Mendicantium commisit culpas dignas magno supplicio post annum decimumquintum suæ professionis. Cumque illum Prælatus punire vellet pro commissis culpis; respondit, se non esse verè professum eo quod professionem emisisset ante annum decimum sextū suæ ætatis completum. Ad hæc dixit Prælatus se non posse reclamationem illam acceptare, nec probationem ætatis, eo quod Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 19. de Regularibus*, præcipiat vt non audiatur quisquam reclamans de nullitate suæ professionis, nisi id faciat intra quinquennium post professionem emissam: ille verò iam erat professus quindecim ab hinc annis. Replicauit subditus, se non sciuisse hunc defectum ætatis suæ in tempore professionis, nisi duobus abhinc mensibus,

sibus, idque ignorasse per totos illos annos quindecim, nunc autem cognouisse talem defectum ætatis, & nullitatis professionis. Illud verò quinquennium assignatum à Tridentino ad reclamandum à professione, non esse numerandum à die professionis, sed à die notitiæ, quam professus habuit de tali defectu: se verò ante duos modo menses id sciuisse. & sic illi dixit quidam aduocatus sæcularis.

Orta est igitur quæstio, an prædictum quinquennium assignatum à Concilio Tridentino pro reclamatione professi sit numerandum à die professionis, an verò à die notitiæ, quam habuit professus de nullitate suæ professionis. Et quod numerandum sit à die notitiæ, non verò à die professionis, videtur probari exemplo adæquato ferè in simili materia, quæ talis est. Episcopus publicauit edictum, vt omnes qui scirent de tali furto, v. g. denunciarent Episcopo intra dies triginta: quidam, qui sciebat de furto, non habuit notitiam huius edicti, nisi 28. die post illius publicationem, dicunt graues Theologi, quod non tenetur denunciare post duos statim dies, quando complentur triginta dies assignati ab Episcopo: sed poterit expectare alios triginta dies ad denunciandum: quia (inquiunt) illi triginta dies assignati ab Episcopo non debent numerari à die publicationis talis edicti. Ita tenet Henriquez *tom. 2. summæ, lib. 13. cap. 18.* & Suarez *tom. de censuris, disp. 20.* ad finem illius disputationis. Et rationem assignat Suarez, quia iste inculpabiliter ignorans diem publicationis, non debet esse peioris conditionis in spatio dierum assignatorum, quàm illi qui audierunt publicare; & proinde si his dantur triginta dies, totidem dabuntur illi qui nouit post 28. dies. Quod optimè conuenit nostro casui.

1 His non obstantibus, dico quinquennium assignatum à Concilio Tridentino pro reclamatione professionis numerandum esse à die professionis, non verò à die notitiæ quam habuit professus de nullitate suæ professionis. Sic tenet Sanchez *lib. 7. de Matrim. disput. 37. quæst. 2. numer. 19.* vbi pro hac opinione solum citat Nauarrum clarè illam habentem *lib. 1. consil. tit. de his quæ vi, consil. 6. & in comment. 4. de Regul. num. 71. vers. 3.* Hanc etiam opinionem tenet Rodriguez *tom. 4. addit. ad summam*, verb. *Nouitius. cap. 65. concl. 5.* & citat Azorium. Ponit tamen Sanchez rationes efficaces, quas confirmat multis, & grauibus Doctoribus. Prima eius ratio est. Quia licet tempus non currat quando præfigitur in odium negligentiæ alicuius, si detur ignorantia, vel impedimentum: secus est, quando tempus præfigitur non in odium negligentis, sed in fauorem alterius, & hanc maiorem probat authoritate grauissimorum decem Doctorum: at quinquennium hoc non est assignatum in odium negligentiæ professi, sed in fauorem Religionis, ne longo tempore litibus molestetur: ergo hoc quinquennium, debet currere professo etiam ignoranti impedimentum. Et probatur exemplo adducto per Balbum, in materia præscriptionis: nam tempus præscriptionis ipso iure procedit contra ignorantem, & ignorantia non impedit cursum præscriptionis, quia præscriptionis ius concessum est ob bonum commune, & ad lites euitandas. Sic etiam tempus præfixum ad reclamandum à Tridentino, curret professo etiam ignoranti, propter bonum commune Religionis. Secundo probatur, quia nunquam obuiaretur litibus, nec tranquillitas Religionis obtineretur, quod fuit intentum Decreti illius Tridentini, si locus esset allegationi ignorantiæ contra illius quinquennium

nium lapsum. Tertio probatur ex verbis citati Decreti Tridentini: ait enim professum non posse reclamare *Nisi intra quinquennium tantum à die professionis.* In quibus verbis notandum est illud, *A die professionis.* Quod clarè innuit à die professionis numerandum esse quinquennium. Deinde considerandа est dictio, *Tantum*, quæ exclusiua est, & affirmat id quod ponit, negans omnes alios casus præter expressos, iuxta legem *ob as, C. de præd. Minorum*, & cap. *Cum Ecclesia Sutrina, de causa possess.* ergo excludit omnem computationem quinquennij à die notitiæ, &c. Præterea dato quod hæ rationes non valerent, & dato quod hic Religiosus impedimentum ignorauerit, & cum iuramento affirmt se illud ignorasse vsque ad annum 15. post professionem, id quidem illi proderit quoad forum internum, non verò quoad forum externum: vt enim ait Rodriguez *tom. 3. Addit. ad sum. cap. 206.* ad finem citans Menochium, Gregorium Lopez, & alios, in foro externo nihil probat dictum ignorantis, etiamsi dicat cum iuramento. Religio verò in hoc casu possidet, & habet possessionem claram sui professi, quam non potest infirmare solum dictum subditi testificantis in causa propria.

2 Ad exemplum adductum in oppositum de ignorante publicationem edicti ex Suarez, & Henriquez responderi potest, iuxta primam rationem Sanchez allatam videlicet illud tempus præfixum ab Episcopo ad denunciandum assignari in odium negligentiæ quã habere possunt denunciatores in non denunciando, & ideò tale tempus præfixum non currere ignoranti edictum, vt illi Doctores dicunt. Tempus vero quinquennij à Concilio Tridentino præfixum non assignatur in odium negligentiæ professi, vt ait Sanchez, sed

propter bonum commune Religionis, vt non inquirerentur litibus perpetuis: & ideò mirum non esse si quinquennium Concilij Tridentini currat contra professum ignorantem suum impedimentum: non vero currat contra ignorantem publicationem edicti pro denunciatione facienda. Sub censura Romanæ Ecclesiæ, & Doctorum.

CASVS XLIII.

De obligatione annexa quibusdam possessionibus cuiusdam Conuentus.

QVidam Conuentus Monialium habebat aliquas possessiones immobiles sibi relictas à piis testatoribus, cum obligatione vt singulis annis pro suis animabus iuberent celebrari certam copiam Missarum, & officiorum in Conuentu quodã Religiosorum eiusdem ciuitatis. Ad quem hanc addiderunt clausulam in testamentis, quod nullo vnquam tempore, quacumque via prædictæ possessiones possent à Monialibus vendi, vel alienari. Successu temporis, ob malum regimen, Conuentus Monialium incidit in magnam egestatem, & contraxit multa debita apud multos creditores. Instantibus vero his creditoribus, iustitiæ sæcularis ministri in foro publicè vendiderunt dictas possessiones quibus erant annexæ Missæ multæ, & officia. Religiosi Conuentus prædicti petierunt, vt Abbatissa Monialium sibi solueret Missas, & officia ad quæ tenebantur ex institutione testatorum, qui Monialibus illas possessiones reliquerant cum obligatione procurandi,

randi, vt illa officia, & Missæ dicerentur in Conuentu eorundem Fratrum. Abbatissa respondebat se, & suum Conuentum iam deobligari à tali solutione Missarum, eo quod iam non possiderent possessiones illas, quibus talis obligatio Missarum annexa fuerat, & proinde illam obligationem Missarum pertinere ad illos qui hodie possidebant prædictas possessiones.

Quæritur, an prædicta obligatio curandi vt illæ Missæ dicantur manserit apud Moniales, an vero transierit cum illis possessionibus ad illos qui illas hodie possident? Et quidem videtur illa obligatio mansisse apud Moniales, nam ipsis tantũ à testatoribus illa obligatio iniuncta est, non vero illis qui hodie possessiones possident. Si autem prædictæ Moniales sua culpa prædictas possessiones amiserunt, sibi imputent. Nemo enim ex sua culpa debet lucrum reportare, vt Doctores dicunt communiter. Præterea secundo, tenebatur saltem Abbatissa, quando sibi ademptæ sunt illæ possessiones ob debita, protestari coram iudice, vt iuberet illis quibus dictas possessiones tradebat, quod ipsi haberent illam obligationem Missarum dicendarum; quam monitionem, vel protestationem si Abbatissa non fecit, videtur etiam ex hoc capite manere cum illa Missarum obligatione. Ad eum modum, quo, si venditor non manifestat emptori vitium occultum rei venditæ, vel seruitutes agri venditi, vel obligationes rei venditæ, manet venditor cum illis obligationibus, & tenetur in conscientia ad omnia damna emptori subsecuta, prout Doctores communiter dicunt in materia *de emption. & vendit.* ac proinde si Abbatissa non monuit Iudicem, vel creditores, quando illæ possessiones sibi ademptæ sunt, de obligatione Missarum illis annexa, videtur apud Abbatissam,

& ipsius Conuentum prædicta obligatio manere.

1 Pro solutione præmitto, quod licet confiscatio Regis propriè sit, quando Rex aufert ab aliquo bona temporalia propter culpas commissas in Deum, vel in Regem, & sibi Regi applicat: tamen suo modo etiam dici potest confiscatio, seu fiscus, quando Rex aufert ab aliquo bona sua temporalia ob debita, quæ alicui debet & illa adiudicat creditori cui debet; vtrobique enim interuenit ablatio bonorum facta authoritate Regis, & per accidens est, quod fiat propter crimina, vel propter debita, & argumentum à simili habet vim apud Doctores, vt in multis casibus passim videbimus Hoc posito,

2 Ad præsens dubium respondeo, mihi satis probabile videri, quod Conuentus Monialium, de quo agitur non tenetur ad obligationem Missarum prædictarum impositam possessionibus sibi ademptis. Probo hoc primo *ex Regula 55. de reg. iur. in 6.* quæ sic habet. *Qui sentit commodum, sentire debet & onus: & è contra*, id est; *Qui non sentit commodum, non debet sentire onus.* Sed Conuentus iste Monialium non sentit commodum illarum possessionum, ergo non debet sentire onus Missarum dicendarum. Secundo constat ex iure, quod res transit cum onere suo, cap. *Ex litteris de pignoribus.* & cap. *Pastoralis, de decimis.* & cap. *Cum non sit in homine 16. quæst. 1.* At possessiones prædictæ habentes illam obligationem Missarum, transierunt ad alios dominos: ergo cum illis transire debuit onus Missarum dicendarum. Tertio inhærendo exemplo proximè posito de fisco, quod diximus habere magnam similitudinem cum ista ademptione possessionum facta authoritate Regis, adduco propriissimam doctrinam traditam per Sanchez *lib. 2. Decalog. cap. 22. à numer. 74 vsque ad num. 87.*

num. 87. tria enim ibi dicit ad hoc concernentia.

3 Primum est *numer.* 74. quod fiscus tenetur soluere debita contracta à reo ante commissionem criminis: & probat hoc per textus & Doctores, quos ibi vide: sed hoc debitum Missarum dicendarum contractum erat à Conuentu Monialium antequam incideret in culpam, vel negligentiam soluendi creditoribus: imo à fundatione conuentus debebatur hoc debitum: ergo fiscus, id est possessores harum possessionum hodie tenentur ad illa debita soluenda. Secundum quod dicit Sanchez ibidem *numero* 86. id magis confirmat. Ait enim post confiscationem bonorum nullam litem, seu actionem pro debitis ipsi reo confiscato posse intentari, sed mouendam esse solum contra fiscum possidentem bona. Et citat etiam textus, & Doctores: ergo hodie lis non est mouenda pro hoc debito Missarum contra Conuentum Monialium, ferè confiscatum; sed contra possessores harum possessionum qui se habent vt fiscus. Tertium quod addit Sanchez *eod. num. cum text.* & Doctoribus, est adhuc maius, videlicet, quod ille cui per fiscum bona sunt adempta, non tenetur postea soluere debita antiqua etiamsi veniat ad pinguiorem fortunam, idque neque in foro externo, neque in interno. Si ergo etiam hæreticus, qui propter hæresim amisit omnia sua bona per confiscationem, deobligatur à soluendis debitis antiquis in vtroque foro, videtur idem dicendum de Conuentu Monialium, qui non propter crimina contraxit debita, sed propter negligentiam, vel malum regimen amisit possessiones, quibus annexa erat obligatio Missarum dicendarum, vt deobligandus sit à solutione perpetua harum Missarum.

4 Quarto adhuc facit in fauorem Monialiū, quod dictæ possessiones non poterant vendi à ministris iusti-

tiæ ; nec à Conuentu, cùm haberent clausulam per testatores appositam ne vnquam possent alienari : vt habetur in Ordin. Portugalliæ *lib. 3. tit. 93. §. 3.* Quod adeò verum est, vt neque Rex confiscans bona Hæretici possit confiscare illa quæ prohibita sunt alienari, vt tenet Nauar. *lib. 5. consiliorum, tit. de simon. consil. 5.* & Iulius Clarus *in praxi crim. §. fin. q. 78. n. 10.* citans multos dicentes, quod in confiscatione non veniunt bona prohibita alienari. Vnde talis venditio possessionum fuit nulla, vtpote contra legem facta : vnde aduerto posse has Moniales multum iuuari ad recuperandas prædictas possessiones per priuilegium concessum à Ioanne XXII. Fratribus Ordinis Montis Oliueti relatum à Rodriguez *tom. 3. qq. Regular. q. 56 art. 2. § His tamen* ; per quod illis concessit quod possint habere restitutionem in integrum circa læsionem factam in bonis suis Conuentuum, siue facta fuerit læsio per Prælatum Conuentus, eiusque culpa, siue culpa procuratoris Conuentus, siue culpa cuiuscumque personæ sæcularis cuiuscumque sit dignitatis.

5 Ad primum argumentum in oppositum dicendum est, quod licet testatores in suis testamentis solis Monialibus hanc Missarum obligationem imposuerint, & non aliis, est, quia supposuerunt illas possessiones nunquam fore alienandas, sicut in testamento mandarunt. Dato autem quod siue malè, siue benè sint alienatæ, standum est illis iuribus citatis dicentibus quod res transeat cum onere suo, sicut transeunt res confiscatæ. Ad id quod addit argumentum non debere Moniales reportare lucrum ex sua culpa in nõ soluendo præterita debita, dico, quod Moniales non soluere obligationem Missarum, quam non debent, non est luctari aliquid, sed vt plurimum est non amittere, & non obliga-

si

ri ad id quod non debet. Nemo autem ob culpam qualemcumque obligandus est ad id quod non debet. Ad secundum argumentum dicendum est exemplum venditoris nō facere contra nos, quia Conuentus Monialium non vendidit has possessiones, vt diximus, sed solum per ministros iustitiæ venditæ sunt, inuito ferè Conuentu: & quando Conuentus illas amisit inuitus, non tenebatur adhibere illam monitionem, vel protestationem: sicut illam non tenetur hæreticus facere, quando sibi inuito bona per fiscum auferuntur: cum post confiscationem actio pro debitis non sit mouenda contra confiscatum, sed contra fiscum, vt supra diximus ex Sanchez. Sub censura, &c.

CASVS XLIV.

De quodam adulterio putato, & diuortio: & obligatione denunciandi propter edictum.

QVædam nupsit viro cuidam bona fide, cum neuter putaret subesse impedimentum. Illa tamen quando nupsit non habebat annos duodecim requisitos ad validitatem matrimonij. Progressu temporis, illa commisit clarum adulterium cum altero viro. Proprius vir illam multis vulneribus sauciauit, & putans illam manere mortuam, aufugit. Conualescente illa ex vulneribus, ille iterū accusauit illam propter adulterium. Illa confugit ad iudicem Ecclesiasticum coram quo probauit delictum suum non fuisse adulterium, eo quod, quādo illa nupsit, non habebat annos duodecim, idque probauit coram iudice, & proinde non fuisse

adulterium cum matrimonium fuerit nullum. Iudex Ecclesiasticus protulit sententiam diuortij inter vtrumque declarans matrimonium fuisse nullum, & proinde posse vtrumque cui vellet nubere. Quo obtento illa accusauit illum quod durante putato matrimonio dissipasset dotem suam, pro quo fecit illum carcerari carcere publico, allegans quod dato quod matrimonium fuerit nullum, reddenda sibi esset sua dos integra. Ille durante hoc litigio sumpsit certas res pretiosas aureas, & argenteas, quas sub pignore cuidam Petro tradidit, vt sub illis pignoribus sibi commodaret centum aureos quæ pignora tradidit in secreto, & præsumitur dicta pignora allata fuisse à fœmina inter dotem. Fœmina impetrauit ab Episcopo excommunicationem, per quã obligauit sub censura, vt quicumque sciret de prædictis rebus ablatis, denunciaret intra paucos dies.

Multa ex prædicto casu orta sunt dubia. Primum, an prædicta fœminæ fornicatio, fuerit verum adulterium: & per hoc adulterium amiserit dotem marito acquirendam?

Secundum, si, dato quod dotem non amiserit, Petrus detinens pignora prædicto modo apud se à viro deposita, teneatur denũciare iudici Ecclesiastico de pignoribus sibi à viro commendatis, si sciat, & timeat se amissurum esse centum aureos quos sub pignoribus viro putato commodauit, cum ille modo carceratus sit, & pauper?

Tertium, dato quod non teneatur denunciare cum tanto damno, cui reddere debeat prædicta pignora: an viro qui dedit, an fœminæ cuius erant, an vero sibi retinere possit in compensationem?

1 Ad primum dubium dico fornicationem illam fœminæ habitam durante matrimonio putato, fuisse

theolo

theologicè, & formaliter verum adulterium quoad malitiam, licet materialiter tale non fuerit cum in rei veritate illa non esset vera coniux. Quod autem formaliter, quoad malitiam fuerit adulterium, & in specie adulterij reponendum probatur ex communi Doctorum sententia, quod sola intentio operantis facit suum actum, & proinde peccatum reponi in certa specie, vt si credebam me rapere, rem alienam, cum re vera non esset, sed mea, furtum formaliter commisi ex mala intentione: & sic de multis aliis exemplis apud Theologos. Et vltra Theologos habetur in cap. *Cum voluntate, de sententia excommun.* vbi sic dicitur: *Cum voluntate, ac proposito maleficia distinguantur*, &c. Vbi Glossa plura citat, & addit. At ista fœmina voluntate, & proposito voluit committere adulterium cum se verè vxorem putaret. Quod vero attinet ad secundam partem eiusdem primi dubij, dico per leges huius Regni *lib. 5. Ordinat. tito* 38. §. 2. Maritus non acquirit dotem vxoris adulteræ, nisi quando illam actu in adulterio deprehensam ibidem occidit. Vel si illam post delictum accusat de adulterio, & probato crimine sibi dos per sententiam adiudicatur. Sed iuxta sacros Canones hæc mulier amisit dotem. Sic tenet glossa cp. *P lerumque, de donat. inter virum, & vxorem.* In verb. *Repetere non valebit*, vbi ponit casum in fœmina, quæ reputatur verè nupta, quæ peccauit cum homine diuerso à putato marito & postea accusata à viro putato, inuentum est fuisse matrimonium nullum, eo quod illa esset consanguinea viri sui qui est casus omnino similis huic nostro. Et ibi citata glossa cum aliis textibus quos citat ait quod talis mulier dotem amisit. Idem tenet Panormitanus ad citatum cap. *Plerumque*, vbi citat Innocentium, Hostiensem, Goffred. & Ioannem

Andr

Andr. qui sunt grauiores inter Canonistas. Et clarè colligitur ex verbis citati cap. *Plerumque*, vbi Papa ait. Quod si mulier causa fornicationis à viro separata fuerit, dotem amittat. Non ait, ob adulterium, sed ob fornicationem. Hæc autem fuit separata à viro propter fornicationem. Quod tamen intelligo, vt semper post delictum sit necessaria sententia iudicis Ecclesiastici, quæ declaret crimen, & condemnet in dote. Quod si non est factum in isto casu, fuit, quia à iudice Ecclesiastico non fuit petitum, nisi declaratio validitatis matrimonij.

2 Ad secundum dubium dico, Petrum habentem pignora non teneri denunciare de pignoribus sibi commendatis cum tali periculo. Est enim communis Doctorum opinio, quod nemo tenetur denunciare, si ex denunciatione resultare sibi debet damnum notabile. Sic tenet Corduba *in sum. quæst.* 63, & 64. Sayro *in Clau. reg lib.* 2. *c.* 14. *n.* 32. vbi citat plures alios. Riccius *tom.* 1. *Decis. Collectan.* 995. & alij communiter. At constat, quod si Petrus denunciet de pignoribus, iudex iubebit illa reddere mulieri, & Petrus non poterit recuperare suam pecuniam à viro puta iuuo, carcerato, & paupere. Et aduertit Sayro *cit. loco*, quod in hoc casu, quando ex denuntiatione mihi resultabit damnum notabile, si ego vocatus fuero à iudice prò testimonio ferendo in illo casu, exhibitóque iuramento, posse me negare, ac dicere, me de casu nihil scire, subintelligendo, apud me: quod non scio ita vt teneat reuelare. Quia iudex in tali casu non potest obligare vt veritas reueletur cum tanto damno proprio.

3 Tertium dubium multas petit responsiones. Et primo dico, quod si vir, qui dedit pignora, non mihi poterit reddere 100. aureos, quos sub pignoribus commodauit,

modauit, non teneor illi pignora reddere, quia non teneor amittere centum aureos: & ob eandem causam non tenebor pignora reddere mulieri, cum amissione meæ pecuniæ. Hic tamen casus decidi debet per alium casum, quotidianum tractatum à Doctoribus in materia restitutionis, quando quærunt, an is qui bona fide emit rem à latrone, & postea nouit rem illam esse Ioannis: an possim rem donare latroni petendo pretium, quod illi dederam, an verò teneatur rem donare Ioanni vero domino, etiamsi sciam me pecuniam meam amissurum? In quo duæ sunt opiniones.

4 Prima asserit teneri me reddere rem Ioanni vero domino, non latroni, etiamsi sciam me pecuniam meam amissurum. Secunda opinio fauorabilior in quam magis inclino, dicit posse me reddere rem latroni vt mihi reddat pecuniam meam, etiamsi sciam illum non esse redditurum vero domino, si aliter non possum pecuniam meam recuperare. Hanc opinionem tenet Rabell. *tom. de iustit. 1. p. lib. 2. q. 9. num. 3. concluf. 1.* pro qua citat Altisiodor. Alexander. Alensem. Sylvest. Antonin. Nauar. Tabienam, Lopez, & alios, cum quibus poterit quietari conscientia, & adducit claras rationes pro illa: præcipua est, quia neque ex obligatione iustitiæ, & charitatis teneor saluare rem alienam, reddendo illam vero domino, cum amissione magnæ pecuniæ meæ. Cum ergo in hoc casu, si reddã pignora fœminæ cuius suppono esse, sim pecuniã meam amissurus. Si item restituam pignora viro putatiuo, qui est carceratus, & pauper, & mihi restituere pecuniam meam non valet, illamque proinde amittam; sequitur quod illa pignora potero retinere per modum compensationis: dummodo restituam illud quod dicta pignora plus valent quàm pecunia, quam ego dederam

commo

commoda am ſub pignoribus. Compenſatio enim fieri debet ſeruata iuſtitia, vt ſcilicet compenſans non plus ſumat de re aliena, quam ſit illud quod ſibi debebatur. Aliàs compenſatio eſſet iniuſta, & proinde furtum committeretur. Eſt autem hæc reſtitutio exceſſus valoris pignorum facienda illi, de quo conſtabit eſſe verum dominum talium pignorum; ſiue ſint fœminæ eo quod pertinuerint ad dotem ſuam, ſiue ſint viri, eo quod ad illum iuſto aliquo titulo pertinuerint. Quod non dico ſine cauſa, poteſt enim maritus pignorare bona mobilia ex dote vxoris ad faciendas expenſas pro ſua iuſta defenſione, quando ipſe maritus non habet aliquid vt ſe defendat, ſicut inter alios tenet Riccius *tom. 1. deciſ. Collect. 1245. & 1974.* & alij.

CASVS XLV.

De quadam dote, & donatione facta à parentibus cuidam filiæ.

QVidam vir, & vxor illius habebant filiam legitimam & vnicam tantum, quam matrimonio iunxerunt cuidam adoleſcenti: quibus ſic matrimonio iunctis dotem conſtituerunt in hunc modum. Donamus, & in dotem conſtituimus futuris nuptis omnia noſtra bona mobilia, & immobilia, donaria aurea, & argentea quæ hodie habemus, & poſſidemus, & in poſterum habebimus, & acquiſiuerimus, ſiue per donationem nobis factam, ſiue per hæreditatem, ſiue per Regis liberalitatem, & remunerationam (habebat vir enim ius ad Regis munera ob multa obſequia Regi præſtita) ſiue quocumque alio titulo acquirenda, &c.

Mortua

Mortua est vxor dotatrix: mortuus est etiam gener vtriosque, & mansit filia legitima vidua cum aliquibus filiis, & sustentatur redditibus, & possessionibus sibi relictis à marito, quæ sunt sufficientes, & viuit iuxta patrem suum viduum in domo separata, sed habente eandem portam communem patris. Pater viuit in domo alia vicina, & domi secum habet aliam filiam illegitimam, & naturalem, sibi gratam & beneficam, cui committit administrationem liberam suorum reddituum, qui ampli sunt. Et eadem filia naturalis vltra hanc administrationem habet peculium profectitium sufficiés ad suam sustentationem. Et eadem filia naturalis expendit redditus paternos in sustentanda domo paterna, & residua seruat sibi.

Quæsitum est primo, An pater possit donare huic filiæ naturali, & illegitimæ, vel cuicumque alteri id quod supereſt ex suis redditibus non obstante rigorosa illa donatione, & dotatione facta filiæ legitimæ: an vero teneatur residuum dare filiæ legitimæ? Quod pendet ex eo, an iste pater licet fecerit illam donationem amplam, sit nihilominus dominus fructuum omnium istarum rerum donatarum, ita vt possit hos fructus donare cui voluerit.

Secundo quæritur, an illa filia naturalis, cui pater commisit omnium reddituum suorum administrationem, possit sibi reseruare id quod supereſt ex congrua domus paternæ sustentatione.

1 Pro responsione suppono primo ex Iulio Claro *lib. 4. sua praxis, §. Donatio, quæst. 19. n. 7.* & aliis, donationem omnium bonorum præsentium, & futurorum, non esse validam nisi fiat causa mortis, esse vero inualidam si fiat inter viuos. Ratio huius discriminis est, quia cum donatio inter viuos statim transferat dominium

nium rei donatæ in donatarium, non permittunt leges vt aliquis in vita ſua omnia det nudus manens abſque remedio vnde ſuſtentetur, & abſque re vlla, de qua poſſit teſtari in morte: talis autem donatio qua aliquis ſic omnia donat inter viuos, ſtatim transfert dominiũ omnium rerum in donatarium. Si vero donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum fiat cauſa mortis, licita eſt, quia talis donatio non transfert ſtatim dominium rerum donatarum in donatarium, ſed tale dominium promittit dandum poſt mortem: & interim taliter donans cauſa mortis, manet cum dominio, & vſufructu bonorum ſuorum. Hanc etiam doctrinam tradit Rabello cum aliis quos citat *tom de obligat.iuſt.lib.* 18.*q.* 12.*n.* 1. Cum ergo iſta donatio, de qua quæritur, fuerit donatio omnium bonorum, vt conſtat, ad hoc vt valida ſit, oportet vt non ſit donatio inter viuos, per quam donans à ſe tranſtulerit ſtatim dominium omnium bonorum in filiam legitimam, & generum: ſed oportet vt ſit donatio cauſa mortis, per quam donans manſerit cum dominio, & vſufructu bonorum ſuorum, cum obligatione tamen dandi in hora mortis dictæ filiæ legitimæ omnia bona tunc exiantia.

2 Secundo noto, & ſuppono in re quaplam eſſe tria hæc diſtincta: dominium rei, vſumfructum rei, & ſimplicem vſum rei: dominium rei habet ille qui eſt dominus rei abſolutus, ita vt poſſit illam dare, alienare transferendo à ſe dominium in alium, ſicut habet quilibet in oue ſua. Vſumfructum tantum rei habet ille, qui non eſt dominus rei, habet tamen dominium ſupra fructus iſtius rei, vt illos poſſit comedere, & liberè donare. Huiuſmodi eſt pater circa bona caſtrenſia filij impuberis, quorum non habet dominium, habet tamen

men vſumfructum,& habet ius donandi,& expendendi fructus illius peculij, dum filius impubes eſt. Tertio ſimplex tantum vſus dicitur, quando quis neque habet dominium rei,vt poſſit illam alienare,neque haber vſumfructum liberum, cùm fructus rei non poſſit liberè donare,vel adminiſtrare, ſed habet ſolum vſum ſimplicem rei,vt poſſit tantum illa vti pro neceſſitatibus præciſis. Huiuſmodi ſimplicem vſum tantum habet ſeruus in veſte, vel alia re notabili ſibi à domino data, & eundem ſolum ſimplicem vſum habet Frater Minorita in ſua veſte, & ſimilibus. Seruus enim non habet dominium veſtis ſuæ,neque item vſumfructum liberum illius,cum non poſſit illam concedere vt alius illa vtatur: ſed ſolum haber vſum nudum,& ſimplicem vt illa veſte vti poſſit ad ſuam tantum neceſſitatem ſubleuandam.

3 Hoc poſito cum iſtud dubium non poponatur hodie pro foro externo litigioſo,ſed ſolum pro foro conſcientiæ quietandæ. Prima reſponſio eſt,quod ipſe pater donans reſipiſcere debet ad intentionem quam habuit tempore donationis,& per illam intentionem debet regulare id quod hodie poteſt: nam iuxta Ariſtotelem receptum à Iuriſtis, Actus agentium non extenduntur vltra intentionem illorum,& proinde ſi recordatur quod tempore donationis habuit intentionem, quod de fructibus bonorum ſuorum nihil omnino daret alteri,quam filiæ,hoc tenetur hodie ſeruare. Si verò non recordetur clarè quod expreſsè tunc illam rigoroſam intentionem habuerit; explicanda eſt donatio,ſeu promiſſio,quod facta fuerit modo conſuetudo ita ſcilicet vt ipſe in vita maneret ſaltem vſufructuarius ſuorum bonorum, videlicet habens liberam adminiſtrationem fructuum bonorum ſuorum,ita vt de illis fru-

ctibus donare posset cui vellet. Neque enim cogitandum est de homine nobili, diuite, & viuente in sæculo, quod in illa donatione voluerit manere cum simplici tantum vsu bonorum suorum, sicut est seruus, aut Frater Minor qui de rebus, quibus vtuntur, nihil omnino possunt dare. Ac proinde poterit talis donator, sicut vsufructuarius de fructibus bonorum suorum dare cui voluerit. Secundo probatur, quia hæc donatio fuit donatio causa mortis, vt supra diximus.

4 Sed in hac donatione non transit statim dominium rei in donatarium, vt probat Rabell. cit. loco: ergo nec transit vsusfructus, sed manet vsusfructus apud donantem vsque ad mortem, & proinde ex fructibus rerum suarum facere poterit quod voluerit, & confirmatur exemplo; nam Episcopus non est dominus sui beneficij, neque item beneficiarius est dominus sui beneficij: & tamen vterque est liber administrator fructuum suorum beneficiorum, adeò vt de fructibus beneficiorum donent liberè saltem ad opera pia, imo & de illis redditibus maioratus instituunt, & testantur, vt praxis in Hispania obseruat nullo Prælato prohibente: ergo licet iste donator, de quo agimus, per illam donationem transtulisset statim dominium bonorum suorum in filiam donatariam, cum tamen adhuc maneat vsusfructuarius bonorum suorum, & fructuum administrationem habeat, poterit de illis, seu de redditibus suis donare in vita cui voluerit. Vltimo probatur, quia in verbis cit. huius donationis non exprimitur, neque ex illis clarè colligitur, donatorem obligasse se ad nihil donādum in vita cui voluerit de fructibus bononorum suorum. Hoc tamen monuerim non posse hunc donatorem de industria ita prodigè dispensare fructus bonorū suorum, vt nihil de illis postea ad filiam legitimam

mam perueniat. Hoc enim iam esset fraus ac dolus, qui nulli debet patrocinari, & peccaret in hoc mortaliter iste pater.

5 Ad secundum quæsitum facilis est responsio. Nam si filia naturalis habet expressam licentiam patris, vt superflua de expensis anni sibi reseruet, non est dubium quin possit id facere cum pater possit donare de his fructibus, vt supra vidimus, maximè cum donet filiæ, & filiæ in obsequio continuo patris manenti, & quæ per mortem patris non potest esse hæres, sicut alia legitima cui manent omnes possessiones patris reseruatæ. Sufficere etiam poterit ad id licentia patris tacita, collecta ex circumstantiis quæ indicent patris claram intentionem esse vt filia naturalis illi residua sibi seruet; vt quia pater illam impensè diligit quia nunquam ab illa exigit ratiocinium expensarum, qua illi vult remunerare continuum obsequium in patris cura impensum: & similes circunstantiæ, quibus concurrentibus, locum habet illa Regula Iuristarum, quod licentia tacita habetur pro expressa, vt dicitur in l. *Cum quid ff. de reb. cred.* & colligitur ex cap. 2. *de rescriptis*, & Doctores concedunt communiter. Sub censura, &c.

CASVS XLVI.

De quodam voto conditionato eundi Ierusalem.

QVidam vir nobilis, & sexagenarius existens in actuali conflictu belli sic vouit. Si me Deus eripuerit ex hoc periculo promitto ire Ierusalem. Euasit ex periculo. Postea quæsiuit an secum posset

dispensare confessor regularis per sua priuilegia?

1 Respondeo, quod possit. Fundamentum breue, sed clarum, & firmum est, quia hoc votum conditionatum est: vt patet: & Episcopus potest dispensare in illis quinque votis communiter exceptis, videlicet eundi Romam, Compostellam, &c. quando hæc vota non sunt absoluta, sed conditionata, vt tenet expresse Sanchez *lib. 8. de matrimon. disp. 10. num. 13.* & *lib. 4. Decalog. cap. 40. Sum. 99.* contra Suarez, & Sayro citat pro se Sanchez, Gomes. Petrum Ledesma, & Lessius *tom. de iustit. lib. 2. cap. 40. num. 131. §. Verum & si*, & alij citati ab his tribus Doctoribus. Ratio præcipua tradita à Sanchez est. Quia reseruatio illorum quinque votorum est stricti iuris, & proinde restringenda vt solum intelligatur quando illa quinque vota simpliciter, & absolutè facta sunt, non vero quando conditionata. Quia quando quis promittit aliquid sub conditione, v. g. Religionem non intendit principaliter esse Religiosus, sed liberari à tali morbo, vel periculo, cum ergo hæc vota conditionalia sint imperfecta, non est credendum quod Ecclesia reseruans illa quinque vota intelligat de conditionatis, sed de absolutis. Alias rationes ibi vide apud Sanchez vtroque loco.

2 Cùm ergo Episcopus iuxta hos Doctores possit dispensare in hoc voto conditionato, poterit & confessor Regularis per priuilegium Martini V. concessum Benedictinis, citatum à Sanch. *cit. lib. 8 de matrim. disp. 16. n. 1.* & Capuccino *in suis Addit. ad compendium*, verb. *dispensatio, titulo ex priuilegiis S. Bernard* per quod conceditur prædictis Patribns, vt possint dispensare cum sæcularibus in casibus, & votis Episcopis reseruatis; quo priuilegio gaudent Mendicantes. Et addit Sanchez, quod potest Episcopus, & proinde confessor Religiosus

ligiosus dispensare in his votis conditionalibus, non solum ante impletam conditionem, sed etiam post illam impletam. Vide etiam Vegam Minimum 2.p.sum. verb.*Votum,casu* 10. vbi ait quod per Bullam Cruciatam possunt etiam hæc vota conditionalia commutari in fauorem Cruciatæ. Idem tenent hi Doctores posse Episcopum dispensare in his quinque votis, quando sunt pœnalia, ob rationem supra citatam à Sanchez.

3 Ex alia etiam via facilius dispensabitur cum hoc homine, quia scilicet est senex sexagenarius: tales enim non tenentur ire Romam etiam ob percussionem Clerici: de quo Sanchez *lib.7. de matrimon.disp.* 32.*n.*16. Reginaldus *tom.*1.*in Appendice.de excomm.lib.* 1.*n.*250. Sub censura Eccles.& Doctorum.

CASVS XLVII.

An Clerici possint negotiari saltem per alium.

REx Catholicus per epistolam particularem anno 629. petiit à quodam Capitulo diœcesano Canonicorum, vt vellet pro rata portionnm singulorum Canonicorum inire societatem eum certis mercatoribus in negotio mercantili, vt ex lucro resultante insumeretur pecunia in expensis pro bello inferendo hæreticis Hispaniam infestantibus, & pro catholica fide defendenda. Capitulum à singulis Conuentibus Religiosorum illius ciuitatis petiuit Concilium, an possent ipsi Canonici Clerici exercere illam negotiationem per mercatores ad illum pium finem. Secundo quæsiuit Capitulum Diœcesanum, an, dato quod maior pars

Canonicorum in Capitulo consentiret, quod Canonici inirent illam societatem mercaturæ, illi Canonici, qui non consenserunt, deberent exponere partem suorum reddituum periculis illius negotiationis, seu mercaturę.

Et quidem pro primo quæsito videtur res valdè pia, & proinde licita, quòd Canonici Clerici sine peccato possint inire illam societatem negotiationis. Nam si Clericis licitum est in bello iusto hortari Catholicos in bello vt fortiter pugnent contra hostes fidei absque peccato, & absque periculo incurrendæ irregularitatis vt suppono clarum ex communi Doctorum opinione: à fortiori videbitur licitum vt Clerici cum sua pecunia possint per alios negotiationem exercere, vt ex lucro societatis possit bellum inferri hæreticis, & hostibus Ecclesiæ pro fide Catholica defendenda.

Ergo ad primum quæsitum respondi primo, rem esse nouissimã in generali, Clericis prohibitam esse negotiationem lucratiuam sub pœnis grauissimis in iure Canonico. Quas pœnas, & prohibitiones, qui videre voluerit, legat Salzedo *in sua praxi criminali Ecclesiastica, cap.* 55. cum additionibus commentatoris. Citat etiam hæc capita Iuris Canonici Clericis interdicentia negotiationem, Ludouicus Beia *in suis Respons. Moral.* 3. *p. casu* 36. *paulò post initium, fol.* 377. *col.* 2. *pag.* 1. Respondi secundo, quòd non obstantibus illis prohibitionibus iuris Canonici, graues, & recentiores Doctores tenent non peccare mortaliter Clericos exercentes negotiationem mercaturæ, si id faciant non per se, sed per alios. Hos citat Salzedo *citato, cap.* 55. dictæ praxis, & tenet Lessius *lib.* 2. *de iust. it. cap.* 21. *dub.* 1. *num.* 6. Beia *citato casu* 36. & Molina *tr.* 2. *de iust. disp.* 342. §. *Vtrum autem*, citans Medinam, ait se non condemnare hanc opinionem de peccato mortali. Et idem ego dico. Op-

posita

posita tamen opinio, quòd scilicet non sit licitum Clericis negotiari per alios, asseritur à glossa Clementinæ primæ *de vita, & honest. clericorum*, in verbo, *publicè, & personaliter:* vbi ponit hæc verba de Clerico negotiante. *Si ergo occultè, vel per alium hoc exercetur, cessat pœna, licet non culpa.* Idem tenet Salz. *cit. c.* 55. §. *Sed vtrum in fine.* Et Molina citato loco licet dicat se non damnare peccati opinionem affirm. ait tamen quòd Clericum negotiari per alium habet aliquid fœditatis, & indecentiæ ratione status. Ego illam probo ex illa Regula iuris 72. in 6. quæ dicit: *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum.* Quo nihil clarius ad intentum dici potest. Si enim Clericus per alios negotietur, idem est ac si per seipsum negotietur. Et quantacumque diligentia per alios adhibeatur, semper manet periculum negotiandi in materia illicita, peccaminosa, vel saltem dubia, quod non decet statum Clericalem.

Secundo ad hoc ipsum primum quæsitum dico, quod licet Clerici possent negotiari per alium, idque verum esset de quouis Clerico particulari, considerandum est quod aliqua licent, sed non expediunt, vt mox dicemus ex Diuo Paulo. Non enim poterit videri decens, & expediens, & conueniens nobilissimo Capitulo diœcesano per alios mercaturam exercere, habet enim hoc indecentiam, & fœditatem, etiam in Clerico particulari, vt dixit Molina citatus; & multò magis erit indecens in Capitulo diœcesano Clericorum, & Canonicorum. Facit ad hoc dictum D. Pauli, 1. *ad Corinth. cap.* 6. & 10. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, & iterum *omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Quod Pauli dictum D. Bernard. commendat Papæ Eugenio *lib.* 3. *de consideral.* dicens, prudenter spectandum esse in singulis, quid liceat, quid deceat, quid

expediat. Neque obstat, quòd ista negotiatio, & mercatura inseruiat ad sumēda arma contra hostes Ecclesiæ, & pro defendenda Ecclesia. Nam arma Clericorum non sunt ferrea, non pecuniæ, non negotiatio, sed sunt orationes, Psalmi, & vigiliæ, inxta illud eiusdem Pauli dictum propriè de Ecclesiasticis 2. ad Cor. 10. *Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum.* Et illud Ioël 2. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo,* & iuxta illud Ps. 19. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus.* Sæcularibus enim ducibus conuenit bellare pro Ecclesia Dei in curribus, & in equis. Sacerdotes verò bellant inuocando nomen Domini in choro, & orationibus.

Secundum quæsitum maiorem habet difficultatem an scilicet, dato, quod in Capitulo maior pars Canonicorum consentiat, quod Capitulum ineat prædictam negotiationem mercaturæ pro dicto intento applicando pro rata de singulis portionibus Canonicorum, in tali casu illi Canonici qui non consenserunt, teneantur etiam pro rata contribuere ad dictam negotiationem de portionibus suorum reddituum. Pars affirmatiua, quod scilicet ad id teneantur, videtur probari ex toto titulo de his quæ fiunt à maiori parte Capituli *in Decretal.* maximè *in c.* 1. & 4. vbi dicitur, quod Prælatus cum maiori parte capituli potest contradicente minori parte quod visum fuerit pro fabrica Ecclesiæ, &c.

Quo non obstante, dico quòd in tali casu pauciores Canonici recusantes, non tenentur de suis portionibus contribuere ad prædictam societatem negotiationis. Ante huius probationem præmitto ex gloss. communiter recepta in cap. *Cum omnes, de const.* quod duobus modis

modis aliquid poteſt pertinere ad Collegium, ſeu collegiales plures collegialiter Congregatos. Primo cum pertinet ad illos tanquam ad vniuerſos, non tanquam ad ſingulos. Sic pertinet ad Canonicos cum Epiſcopo diſponere de poſſeſſionibus immobilibus Eccleſiæ, an poſſint vendi, &c. & ſic pertinet ad Canonicos vt vniuerſos diſponere de rebus aliis communibus Eccleſiæ, in quibus ſinguli Canonici nō habent ſingularē vſum, vel particulare intereſſe. Alio modo pertinet aliquid ad Canonicos, vel collegiales non tanquam ad vniuerſos ſed tanquam ad ſingulos, quia ſcilicet ſinguli in re tali habent ſingularem, & particularem vſum & intereſſe: huiuſmodi ſunt redditus præbendæ Canonicatus. Hi enim redditus præbendarum non pertinent ad omnes tanquam ad vniuerſos, non enim inſumuntur hi redditus in bono communi Canonicorum, ſed vnuſquiſque Canonicus expendit ſuos proprios redditus in ſuo bono particulari. Et proinde redditus præbēdarum Canonicorū pertinent ad omnes Canonicos, non tanquam ad vniuerſos, ſed tanquam ad ſingulos: ſinguli enim Canonici habent ſingulare ius, & ſingularem vſum ad proprium redditum ſuæ præbendæ, quod ius non habet alius Canonicus. Hoc poſito ait cit. gloſſa cum multis textibus ibi citatis, quod quando aliquid pertinet ad omnes collegiales tanquam ad vniuerſos, ſufficit vt conſentiat maior pars Capituli, *vt factum teneat*, & omnes obligentur. At quando aliquid pertinet ad omnes tanquam ad ſingulos, non ſufficit quòd maior pars conſentiat, ſed requiritur, quod omnes, & ſinguli conſentiant, alias factum non valebit ſaltem quoad ſingulos. Adhuc exemplum clarius iſtius ſecundæ partis dari poteſt in materia electionis. Præcipitur in cap. *Quia propter, de electione*, vt cum electio facien-

da est vocentur omnes electores nullo omisso, quia ad omnes pertinet electio. Ad quem locum omnes Iurisiæ exponunt quòd si in electione vnus tantum elector non vocetur, electio potest ab eo non vocato postea annullari. Cuius ratio est, quia eligere in illa electione pertinet ad omnes electores, non solum quoad vniuersos, sed etiam quoad singulos. Singuli enim habent ius eligendi, & singuli habent ius vt vocentur, & ad singulos pertinet habere bonum Prælatum: ac proinde si vnus tantum non vocetur, tota electio poterit ab isto annullari, quia electio pertinet ad singulos. eodem modo expendere, & colligere redditus annuales cuiusque præbendæ, seu Canonicatus pertinet ad omnes Canononicos, non tanquam ad vniuersos, sed tanquam ad singulos, vt patet ex dictis. Ac proinde si vnus vel pauci non consentiant in insumptione reddituum suæ præbendæ, factum non tenebit quoad istum recusantem. Confirmantur hactenus dicta ex eo quod pensio non potest constitui in beneficio à Capitulo Sede vacante, imò nec ab ipso Episcopo in beneficiis, quæ sunt suæ collationis, vt inter alios tenet Azor *tom. 2. moral. lib. 8. capit. 6. quæs. 1.* & probat clarè ex cap. *si quis Presb. 1. quæst. 3.* & cap. *Maioribus*, & cap. *Vacante*, & aliis ibi citatis, per quæ mandatur, vt beneficia sine diminutione conferantur. Cùm ergo nec Capitulum, neque Episcopus possint beneficia quoad redditus minuere, sequitur quod non poterit beneficiarium obligare, vt de suis redditibus conferat certum quid ad talem negotiationem mercaturæ. Maximè cum dubium sit ob prædicta an possit Clericus per alios hanc negotiationem exercere. Et præterea per hanc negotiationem possit pecuniam suam exponere periculo illam amittendi, vt sæpè contingit in ista negotiatione merca

mercaturæ: ad quod ipſe inuitus non tenetur. Sub cenſura Eccleſiæ, & Doctorum. Et mihi conſtat quod hæc pars apud citatum Capitulum in vtroque puncto prævaluit.

CASVS XLVIII.

Dubia quædam circa electiones cuiuſdam Capituli

QVædam Congregatio Religioſa à Sede Apoſtolica approbata habens Prælatum generalem, & multos Prælatos locales, habet conſuetudinem ab annis centum quinquaginta quod electio ſui Prælati generalis,& Prælatorum localium fiat hoc modo: vt ſcilicet ſinguli profeſſi ſingulorum Conuentuum tempore Capituli mittant ſuum ſuffragium ſecretum obſignatum ad Capitulum, in quo declarent ſe eligere in Prælatum generalem fullanum, & in talem Prælatum localem fullanum, & ſic in ſingulos Prælatos locales fullanum,& fullanum omnes in ſingulari nominando. Quibus omnibus, & ſingulis ſuffragiis in Capitulo examinatis,& perpenſis,declarantur electiones Prælati generalis,& locales,non expectata alia electione. Et vltra prædictam conſuetudinem centum quinquaginta annorum;habet dicta congregatio duas Bullas Apoſtolicas Pontificum recentiorum confirmantes eandem conſuetudinem. Additur & præcipitur in eiſdem Bullis, vt electiones in dicta Congregatione nullo modo fiant facta prius aliqua nominatione,ſeu deſignatione perſonarum: ſed ſuffragia ſingulorum dentur liberè ſecun

secundum Deum, impositis grauibus pœnis secus facientibus, & præterea quod electiones factæ non seruata illa forma, & consuetudine in prædicta electione, sint nullæ, & nullum robur obtineant.

Hoc posito, quidam Prælatus generalis, & Visitator generalis illius Congregationis tempore visitationis ante Capitulum, destinarunt quatuor Patres ex grauioribus eiusdem Congregationis, quasi Compromissarios totius Congregationis pro electione futura: de quorum quatuor, ac de duorum Prælatorum generalium mandato, scriptum est ad singulos Prælatos locales, vt in suis Conuentibus monerent singulos Religiosos vt in suis suffragiis secretis ad Capitulum mittendis, suffragium darent pro generali Prælato futurano minatim illum designando: & pro singulis Prælatis localibus assignauerunt singulos nominatim, & expressè, quos singuli electores deberent nominare in suo suffragio secreto: addentes in suo mandato, quod talis ordo in electionibus futuri Capituli foret retinendus. Hoc posito quæsitum est, quid sentiendum sit de tali mandato, siue Decreto. Ego circa tale Decretum, seu mandatum dico sequentia.

Primo, Quod duo dicti Prælati generales non potuerunt facere quatuor Compromissarios, qui nominarent omnes Prælatos eligendos in c. seq. Probo clarè: cum enim Papa per duas Bullas expressè iubeat, vt in electionibus istius Congregationis fiant electiones per vota secreta singulorum Religiosorum totius Cõgregationis missa ad Capitulum, quæ est electio per secretum scrutinium assignata, in cap. *Quia propter, de elect.* non possunt Prælati Ordinis hanc formam secreti scrutinij mutare, & facere electiones per Compromissarios. Probatur clarè, quia Papa in duabus Bullis approbat

probat solum,& iubet fieri electiones in hac Congregatione per formam Scrutinij secreti, & per vota singulorum Fratrum totius Congregatiouis secreta: ergo inferiores Prælati non possunt hanc fomam immutare faciendo electiones per Compromissarios. Nam licet in cap. *Quia propter, de elect.* concedat Papa duas, vel tres formas ad faciendam electionem, per Scrutinium scilicet secretum, quæ est ibi prima forma, vel per Compromissarios, quæ est ibi secunda forma assignata: loquitur ibi per particulam disiunctiuam, Vel, Aut, Seu & sic relinquit in voluntate electorum, quam formam sequi voluerint. At in istis duabus Bullis istius Congregationis Papa non loquitur per particulam disiunctiuam, nec relinquit in arbitrio electorum an velint eligere per Compromissionem, an per Scrutinium secretum, sed determinat expressè quod fiat electio omnium Prælatorum Congregationis per Scrutinium secretum, & suffragia secreta omnium, & singulorum Fratrum totius Congregationis. Vnde non manet in arbitrio Prælatorum Congregationis facere electionem per secundam formam Compromissionis. Et facit ad hoc dictum Iuristarum, quod expressum in lege facit, cessare præsumptum. De quo Brunor. verb. *leges, n.* 18. in suis locis communibus, & verb. *Masculus, num.* 3. & citat text. & Doctores dicentes quod inclusio vnius est exclusio alterius. Videatur etiam optimè ad idem intentum Sylvester 1. *part.* verb. *statutum, quæst.* 3. vbi citat legem ciuilem dicentem, quod id quod in lege omissum est, pro omisso haberi debet. At Papa in duabus Bullis istius Congregationis pro electione Prælatorum facienda solum facit mentionem de electione secreta per suffragia singulorum Fratrum: ergo in illa non habebit locum electio per Compromissarios,

quæ

quæ est diuersa nimis ab electione per Scrutinium secretum.

Secundo dico, in eligendis his quatuor Compromissariis interueniſſe errorem iuris, seu contra ius: nam dato, quod eligi possent Compromissarij, isti Compromissarij non poterant eligi à solo Visitatore, & Prælato generali istius Congregationis, sed debuerunt eligi à singulis Religiosis totius Congregationis, qui sunt electores in omnibus electionibus istius Capituli. Probatur clarè ex cap. *Quia propter de elect.* vbi cum prius dixisset quod pro electione facienda vocentur omnes electores, & sint præsentes, tunc assignat illis primam formam eligendi per Scrutinium secretum, Deinde ait quod si noluerint eligere per scrutinium secretum, eligant (omnes scilicet, quos prius vocari iussit per Compromissarios, vbi clarè supponit electionem per Compromissarios faciendam esse ab illis omnibus qui solent eligere per scrutinium secretum. Ad hoc enim facit directè *Regula iuris in 6.* Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Eligere enim Prælatum per Compromissarios pertinet ad bonum commune omnium electorum, & proinde ad eligendos Compromissarios omnes electores debent vocari, sicut vocantur ad eligendum per scrutinium secretum. Et hoc in terminis practicatur in Ordine Patris Nostri Franciſci, in cuius Capitulis Prouincialibus primo omnes electores præsentes eligunt solum Prouincialem per formam scrutinij secreti, quæ est prima forma assignata in citato cap. *Quia propter, de elect.* Deinde illi omnes electores Capituli eligunt quatuor Diffinitores, qui sunt Compromissarij in quos totum Capitulum compromittit, vt ipsi soli postea eligant Prælatos locales, qui sunt Goardiani.

Tertio

Tertio dico. In his electionibus clarè violatas fuisse duas illas Bullas Pontificias expresse vetantes ne in electionibus istius Congregationis præcedat aliqua nominatio, vel præsentatio alicuius designatæ personæ,& quòd secus factum sit irritum,& nullum,vt patet clarissimè in textu Bullarum. At prædicti Prælati, & quatuor Compromissarij scribentes ad Prælatos locales ante Capitulum,nominarunt,ac designarunt particulares personas,seu patres pro singulis officiis,& Prælaturis eligendos. Et proinde citatæ Bullæ Pontificiæ clarè violatæ sunt. Qua de causa in hoc puncto non est necesse plura adducere.

Vltimo dico in hac nominatione, ac designatione illorum quos eligere deberent singuli electores Conuentuum, clarè violatum est ius naturale, & Canonicum dicentia, quod electio debet esse libera, & sine coarctatione ad vnum, duos, vel tres. Hi vero patres Compromissarij coarctarunt electiones omnes faciendas ad vnum tantùm eligendum, quem vnum solum eligendum nominarunt,& designarunt pro quouis officio,& Prælatura. Probo hoc imprimis ex Rodriguez *tom.2.qq.Regular.q.51.* vbi postquàm art. 10. probauit clarè electionem debere esse liberam, in art.11. inde probat non posse coarctari electionem ad duos, vel tres,vt scilicet electores eligant solum vnum ex duobus,vel tribus designatis: & ait electionem sic factam, & coarctatam esse nullam ex defectu libertatis.Pro quo dicit se vidisse propriis oculis in Ordine Minorum declarari tanquam nullas electiones duorum, vel trium Goardianorum,qui electi fuerant proponente præside duos vel tres tantum, ex quibus solis eligendus esset quiuis Goardianus. Et citat pro se ibi Doctores. At in ista electione de qua agimus, prædicti Compromissa-

rij

rij modo prohibito electi, assignarunt,& nominarunt pro singulis Prælaturis eligendos, non duos, vel tres: sed vnum tantùm quem deberent eligere singuli electores Conuentuum pro singulis Prælaturis, quæ coarctatio maior est, videlicet ad vnum tantùm, quàm illa, de qua agit Rodriguez ad duos, vel tres tantum. Tandem probo ratione Theologa, quod quando electio coarctatur ad vnum non detur libertas requisita ad electionem. Probo ex iis quæ doctè tradit Azor *tom.1. Moral.lib.1.cap.25.quæs.1.* vbi agens de libertate voluntatis nostræ, dicit primo quòd electio requirit consultationem rationis circa media conuenientia ad finem. Secundo,quòd post consultationem mediorum variorum ad finem, voluntas eligit medium conuenientius relictis illis mediis,quæ iudicat inutilia. Itaque ad liberam electionem requirit Azor ex Aristotele, quòd dentur multa media ad finem,de quibus consultet ratio, & voluntas, & relictis aliquibus eligat vnum:alias non dabitur propriè electio voluntatis. Si enim pro assequendo certo fine, non detur nisi vnum tantum medium, non dicitur ibi voluntas consultare de medio, quod eligat, sed ferè cogitur ad eligendum vnicum illud medium pro illo fine assequendo: & sit exemplum. Ex Olyssipone volo ire in Insulas Tertiarias,non est aliud medium eundi nisi per nauem. Tunc non consulto rationem an possim ire pedibus propriis, an vectus equo, curru,vel lectica,quia non datur aliud medium nisi nauigium: & proinde ibi non cadit consultatio, nec electio medij. Eodem modo si mihi in electione facienda proponatur vnus tantùm eligendus,ita vt alium non possim eligere:quomodo ibi potest interuenire electio libera? Quomodo possum consultare rationem an iste sit doctus, prudens, virtute

prædi

prædictus: si alium præter hunc non possum eligere? Cùm ergo pro singulis Prælatis eligendis in electione, de qua agimus, vnus tantum propositus sit eligendus pro singulis Prælaturis, clarè constat electiones fore nullas ex defectu libertatis in voluntate.

CASVS XLIX.

Explicatur quædam Bulla Martini Quinti circa dispensationem pro dicendis horis Canonicis.

PApa Martinus V. in compendio Mendicantium, verb. *Infirmi fratres*, concessit PP D Hieron. in hunc modum. *Quòd fratres S. Hieronymi dum fuerint infirmi, & etiam senes, & valetudinarij, qui tenentur ad horas Canonicas, satisfaciant recitando aliquos Psalmos, vel id quod suis confessoribus visum fuerit.* Sic ibi.

Hoc posito quæsitum fuit an ad vtendum tali priuilegio necessarium sit, quod Religiosus talis Ordinis habeat simul iunctas illas omnes conditiones: videlicet, quod sit infirmus & senex, & valetudinarius, (id est, quod sit in conualescentia præteritæ ægritudinis) vel an sufficiat quæuis tantum conditio ex illis assignatis: ita vt sufficiat quod solum sit senex, vel solum quod sit actu ægrotus, vel quod sit solum valetudinarius, seu conualescens ex morbo præterito? Quod vero ad validitatem priuilegij requiratur, quod Religiosus habeat illas omnes conditiones simul iunctas, videtur probari, quia ibi Papa bis ponit particulam, *Et*, copulatiuam. Particula vero copulatiua coniungit dicta, & senten-

tias præcedentes cum sequentibus, vt constat ex prax Iu starum,& Latinorum. Secundo probatur, quia priuilegium contra ius commune debet restringi, vt omnes Doctores concedunt: sed hoc priuilegium concedit aliquid contra ius commune, quo Religiosi tenentur dicere horas Canonicas: ergo est restringendum vt minus lædat ius commune quam fieri possit: & proinde particula, *Et*, intelligenda est copulatiuè, vt iungat simul omnes illas conditiones, sic enim minus lædet ius commune recitandi. Ac proinde vt hoc priuilegium valeat, & Religiosus possit dispensari, debent copulatiuè concurrere omnes illæ condiriones: vt sit infirmus, & senex, & valtudinarius.

Quo non obstante dico, ad hoc vt Religiosus dictæ Religionis per hoc priuilegium ritè dispensetur, non requiri vt omnes illæ tres conditiones simul concurrant: sed sufficit quod vna tantum in illo inueniatur, si videlicet solum sit actu infirmus, vel solum senex valdè, vel solum valetudinarius. Probo primo hac ratione Theologa, & Iuridica: nam si omnes illæ conditiones simul deberent concurrere, vt Religiosus posset dispensari in Officio diuino, vt scilicet esset simul & senex, & infirmus, & valetudinarius: parum, vel nihil fauoris Papa in eo concederet Religioso, cum solum ob actualem infirmitatem Religiosus excusetur à recitando diuino Officio, nec priuilegio indigeat. At de Principe sperandum est, quod in suo priuilegio aliquem fauorem partieularem subdito indulgeat. Et hoc magis probabitur, & euidentius confirmabitur ex solutione duorum argumentorum positorum in contrarium.

Ad primum ego argumentum in contrarium, dico quod Particula, *Et*, copulatiua sæpius in materia Legum,

gum, & Bullarum accipitur disiunctiuè, vt idem sit quod particula disiunctiua, *Aut*, seu *Vel*. Habet hoc expresè Nauarr. citatus à Rodrig. *tom.3. qq.q.17.art.19. § ad Argumenta*, vbi etiam citat Panorm. Idem tenet Rodrig. *eodem tom.3.q.29.art.14.§. Non obstat*. Idem tenet Comitolus *in Respons. Moral.lib.7.q.9.n.4 & lib.1. q.9.num.2.* & ambo hi Doctores tradunt ad hoc exempla. Si vero in aliqua materia particula, *Et*, sumi debet disiunctiuè, est in hac præsenti, ob rationem supra tactam, videlicet quia aliàs paruum, vel nullum fauorem Papa concederet, si sumatur copulatiuè.

Ad secundum argumentum dico primò, istam concessionem Martini V. non esse priuilegium, sed esse potestatem concessam ad dispensandum cum Religiosis in obligatione diuini Officij, quando illud difficilè possunt recitare, vt patet. Ait enim Papa se concedere Religiosis S. Hieronymi, vt possint illorum cófessores dispensare in diuino Officio, tali vel tali causa existente. Dispensatio vero est quid distinctum à priuilegio, vt Doctores dicunt communiter. Maximè vero inter alia differt priuilegium à dispensatione, quia hæc vt detur requirit iustam causam ad dispensandum, priuilegium vero vt concedatur non requirit causam, sed solam liberalitatem Principis concedentis. Cum ergo Papa Martinus V. in ista concessione attendat ad causam infirmitatis, senectutis, &c. fecit potestatem dispensandi, non vero concessit priuilegium. Hoc posito constat quod licet dispensatio actualis iam data, sit stricti iuris & strictè interpretanda: potestas tamen cócessa ad dispensandum est amplè interpretanda, vt tenet Sanchez *lib.8.de Matrim.disp.2.à n.1.* multa, & multos adducens ad id confirmandum. Cum ergo ista concessio Martini V. sit potestas data confessoribus dicti Ordinis

ad dispensandum in Officio diuino, hæc potestas est amplè & largè interpretanda; ita vt particula copulatiua, *Et*, sumatur disiunctiuè, & non copulatiuè. Secundò respondeo ad idem secundum argumentum: quod licet ista concessio Martini V. esset priuilegium non vero facultas dispensandi, adhuc istud priuilegium esset amplè interpretandum, non vero strictè: quia scilicet hoc priuilegium non est concessum vni Religioso particulari, sed toti Religioni in communi. Probat hoc Sanchez *lib.8.de Matrim.disput.1.num.13.* citans alios, & dicens quod priuilegium etiamsi sit contra ius commune; si sit concessum toti Religioni, non vni particulari, est amplè & largè interpretandum. Inter alia id probat Sanchez, quia quando priuilegium non conceditur vni vel alteri particulari, æquatur legi: ac proinde habetur, ac si in corpore iuris insertum esset, sunt enim constitutiones perpetuæ. Idem tenet Henriq. *lib.7. de indulg.cap.22.num.3.& 4.* vbi citat alios. Cum ergo ista concessio (dato quod sit priuilegium) non sit concessa vni particulari, sed toti Religioni, debet interpretari largè & amplè, & proinde particula, *Et*, copulatiua, debet accipi pro disiunctiua in fauorem totius Religionis. Sub censura, &c.

CASVS L.

De quadam fœmina, quæ emisit votum castitatis cum certa intentione & circumstantia.

QVedam fœmina post annos pubertatis ob nimium desiderium quod habebat intrandi Monasterium Monia

Monialium,& in illo profitendi, fecit votum caſtitatis in animo habens quod illam ſeruatura erat in Monaſterio: non vero manens in ſæculo ob difficultatem illam ſeruandi extra Mõnaſterium,maximè quia iam nõ habet matrem. Pater huius fœminæ, ſciens de voto caſtitatis,approbauit,& conſenſit in illo. Poſt aliquod tempus filia per ſe, & per ſuos confeſſores procurauit coram patre, vt operam daret, & media adhiberet,vt poſſet illa ingredi Religionem vbi votum caſtitatis emiſſum obſeruaret. Pater reſpondit reſolutè, quod illa viuente ſe patre non erat ingreſſura Religionem. Quo viſo,illa carens matre, & timens ſe poſt mortem patris manſuram ſolam abſque matre,& abſque perſona ſuam honeſtatem curante, vult ſtatim de præſenti contrahere matrimonium, & ad hoc contrahendum ab aliquibus ſollicitatur. Quæritur primo,an pater illius poſſit licitè illam matrimonio locare? Secundo, an illa poſſit licitè matrimonium contrahere, viſa reſiſtentia patris ad profitendum? Tertio, an poſt mortem, patris teneatur intrare Religionem, vt in illa melius votum caſtitatis emiſſum obſeruet? Quarto, an hodie poſſit cum illa diſpenſari,vt nubat,viſa impoſſibilitate morali ad profitendum in Religione?

Ad primum dico: patrem iſtius puellæ ſcientem de voto filiæ,peccaturum mortaliter ſi ſtante prædicto voto eam velit matrimonio copulare. Conſtat clarè,quia in ea ſic maritanda eſt cauſa euidens vt filia violet votum caſtitatis:idque tum maximè, quia pater non habet poteſtatem irritandi hoc votum perſonale emiſſum à filia poſt annos pubertatis; vt omnes Doctores affirmant in materia de voto. Addo,quod cum pater in hoc voto conſenſerit, & ſciat filiam illud feciſſe intuitu Religionis, videtur teneri ſub eadem obligatione pec

cati dotare filiam pro ingreſſu Monaſterij, ſi habeat facultates, & diuitias vt poſſit illi dotem dare neceſſariam ad profitendum in Monaſterio. Qui enim conſentit in cauſa, conſentit in effectu, vel ſaltem in re annexa illi rei cui conſenſit. Iam verò ingreſſus Religionis eſt quid annexum vt votum caſtitatis melius ſeruetur. Addo quod pater non poteſt impedire ne filia intret Monaſterium, & in illo profiteatur; nam ſi id impediat, incurrit anathema poſitum à Concilio Tridentino *ſeſſ 25. c. 18. de Regul.* contra impedientes virgines volentes intrare Religionem.

Ad ſecundum dico. Quod quamuis pater iſtius fœminæ contradicat ingreſſui in Monaſterium, illa non poteſt hodie licitè matrimonium contrahere. Probatur primo, quia per matrimonium clarè violat votum caſtitatis vt patet. Secundo, quia vnuſquiſque tenetur facere quantum in ſe eſt, vt ſeruet votum emiſſum: & in caſu quo votum emiſſum fuerit conditionale (vt fortè hoc fuit) tenetur ipſe facere ne poſita conditio ſua culpa eueniat, vt Doctores tradunt in materia de voto conditionali. Sed iſta fœmina poteſt expectare mutationem voluntatis paternæ, ſi illi dicatur quod peccat, & incurrit anathema Tridentini ſi impediat ingreſſum illius in Religionem. Poteſt item expectare mortem patris, vt illo mortuo intret liberè Religionem; ergo hæc duo tenetur expectare vt poſſit ſuum votum caſtitatis implere: votum enim caſtitatis valdè obligatorium eſt, & pro illo implendo debet fieri omnis diligentia poſſibilis. Neque nouum eſt vt quis pro obligatione conſeruandæ caſtitatis in non nubendo teneatur expectare aliquod tempus, vel etiam mortem alterius abſtinendo à matrimonio. Sit primum exemplum. Quando duo coniuges ob diſcordias obtinent

nent à iudice Eccleſiaſtico ſententiam diuortij: ne manentes ſeparati, vnus non poteſt ſecundum matrimonium contrahere, ſed debet expectare mortem alterius, vt poſſit nubere: ergo à ſimili, iſta fœmina habens vinculum voti ſimplicis, non poteſt nubere, cum poſſit expectare mortem patris vt ſit Religioſa: maximè cum votum caſtitatis de ſe poſſit ſeruari extra Religionem; vt patet in multis (etiam coniugatis) qui illud ſeruant extra Religionem. Secundum exemplum ſit. Duo contraxerunt matrimonium ratum in facie Eccleſiæ coram Parocho. Eo ſic rato tantum contracto, & non conſummato, alter illorum conuolauit ad Religionem. Et quamuis profeſſio ſolemnis Religionis dirimat matrimonium ratum ſolum: ille ex his duobus coniugibus qui manſit in ſæculo non poteſt ſtatim ſecundo nubere, ſed debet expectare profeſſionem alterius vt poſſit nubere. Non eſt ergo nouum, vt obligetur quis expectare tempus, vel mortem alterius vt poſſit ſuæ obligationi ſatisfacere, ſi aliter illam non poteſt implere.

Ad tertium dico hanc fœminam ex vi ſui voti caſtitatis non teneri ingredi Religionem, vt in illa melius ſeruet votum caſtitatis emiſſum. Probo, quia imprimis votum caſtitatis ex ſe obligat tantum ad caſtitatem ſeruandam, quæ poteſt ſeruari extra Religionem: neque tantum onus, quale eſt iugum Religionis obligat ex ſe vouentem ſolam caſtitatem. Sic tenet Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp. 34. num. 3.* in ſimili ferè materia. Et probatur illo axiomate adducto ex Ariſtotele. Actus agentium non extenduntur vltra intentionem illorum, vt habetur in l. *non omnis*, *ff. ſi certum petatur*. Item non tenetur hæc fœmina intrare Religionem ex eo quod nimis deſideraret fieri Monialem, &

fecit votum castitatis intentione seruandi illud in Religione: nam habere desiderium profitendi in Religione vel habere intentionem seruandi castitatem in illa, non est vouere Religionem. Votum enim est promissio clara, & expressa facta Deo: & proinde solum desiderium, vel intentio alicuius rei, non est votum, vt omnes Doctores dicunt in materia de voto: & proinde id quod dixi supra, debere hanc fœminam expectare mortem patris, vt ipsa possit implere suum votum intrando Religionem, dixi, non quod ad talem ingressum teneatur ex vi voti castitatis præcisè: sed ex sua intentione, quam formauit, & ob maiorem securitatem, quam habere potest seruandi illud in Religione existens.

Quartum quæsitum petit, an hæc fœmina hodie, visa resistentia patris possit habere aliquod remedium dispensationis, vt secum dispensetur pro matrimonio contrahendo? Ego saluo meliori iudicio, credo, quod si ista fœmina certissimè sciat, quod per mortem patris non debet habere hæreditatem, possessiones, nec pecunias quas possit donare Monasterio pro sui receptione ad dotem consuetam Monialis, in tali casu poterit Episcopus, vel confessor Regularis per sua priuilegia dispensare vt possit matrimoniū contrahere. Moueor, quia votum castitatis quod emisit non fuit absolutum, sed conditionatum. Non enim dixit absolutè, voueo castitatem, sed animo addidit, in Religione seruandam: quod in rigore fuit conditio addita, ac si diceret, voueo castitatem si intrauero Religionē. Illa enim fatetur quod non voueret castitatem, nisi intra Religionem seruandam: ergo votum illius fuit conditionale, non absolutum. Hic vero iterum inseruit Maxima illa proximè citata, quod Actus agentium non extenduntur

duntur vltra intentionem illorum: ac proinde, si promisit castitatem solum in Monasterio seruandam, non promisit castitatem absolutè, sed solum conditionatè, videlicet in Monasterio. At ista conditio intrandi Monasterium est reddita impossibilis, vt supponimus, eo quod illa per mortem patris non habet dotem soluendam Monasterio pro sui receptione ad habitum: ergo existente hac conditione impossibilitata intrandi Monasterium suum votum conditionatum pendens ab ista conditione impossibili, poterit facilius dispẽsari. Quod autem votum castitatis, & quodcumque aliud seruatum Papæ, si sit votum conditionale tantùm, careat seruatione, & possit dispensari ab Episcopo, vel ab habente ad id priuilegium, antequam conditio voti impleatur: tenet Sanchez *lib.4. Decalogi, cap.40. num.99.* pro qua opinione citat Toletum, Antonium Gomez, Petrum Ledesma: & ait esse receptam à viris doctissimis. Idem tenet Vega Minimus *2.p.Sum.* ver. *votum casu* 10. & Villalobos *2.part.tract.34. difficult.36. num.10.* & Lessius *tom.de iust. lib.2.c.40. num.131.§. Verum & sit.* quod citati Doctores probant sufficiẽtibus fundamentis, quæ omitto breuitatis gratia. Et proinde poterit quis securè tot, & talium Doctorum opinioni acquiescere, vt credat quod Episcopus possit dispensare in voto conditionato istius fœminæ. Quod si Episcopus id potest, possunt etiam Confessores Regulares per priuilegium Martini V. concessum Patribus Benedictinis Montis Serrati, quod refert Sanchez *lib.8. de Matrim. disput.16.n.1.* & Capuccinus *in suis Addit. ad compendium*, ver. *dispensatio, titulo ex priuilegiis S. Bernardi*, §. *Iulius* II. per quod priuilegium conceditur dictis Patribus D. Benedicti facultas absoluendi, & dispensandi cum sæcularibus in casibus, & votis Episcopis reser-

uatis. Quo priuilegio gaudent omnes Mendicantes, & cæteri qui habent communicationem priuilegiorum cum dictis Patribus. Et per Bullam Cruciatæ poterit quilibet confessor approbatus, prædictum votum castitatis conditionatum, non dispensare, sed commutare in fauorem Cruciatæ iuncta sufficienti eleemosyna, vt notat Sanch. *cit. disp. 16. n. 2.* & Vega *cit. casu* 10. & alij.

CASVS LI.

An possit Prælatus Regularis punire subditum suum culpatum ob peccatum nefandum.

QVidam Prouincialis visitans ex officio Prouinciam inuenit subditum culpatum in crimine nefando, fecit processum contra illum, eóque vocato dedit illi articulos culparum. Paulo post antequam illum puniret inuenit quod idem culpatus protulit ore quandam propositionem hæreticam in quadam occasione eiusdem criminis nefandi. Quæritur quid facere debeat Prouincialis circa hæc duo delicta subditi?

Primo dico, quod attinet ad propositionem hæreticam non posse Prouincialem illum punire, imo nec citare vt audiatur, sed debet illum statim remittere ad Inquisitores fidei, mittendo ad illos processum illius delicti hæretici, si quem fecit, &c. spectantia, ad illius probationem: sic decreuit expresse D. Papa Paulus V. in Bulla propria concessa Inquisitoribus sancti Officij anno 1606. kalend. Septembris, adhibitis grauissimis pœnis contra superiores Religiosorum intromittentes se vlterius

vlterius hac de re in ſuis ſubditis eóſque non deferentes illico ad ſacrum tribunal: citat Valle de Enſalmis *fol.* 441. *col.* 1. *in fine.* Quod cum ſit Decretum Papæ, & adeo clarum, non eſt quod circa illud aliquid addamus.

Tota dubitatio eſt de alio delicto iſtius ſubditi, videlicet nefando. Primo enim quæritur, an poſſit Prælatus Regularis in hoc Regno Portugalliæ ſuum ſubditum propter illud punire; conſtat enim Inquiſitores fidei in hoc regno habere priuilegium conceſſum à Gregorio XIII. per quod inquirunt, & puniunt crimen nefandum, & proinde videtur illis hoc crimen reſeruari, ita vt Prælati Regulares non poſſint illud in ſuis ſubditis punire. Et quidem Valle de Enſalmis *ſect.* 3. *cap.* 1. *num.* 14. citans illam Bullam Gregor. XIII. ait in illa concedi Inquiſitoribus pleniſſimam poteſtatem puniendi hoc crimen etiam priuatiuè ad omnes alios iudices, & ſuperiores Eccleſiaſticos, cumulatiuè tamen ad ſæculares poteſtates. Quibus verbis clarè innuit alios Iudices Eccleſiaſticos etiam Epiſcopos reſpectu Clericorum, & Prælatos Regulares circa ſuos ſubditos non poſſe cognoſcere de crimine nefando, cum dicat id concedi Inquiſitoribus priuatiuè, id eſt, priuando iudices Eccleſiaſticos iuriſdictione ad cognoſcendum de illo. Mitius tamen in hac materia locutus eſt, ac ſenſit Pater Frater Antonius de Souſa in ſuo libro *de ſollicitat.io fœminarum in confeſſionis Sacramento, tract.* 2. *cap.* 2. *num.* 23. vbi cùm ſit Conſiliarius ſupremi Tribunalis ſancti Officij, clarè dicit poſſe Prælatos Regulares contra ſuos ſubditos in hoc crimine procedere, & ſententiam diffinitiuam ferre: dicens quod in commiſſione citata facta à Papa Inquiſitoribus non coarctatur poteſtas ordinaria Prælatorum

latorum ad puniendum hoc crimen: ſicut non coarctatur poteſtas iudicum ſæcularium, qui non obſtante citata Bulla quotidie de hoc delicto cognoſcunt, & illud puniunt: in quo Prælati Regulares non debent eſſe peioris conditionis quam poteſtas ſæcularis, & proinde ait Pater Souza hoc crimen hodie eſſe mixti fori, & reuera ex tenore commiſſionis factæ à Gregorio XIII. Inquiſitoribus ad cognoſcendum de nefando, quam tranſcribit idem Valle citato *cap.* 1. *n.* 16. nullum verbum ponitur ex quo colligatur hoc illis concedi priuatiuè, priuando Prælatos alios Eccleſiaſticos iuriſdictione ordinaria ad cognoſcendum de illo. Sed ſolum colligitur quod Papa hoc concedit dictis Inquiſitoribus cumulatiuè, vnde non priuantur Prælati Eccleſiaſtici ad cognoſcendum de eodem nefando, & illo puniendo. Et confirmat idem Pater id ipſum hac ratione, quia ſcilicet crimen nefandum non eſt ſuſpectum de fide vt ſoli Inquiſitores de illo poſſint cognoſcere. Si enim hoc crimen eſſet ſuſpectum de fide, non poſſent vllo modo iudices ſæculares de illo cognoſcere. Idem tenet D. Archiepiſcopus Cunha *in lib. de ſollicitat. fœminarum in confeſſ. q.* 2. *n.* 19. dicens poſſe Epiſcopos punire hoc crimen præuenta cauſa.

Quo ſuppoſito manet clarum, quòd poteſt Prælatus Regularis hodie præuenta cauſa punire hoc crimen in ſuo ſubdito, nec teneri illum deferre ad ſacrum tribunal pro hoc delicto. Vt autem euitentur dubia, quando nam in crimine mixti fori dicatur cauſa præuenta iam in priori Prælato præueniente, dico quòd per ſolam citationem rei præuenitur cauſa: ſic habetur expreſsè in cap. *Gratum gerimus, de offic. & poteſt. iudicis deleg.* & tenent Riccius 4 *part. Deciſionum, deciſ.* 1148. citans alios. Et Prælatus Regularis, de quo agimus iam,

citauit

citauit istum reum. Item quòd etiam non citato reo, sed per solam inquisitionem factam contra illum præueniatur causa, habetur *in lib.2. Ordinat. istius Regni, tit.9.§ 3.* & Cunha *cit.lib. quæst.3.num.13.* loquens de alia causa præuenta pertinente ad sanctum Officium, quæ est similis isti. At Prouincialis, de quo agimus iam fecit inquisitionem particularem circa crimen nefandum istius Religiosi: ergo iam præuenit causam, & proinde potest illum punire, non obstante quod aliàs habet crimen hæresis deferendum ad sanctum Officium eo modo quo supra dixi. Et proinde potest Prælatus Regularis talem subditum carceri mancipare, paratus tamen illum reddere Inquisitoribus, si illum reposcant, puniendum ob delictum fidei. Neque his à nobis dictis obstat, quod iste Religiosus dixit hanc propositionem hæreticam in occasione patrandi criminis nefandi: hanc enim dixisse in illa occasione, non mutat naturam peccati nefandi, neque aufert à Prælato Regulari suam potestatem ordinariam puniendi hoc crimen nefandum: & proinde satisfacit suæ obligationi denunciando de illo, & mittendo processum de hæresi ad Inquisitores, interim puniendo nefandum sicut potest.

CASVS LII.

Priuilegia viuæ vocis oraculo.

DOminus Papa Gregorius XV. reuocauit omnia priuilegia concessa cunctis Religionibus viuæ vocis oraculo. Quo non obstante Papa D. Vrbanus

nus VIII. eadem priuilegia viuæ vocis oraculo conceſſa reualidauit, & confirmauit Religioni Societatis IESV, anno 624. 19. die Aprilis: idque confirmauit abſolutè, ſine vlla clauſula excluſiua cæterarum Religionum. De hoc, ſcripto ſuo teſtimonium perhibuerunt quidam Pater Prouincialis, & alius Pater grauis eiuſdem Societatis, quorum teſtimonia manu propria ſubſcripta ego vidi. Vnde non poteſt eſſe dubium quod cæteri communicantes in priuilegiis cum Patribus eiuſdem Societatis IESV, gaudeant priuilegiis ſibi conceſſis per viuæ vocis oraculum. Sub cenſura, &c.

Omnia ſupradicta in hoc libro ſubiicio cenſuræ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & correctioni rectiſſimi Tribunalis Sancti Officij.

Frater LAVRENTIVS
DE PORTEL.

LAVS DEO.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM, QVÆ CONTINENTVR IN HOC LIBRO.

A



BBATISSA poteſt eſſe Monialis, quæ eſt illegitima, idque ſine diſpenſatione Prælati. fol.766.toto caſu 25. Poteſt etiam Bigama eſſe Abbatiſſa. fol.769.n.4

Abbatiſſa poteſt eligi Monialis attingens tantum annum quadrageſimum, licet non habeat illum completum. fol. 97. & ſeq.

Abbatiſſa an poſſit alienare rem relictam Monaſterio cum clauſula ne vnquam alienetur, ſi res eſt hodie inutilis cum licentia debita. fol.126.& ſeq.& ibi ponuntur inſeruientia pro alienatione rerum Eccleſiæ.

Abbatiſſa dans profeſſionem Nouitiæ non admonito prius Epiſcopo iuxta Decretum Tridentini, poteſt puniri ab Ordinario, ſed tamen profeſſio facta valida eſt. fol.64

Abſolutio, vel diſpenſatio Epiſcopi conferentis Ordines, vel Prælati in Capitulo Prouinciali, quid operetur

retur circa præsentes. fol.3.& seqq.
Abortum causans, quando se debeat reputare irregularem. fol.681. & seqq. Et huius occasione dicitur quòd anima fœminæ non infunditur die octuagesima,vt opinio populi dicit,sed die quinquagesima,& aliquando ante. fol.79
Actus actiuorum quando intelligantur fieri vltra intentionem agentis. fol.702.n.4
Actus agentis præsumitur fieri eo modo, quo est vtilior agenti: idque pro obligatione scrupulosi. fol.444
Actus de se nullus, factus cum prauo animo punibilis est. fol. 101
Adulterium an committat fœmina, quæ à parte rei est vxorata,sed nulliter ob impedimentum. fol.874
Aduocatus dandus est reo Religioso: & an dandus sit Aduocatus sæcularis si petat. fol.209
Aduocatus non dicitur qui domi suæ consulit.fol.753. num.2
Arrhas quomodo amittat mulier non tradens dotem marito. fol.721
de Alienatione rei Ecclesiasticæ apud Moniales. fol. 126
Appellare potest quilibet de Capitulo pro bono communi,& etiam pro bono particulari. fol.92
Appellatio à grauamine, vel ab interlocutoria facienda est in scriptis, & exprimi debet causa appellationis. fol.136.n.2
Appellatio,& recusatio in quo differant. fol.168.n.3
& an recusatio poni debeat in scriptis. fol.172.n.6
Appellationem,& recusationem friuolam potest iudex per se solum reiicere. fol.171
Appellatio friuola quæ sit,fol.151. & à lege,vel statu-

to non poteſt apppellari. ibid.
Appellatio poteſt fieri facto ſine verbis, arrepto itinere ad ſuperiorem, ſi verbo non admittatur. fol.617

B

BEneficium, vel officium prius obtentum nulliter, ob impedimentum annullans collationem, quomodo poſſit reualidari ſine noua collatione. fol.3. & ſeqq.
Beneficium iam poſſeſſum non admittitur per irregularitatem ſuperuenientem: & an poſſint renunciari, vel poſſint fructus percipi. fol.682.& ſeqq.
Baptiſmus datus à Clerico Iudæo, an poſſit reiterari. fol.221.toto caſu 28. & multa dubia inde orta.
Baptizatus nulliter detecto errore cogendus eſt profiteri legem Euangelicam, & iterum baptizari. f.240
Bigamus ſi ordinetur, & celebret quas pœnas incurrat. fol.16.& ſeqq.
Bulla Pij V. concedens Religioſis multa priuilegia non eſt reuocata per Gregorium XIII. f.490.n.6
Bulla Pij V. de cenſibus, an obliget in Hiſpania maximè quando emitur cenſus non numerata pecunia, fol.711.& ſeq. Et alia ibid. de cenſibus.
Bulla Papæ miſſa ad vnum Regnum quando obliget in aliis Regnis. f.518. & ſimiliter de epiſtola Papæ quando obliget vbique. ibid.

C

CAnonica portio, ſeu quarta funeralis, de quibus ſit ſoluenda. f.387.& ſeq.
Non poſſunt Clerici obligare hæredes defuncti ſepulti apud Religioſos, vt tot officia, vel Miſſas faciant

celebrari in Ecclesia Parochiali, quot defunctus dici ussit in Monasterio in quo fuit sepultus. fol. 388. & seq.

Capitulum Sede vacante succedit in omni iurisdictione, quam habebat Episcopus mortuus etiam à Concilio Tridentino. fol. 410. n. 1

Causa cessante cessat effectus, quomodo intelligitur. fol. 469

Causa commissa alicui censentur committi omnia necessaria ad executionem causæ. fol. 168

Captiui remigantes in triremibus Turcarum, qui sunt Catholici, & hi remigant contra Christianos non peccant neque sunt excommunicati. f. 371. n. 6

Clausula ista, Aliter non fiat, vel nullus faciat, an annullet actum. fol. 507

Clerici voabulum aliquando comprehendit Religiosos. fol. 276

Conditio & modus in quo differant in donationibus, & contractibus. prima part. tot. casu 3

Conatus solus ad crimen effectu per accidens non secuto, an sit puniendus pœna ordinaria. fol. 200. & seqq.

Concilio generali non derogatur per derogationem generalem Bullæ Papalis, nisi id Papa exprimat. fol. 463

Confirmatio statuti facta à Papa in forma communi, si non addat, ex certa scientia, nullum robur addit statuto confirmato præter antiquum. fol. 452

Confessor Regularis approbatus, & à Prælato iussus ne audiat confessiones, peccat, sed confessiones validæ sunt. fol. 63

Confessio rei facta per metum, fraudem, & inuoluntariè illi non nocet in iudicio. fol. 214. & toto casu

casu 23.fol.465
Confessores electi ab vno Prouinciali ex compromissione Diffinitorij in Ordine Minorum, an fuerint validè electi. f.503.& seqq.
Conceptio B. Mariæ liberatur ab aliquibus calumniis cuiusdam Doctoris, f.533. & multis sequentibus.& multa circa illam.
Illius festum est ab Ecclesia canonizatum.f.558 Et quid sit canonizare Sanctum, vel canonizare festum. ibid.
Lutherus & Erasm. illam esse immaculatam dixerunt. fol.565
Illius diffinitionem petere à Summ.Pontifice est zelus fidei. fol.570.n.34.& seqq. & quam authoritatem habeant Laminæ repertæ in Monte Sancto Granatæ loquentes de Conceptione immaculata. fol.573. & seqq.
Est materia voti & iuramenti, dicere: Voueo me defensurum, & confessurum quod Deiparæ Conceptio fuerit inmmaculata.fol.536.tota ibi quæstione de hoc per numeros 7. & quæ conditiones requirantur ad materiam voti, & iuramenti, ibidem num.2
Census emptus absque conditionibus requisitis in Bulla Pij V. quomodo sit validus in foro conscientiæ,si aliàs seruentur conditiones iuris naturalis, & iustitiæ. fol.704.& seq.
Commendam vendere non est materia simoniæ. fol. 718
Contractum faciens bona fide, si reperiatur quod sit contractus vsurarius,quid facere debet,vel quid recipiet. fol.710.n.4
Consuetudo quid debeat habere, vt habeat vim legis.

fol.336.n.13. Et aliqua potest seruari Romæ, quæ non obligat in Hispania. fol.554
Conseruator esse potest Prælatus Regularis Conuentualis vt Guardianus,& similes.fol.482.n.1.& seqq.
Crimen quod erat occultum, si licitè, vel illicitè fiat publicum,potest ac debet puniri. fol.178
Crimen occultum non potest Prælatus punire iuridicè. fol.213
Crimen committens ob quod imponitur pœna amissionis officij vel beneficij, non perdit officium, vel beneficium donec per sententiam iudicis declaretur. fol.499

D

DEbita contracta à Prælato,vel Prælata præcedente,pro bono communi Monasterij, soluere tenetur Prælatus succedens.fol.823.n.2.& 3.& quando tenentur soluere debita contracta à subdito.ibid.
Defensio naturalis quomodo possit fieri inculpatè, & de moderamine inculpatæ tutelæ. fol.633.n.13
Dicenti se habere commissionem ad aliquid agendum quod aliàs ex officio non potest, credendum non est nisi literas commissionis ostendat. fol.820.n.5
Denunciare iussus in termino certo quomodo debeat computare dies mandati. fol.866
Dispensare potest Prouincialis cum subdito irregulari ex homicidio voluntario notorio. fol.689.& seqq. etiamsi fuerit propter abortum fœtus animati. Et possunt hoc alteri subdito committere.fol.694. Et data hæc dispensatio in Capitulo in communi valet. num.7
Dispensatio obtenta à Papa pro irregulari homicida Clerici

Clerici valida est, etiamsi homicida non expresserit quod Clericum occiderit. fol.690.n.3

Dispensatio vt vir nobilis nubat cum consanguinea, eo quod omnes fœminæ nobiles in suo oppido paruo sibi æquales sint suæ consanguineæ, est valida, etiamsi vna, vel altera oppidi non sint consanguineæ fol.647.& alia similia. fol.655.& seq.

Quando sit facienda expressio copulæ inter consanguineos pro Dispensatione impetranda. f.641. Et quando sit exprimenda copula habita inter consanguineos cum spe facilius impetrandæ Dispensationis. fol.648.& seq.

Quando in impetratione Dispensationis narrantur aliquæ causæ veræ ob quas solet dispensari, licet simul narretur aliquid falsum, Dispensatio tenet. fol.654. cum seq.& antecedentibus: & multa alia de dispensatione toto illo casu 8.

Dispensare potest Episcopus cum Clerico irregulari secreto ob homicidium casuale. fol.685.n.5. & quid de Commissario generali Cruciatæ in Portugallia. ibid.

Dispensator an teneatur semper imponere pœnitentiam dispensato. fol.8.& seqq.

Dispensare non possunt Regulares per sua priuilegia cũ bigamo Clerico vt ordinetur, vel vt ministret neque cum homicida sæculari. fol.10.& seqq.

Dispensare potest Episcopus, vel Prælatus Regularis in eo quod Papa noluit dispensare, si alias id possit Episcopus, vel Prælatus per sua priuilegia. fol.20. num.7.

Dispensare non potest Prælatus Regularis cum nouitio irregulari dum nouitius est. fol.26

Dispensatus legitimè in aliquo, repudians apud se tan-

cum dispensationem, potest postea eadem vti, sine nouo recursu ad dispensantem. fol.346

Dispensare possunt Episcopi,& Regulares per sua priuilegia cum sæcularibus in voto aliàs Papæ reseruato,si tale votum non sit absolutum,sed solum conditionatum.

Dolus quid sit,& quomodo electionem annullet. fol. 312

Dominium in re emphyteutica est duplex directum, & vtile:& quid sit vtrumque. fol.740.n.2

Diuortium factum inter coniuges facit reuocari donationes inter illos. fol.723.n.6

Vide. fol.723.n.6

Donatio quando sit conditionalis, quando vero modalis. fol.283.à n.2.& seqq.

Donatio potest fieri per epistolam missiuam. f.609.& toto casu 3.alia de donatione causa dotis, num.3.& & seqq.

Donatio acceptata, & possessa, non potest reuocari,& alia de donatione.fol.698.n.2.& fol.703.n.5.& fol. 812.n.1 & 2

Donans pro causa pia censetur donare irreuocabiliter. fol 813.& quando possit reuocari donatio. fol.814. num.2

Donatio omnium bonorum,quæ habet donator,quomodo sit licita: & quod in donatione attendi debet animus, & intentio donantis, & alia de donationibus. fol.888.n.1.& seqq.

E

ELectio in qua quis dat suffragium sine vllo discursu,vel per errorem non valet. fol.81.& seqq.

Electio Abbatissæ facta à Prælato Regulari sine schedulis obsignatis, valida est. fol.102.& seqq.
Vocati ad electionem, & nolentes venire renunciare censentur suo suffragio, nec vitiant electionem. fol. fol.249.n.4.
Pro numero computandorum suffragiorum in electione, vide duos casus. fol.255.n.12.& 13
Electio non potest coarctari ad duos, vel tres tantum. fol.895
Eligendi potestas, & consuetudo potest obtineri per trinum actum dandi suffragium. fol.263
In electionibus etiam Regularium, potest dari suffragium ab absente per procuratorem. ibid.
Electus concorditer, si ante confirmationem inueniatur culpatus, potest reprobari. fol.17
Electionis scrutatores quando res dubia fuerit de numero suffragantium, possunt iurare quot fuerint suffragia. fol.302.n.1
Electio publicanda est statim post factum scrutinium fol.305.n.5.
Electus si sit indignus, non notorius, debet prius audiri antequam excludatur. fol.306.& seq.
Eligentes indignum priuantur iure eligendi pro illa vice. fol.307.& seq.
Electus minus dignus, debet confirmari etiam si sint alij digniores. fol.308. Et ibid. dicitur quod electus per electionem habet ius ad rem.
Electionis præses non potest reiicere illum cui electores dant suffragia nisi sit indignus, & illum prius audiat. fol.417.n.1
Error quomodo annullet electionem. fol.313.ibid. dicitur quod errans non consentit.
Edicto publicato quod dabitur beneficium digniori

examinato,hic dandum ſub pœna peccati mortalis. fol.673.& ſeqq.

Emphyteuſis nominatio cum tranſlatione dominij, & reſeruatione fructuum eſt irreuocabilis: ſecus ſi fiat ſine his conditionibus. fol.738.n.1

Epiſcopus an poſſit diſpenſare in Bigamia. f.16.& ſeq.

Epiſcopus diſpenſat in impedimentis dirimentibus matrimonium ſi ſunt occulta, cum aliis circunſtantiis. ibid.

Poteſt excommunicare Religioſum Prælatum pro cauſa matrimoniali notitiæ. fol.19.& ſeq.

Epiſcopi olim multa inferebant grauamina Religioſis,propter quæ Eccleſia Religioſis conceſſit exemptionem ab illorum inriſdictione. fol.400.& ſeqq.

Epiſcopus non poteſt facere teſtamentum de rebus acquiſitis ex redditibus Eccleſiaſticis ſine expreſſa licentia Papæ.fol.596.n.2. Et quid poſſint donare in morte. ibid.

Epiſcopus ſucceſſor non eſt hæres anteceſſoris, neque illi ſuccedit vt hæres. ibidem. Nec tenetur ſoluere debita relicta à ſuo anteceſſore, niſi fuerint facta pro bono communi ſuæ Eccleſiæ. fol.599.num.5. & ſeqq.

Epiſcopus poteſt facere celebrari in ſuo Oratorio domus ſuæ.f.746.n.3.Et an poſſit concedere licentiam vt hodie quis celebret in Oratorio domus ſæcularis-ib id.

Epiſcopus poteſt diſpenſare cum ſubdito exiſtens extra ſuam diœceſem. Et poteſt cum eodem diſpenſare in aliquibus deductis ad forum contentioſum à Tridentino prohibitis, poſtquam tamen finitum eſt iudicium contentioſum. fol.871.n.6

Excommunicare non poteſt Parochus ſuum Parochianum.

num. fol.784.n.2
Duo excommmunicati Clerici percuſſores quando ſe poſſint adinuicem abſoluere licitè, & validè, ſi ſunt ſecreti. fol.507.& ſeq.maximè à n.3.& 6
Excommunicatus an poſſit abſolui à confeſſore extra Sacramentum Pœnitentiæ. fol.511.num.5
Excommunicatio poſita contra ſcientes, vel detinentes rem certam, non ligat illos, quos noluerit ligari impetrans excommunicationem. fol.516
Excommunicatus quando poſſit ſepeliri in loco ſacro, & quando poſſint pro illo Miſſæ celebrari. fol.657. toto caſu 10. Et quomodo vitari debeat.
Excommunicatus ſi moriatur cum vera contritione carens copia confeſſoris poteſt ſaluari, non obſtante excommunicatione. fol.672
Euchariſtiam poſſunt miniſtrare aliqui Religioſi ſæcularibus etiam extra ſuos Conuentus, in Oratoriis priuatis. fol.844.& ſeqq. Excepto die Paſchæ, & articulo mortis.
Quomodo, & quando Conuentus teneatur dare expenſas ad litem Religioſo litiganti contra Prælatum: vel pater filio, vel maritus vxori. f.825. & toto illo caſu 36.

F

FActa contra legem prohibentem quando valeant. fol.65.n.8.& fol.100
Filiusfamilias habet dominium peculij aduentitij, viuente patre: non vero vſumfructum. fol.7.& ſeq.
Filius quomodo peccet non obediens patri ſuadenti matrimonium particulare, vel nubens contra patris voluntatem. fol.619.n.2

I

IGnorantia facti quando detur. fol.219
Ignorantia excommunicationis positæ contra violantes præceptum naturale, excusat non à peccato, sed à censura. fol.376.
vna Iniuria compensatur per aliam iniuriam in foro externo ita vt deobliget à restitutione,& venia petenda,non vero à peccato. fol.624 & seqq.
Iniuriam prior inferens tenetur veniam petere ab iniuriato, quando ambo fecerunt iniuriam æqualiter. Si verò inæqualiter se iniuriarunt, debet prior veniam petere,qui grauius offendit. fol.625.& 733
Quæ liceant, vel non liceant homini iniuriato quoad offensæ remissionem, vel admissionem ad antiquam amicitiam. fol.625
Prius Iniuriatus si repercutiat minus punitur. fol.831
Illegitimus in Congregatione S. Ioannis Euangelistæ in Portugallia per solam professionem, dispensatus manet,non solum quoad Ordines, sed etiam quoad officia,& dignitates Ordinis. fol.767. & idem dices de Religiosis communicantibus in priuilegiis cum prædicta Congregatione. ibid.
Impedimentum dirimens matrimonium, ignoratum à coniugibus deprehensum à cõfessario intra confessionem,quomodo sit curandum. fol.862
Irregularitas posita propter delictum non incurritur si adsit bona fides. fol.853
Irregularitatem quando incurrat habens curam ægroti ob negligentiam applicandi remedia eidem.f.760. & alia ibi de irregularitate. casu 23.& fol.761
Irregularitas in susceptione,vel exercitio Ordinum excusatur ob bonam fidem. fol.864

Irregularitas non orta ex delicto incurritur etiamsi ignoretur,& actus fiat bona fide. fol.19
Iudex sæcularis quando possit obuiare mandato Episcopi. fol.99
Iudex ad quem appellatur debet citare, vel audire iudicem à quo, & sine processu prioris iudicis nihil potest innouare contra iudicem à quo. fol.140
Iudex superior non potest auocare ad se causam ex prima instantia tollendo illam de manu inferioris Prælati ante appellationem. fol.142
Iudex iniuriatus ab aliquo particulari, an possit facere processum,& punire se iniuriantem. fol.168
Iudex in foro conscientiæ potest consilium dare reo pro sua defensione.fol.751.& qui prius dedit consilium reo in secreto,potest in foro interno,esse iudex eiusdem,ibidem.Et alia de aduocato.Et potest iudex hodie iudicare secundum vnam opinionem probabilem,& manè secundum aliam opinionem oppositam probabilem. fol.752
Iuramentum de semper defendenda Deipara à peccato originali est pium,& licitum. fol.540
Iuramentum non obligat cum præiudicio tertij. fol. 309.
Iuramentum, vel votum filij quomodo possit pater irritare. fol.650
à Iure communi non est recedendum, nisi quoad ea quæ inueniuntur excepta. fol.837
Iurisdictio potest committi per coniecturas fol.453.& seqq.
Ius patronatus pro aliquo Conuentu Religiosorum quid requirat.f.426. toto casu 17.Et illud non possunt dare Fratres Minores in suis Ecclesiis,nisi cum talibus concurrentibus. ibidem n. 1. Potest tamen Prouin

Prouincialis consentire. ibid.
Ingressus fœminarum in clausuram virorum quas conditiones habere debet. fol.835.& seq.
Ingredi non possunt fœminæ in Monasteria virorum, solum ad videndum ornatum clausti in festis sine alia conditione ex assignatis à Papa. fol.834.& per totum casum 38.

L

Legata pia relicta in testamento alias nullo, sunt valida,& quæ sint legata pia.fol.80 .Et pro legato relicto Minoritæ fratri, vide.fol.473.num.2
Legatum quando sit dicendum conditionale, quando modale.fol.270.& fol.286.285. & fol.292. & fol. 478
Legatum alicui si nupserit, vel si filios habeat, non perditur si intret Religionem. fol.271. & alia ibid. de materia legati.
Lex quomodo dicatur cessare cessante causa, seu fine legis. fol.132
Prælati Regulares non tenentur iudicare causas subditorum secundum leges sæculares. fol.180.& seq.
Legis declaratio quotuplex sit. fol.336.n.12.& 14
Quando duæ leges sunt contrariæ, secunda reuocat priorem. fol.379
Lex Papalis vt obliget quomodo debet publicari,quomodo de illa possit supplicari ad Papam. fol.527.& quomodo possit extendi de vno casu ad alium similem, ibid.n.16.& legis explicatio pendet ex proœmio legis. n.17
Lex Ecclesiæ per quot annos possit abrogari,& qualis debeat esse consuetudo vt ipsam abroget.f.838.n.4

Expreſſum in lege facit ceſſare præſumptum, ſeu omiſſum in illa. fol.894
Licentia data, vel confirmata ab vno Collectore Apoſtolico non expirat poſt egreſſum illius à regno, finito officio. fol.817.& ſeq.n.1
Licentia data ab vno Prælato Regulari,& poſtea confirmata ab eodem Domino Collectore, non poteſt amplius reuocari à Prælato, qui prius dedit, vel à ſuperiore dantis. fol.819.n.3
Licentia tacita habetur pro expreſſa. fol.883

M

MAndans aliquid fieri, quando teneatur reſtituere damnum ſecutum ex mandato. f.773.& ſeqq.
Maria Deipara, & omnes Apoſtoli baptizati ſunt baptiſmo Chriſti D. antequam ſacram Euchariſtiam receperint.f.234.vide etiam f.542
Metus cadens in virum conſtantem quando fiat.f.367. & ſeqq.
Metus annullat electionem ſi fiat cum precibus importunis à viro graui,& Prælato,&c. f.420.n.4
Metus reuerentialis ſufficit ad annullandam profeſſionem,& alia de metu circa profeſſionem. fol.804.& ſeq.& fol.62 n.6
Monorita Frater quomodo poſſit habere legatum annuum pecuniarum. f.475.n.3
Miracula facta ob defenſionem Deiparæ à peccato originali. f.542
Matrimonium promittens fœminæ non poteſt licitè ingredi Religionem poſt matrimonium ſolum ratum cum illa. f.662.n.2. & ſeqq.& alia ibi de defloratore virginem.

Matrimonium ratum solum, an dissoluatur per ingressum Congregationis sancti Ioannis Euangelistæ in Portugallia. fol.664

Matrimonium non tenetur contrahere vir cum illa, quæ se passa est deflorari sine vi, precibus, vel promissione,& alia ad hoc intentum. fol.606.toto casu 2.

Missæ relictæ à defuncto sepulto apud Religiosos, si defunctus non declarauit locum vbi sint dicendæ, debent, dici in Conuentu, vbi defunctus sepultus est. Et ibi dictæ sunt vtiliores defuncto.fol. 444

Missa sicca an hodie dici possit extra mare sine peccato. fol.770

Missam audire in propria Parochia non potest obligari Parochianus sub censuris. fol.785.& seqq.

Moniales S. Claræ subditæ Episcopis an gaudeant priuilegiis,& indulgentiis concessis Ordini Minorum. fol.409,& 767

Monialis primæ Regulæ S. Claræ potest habere peculium annuum pecuniarum cum licentia Prælati. Et illæ in communi possunt habere annuos redditus. fol.462.n.1.& seqq.

Moniales S. Claræ subditæ Minoritis gaudent priuilegiis Minoritarum, siue illa sint primo concessa Minoritis,siue ab illis participata. fol.767

Monialis dicens se non esse professam, si intra clausuram non habet libertatem vt se defendat,potest extrahi à Conuentu,& foris causam suam prosequi in loco tuto & honesto. fol.64

Monialis licitè exiens à clausura, quomodo & quando tenetur redire ad illam. fol.98.& seqq.

Moniales conuenientius gubernantur per Prælatos Regula

Regulares, quam per Episcopos. fol. 393. & toto illo casu 13

N

NEgotiari an possit Clericus in mercaturis, saltem per alium. fol. 885. & seqq.

Notarius Apostolicus Ecclesiasticus non potest validè approbare testamentum in Portugallia. fol. 793

Notorium delictum quando dicatur. fol. 20. & quando dicatur Notoria Clerici percussio. fol. 694

Nouitius post vltima vota sibi data à Conuentu quomodo possit expelli. fol. 18

Nouitius an teneatur prodere suum occultum defectum impedientem professionem si interrogetur. fol. 48. & seqq.

Nouitij professio potest dilatari per sex menses vltra annum nouitiatus cum causa, & alia de anno nouitiatus. fol. 342. toto casu 7

O

OBligatio alicui rei annexa, si res alienetur transit cum re alienata. f. 870. & seq.

Occultum delictum si publicetur iustè, vel iniustè, potest ac debet puniri à Prælato in foro externo. fol. 151

Officium diuinum tenetur dicere Religiosus secundum consuetudinem communem suæ Religionis. fol. 782.

Officium Conceptionis Deiparæ incipiens, *Sicut lilium*, quando inceperit, quis Author illius, & quæ priuilegia propter illud sint concessa, & quæ indulgentiæ,

gentiæ, & alia de eodem. f.776.cas.28
Obedire an teneatur subditus in foro interno illi Prælato quem certo scit esse nulliter electum ob electionis nullitatem. f.425
Opinio vnius tantum Doctoris, quando possit teneri contra multos alios oppositum dicentes. f.643
Ordinatus bona fide, & non legitimus, non incurrit suspensionem. f 244
Ordinari potest Clericus carens patrimonio, si aliquis illi promittat aliquem annuum redditum pro sufficienti sustentatione. f.698.& seqq.
Ordines sacros recipiens sine interstitiis peccat, sed non incurrit suspensionem, neque irregularitatem. f.850
Ordines sacros extra tempora recipiens bona fide, vel ob defectum ætatis, & in illis ministrans bona fide, non incurrit suspensionem, neque irregularitatem. f.852.& seqq.
Ordines minores omittens, & sine illis recipiens tres sacros, recipit verum characterem trium sacrorum. Et an ministrans in sacris sine minoribus incurrat aliquam censuram,& alia ad hoc intentum.f.857.& seq.Et an Ordines minores sint sacramenta. f.425

P

PApa aliquando aliqua concedit propter importunitatem, quæ postea reuocat, & emendat. f.398 Et vide fol.339. quod Papa potest obliuisci legem anteceſſoris.
Parochus non est propriè Prælatus, & non potest excommunicare. f.768,& f,784.n.2

Pater non tenetur soluere damna illata à filiofamilias, quorum pater causa non fuit. f.835.n.4.& potest filium verberare,& punire. f.622

Patrimonium ad cuius titulum Clericus ordinatur potest alienari, non obstante Tridentino, si Clericus habet alia bona, vnde commodè viuat. fol.280. & fol.698

Particula, *Et*, copulatiua aliquando disiunctiuè accipienda est. fol.899.§.2. Ad primùm,& seq.

Peccata distinguntur ex voluntate, & intentione operantis. f.875.& seqq.

Peccatum externum sumit suam malitiam, & speciem ab actu interno, licet opus externum sit distinctæ speciei. f.200.& seqq.

Faciens opus, quod à parte rei est pecatum m. putans tamen esse solum veniale,& non facturus si crederet esse mortale,peccat solum venialiter. fol.755. toto casu 22

Percussor Clerici notorius,quis dicatur,& quot testes sint necessarij ad probandum notorium. f.509

Percussor Clerici notorius potest absolui per Bullam Cruciatæ, vel per priuilegia Regularium,etiam extra confessionem,data cautione,& satisfactione : & quæ requirantur ad istam satisfactionem. f.829.& toto casu 37

Pompa funeralis defuncti,potest fieri de bonis quæ defunctus alias debebat, si non habet alia bona propria. f.729

Potens in maius quando inteligitur posse illud quod est minus. f.887

Præcedentia locorum inter Religiosos non est damnanda ex se. f.318.& seqq.

Prælatus eligi non poteſt, qui eſt omnino idiota. f. 494. n. 1. & ſeqq.
Prælatus Regularis præ morbo non potens viſitare Prouinciam poteſt inuitus amoueri ab officio. fol. 500
Prælatus Regularis poteſt punire ſubditum ob crimen nefandum. fol. 898. & ſeqq. Subditum verò culpatum de hæreſi non poteſt punire, ſed tantum ſtatim deferre ad D D. Inquiſitores. fol. 904. & ſeqq.
Prælatus recuſatus pro viſitatione poterit vices ſuas committere alicui delegato de conſenſu recuſatoris. fol. 165
Prælatus Regularis non poteſt dimittere Ordinario regimen alicuius Conuentus Monialium ſibi ſubditarum inconſulto Papa. fol. 86. & ſeqq. vſque ad finem.
Prælatus poteſt punire ſubditum ob delictum, quod fecit in alio regno, vel alio territorio. fol. 145. & ſeqq. & poteſt punire ſubditum delinquentem extra clauſtra ex ſolo proceſſu facto, & miſſo ab Epiſcopo, ſine eo quod Prouincialis faciat nouum proceſſum. fol. 147. & ſeqq.
Prouincialis poteſt dare votum pro Nouitio, vel pro Nouitia recipiendis ad profeſſionem. fol. 89. & pro Abbatiſſa. fol. 245. & fol. 260. toto caſu 30
Prouincialis non poteſt recuſari vt ſuſpectus ne viſitet Conuentum ex officio, vel ne præſideat electioni Abbatiſſæ aſſumptis teſtibus ad beneplacitum partium. fol. 155. & toto caſu 21
Prælatus generalis non poteſt eximere ſubditum quin obediat omnino ſuo Prælato locali. Neque poteſt

per ſe ſolum dare ſubdito priuilegium vt habeat votum in Capitulo. f.523
nter Prælatum,& ſubditum an poſſit dari obligatio de iuſtitia. f.174.& ſeqq.
Prælata,vel Prælatus ſucceſſor tenetur ſtare contractui facto per anteceſſorem ſi fuit factus pro bono communi Conuentus.Et tenetur ſoluere debita,quæ anteceſſor contraxit pro bono communi Conuentus. f.890.& toto caſ.35
Præuenta cauſa quando dicatur à Prælato in delicto mixti fori. f.908.& ſeqq.
Præſumptio vehemens quomodo vincatur à præſumptione violenta. f.229.n.9.& ſeqq.
Quomodo poſſit probari quod præſumptio defuerit in aliquo actu. f.218.& ſeq n.3
Principali deſtructo quomodo intelligatur deſtrui acceſſorium:& quomodo acceſſorium pendeat à principali,& diſpoſitum in vno,cenſeatur diſpoſitum in alio. f.848.& ſeqq.
Priuilegium Martini V.pro officio diuino non dicendo à Religioſis infirmis,& ſenibus Ordinis S.Hieronymi explicatur.f.897. Vide etiam caſum vltim.iſtius lib.
Priuilegium etiam contra ius commune conceſſum toti alicui Religioni non eſt interpretandum ſtrictè, ſed amplè.Et in quo differat priuilegium à diſpenſatione. f.899
Priuilegium Religioſorum vt perdatur per non vſum, requiruntur centum anni.f.486. & quid de priuilegio conceſſo à Papa ſcienter cum præiudicio tertij. ibid.
Priuilegia data aliquibus Religioſis ob labores literarios,

rios.& similes pro bono communi non sunt taxan da. f.531.n.18.& seq
Priuilegio alicuius Religionis violato, debet Prælatus adire suum Conseruatorem vt se defendat. fol. 784
Priuilegium non debet extendi ad similes personas ob similem rationem, maximè si resultet præiudicium tertij. fol.331
Priuilegium quod vni Religioni primo concessum est, si communicatur alteri Religioni, fit ita proprium istius communicantis ac si illi primo fuisset concessum, & alia de hac materia. fol. 375.& fol.766. & seqq.
Priuilegij forma si non seruetur, ipsum amittitur, & etiam per non vsum perditur.f.424,& seqq.Et quod tempus ad hoc sufficiat.ibid.Et mutata materia priuilegij ipsum mutatur. ibid. & seqq.
Priuilegium prius inualidum in vna Religione reualidatur si Papa posterior confirmet priuilegia Ordinis Motu proprio vel ex certa scientia.f.491.n.7.& quid requiratur vt priuilegium amittatur per non vsum. f.493 n.9
Professio facta ob solum metum reuerentialem, an possit annullari. f.364 n.6.
Professus ad chorum an possit mutari ad statum laicorum professorum arbitrio Prælati. fol. 364. num. 11
Professio excommunicati nominatim est valida.f.235. n.18.Imò & hæretici occulti, ibidem. Non vero est valida professio hominis non baptizati.ibid.n.19.& seqq.
Professio prius nulla quomodo possit conualescere si-

ne eo quod iterum fiat professio. f.4.& seqq.
Professus tacens delictum in professione an possit expelli ab ordine. f.46.& seqq.& de tacente morbum contagiosum in professione, f.48.& seqq.
Professio facta ab excommunicato, & data ab excommunicato valida est. f.64. & seqq.
Professio illius qui habet debita est hodie valida. fol. 664
Promissio quomodo debeat fieri, & acceptari vt obliget in foro externo fol. 764. & ibidem de re promissa vni Ecclesiæ quando possit dari alteri Ecclesiæ. f.765.& seqq.

Q

QVarta funeralis non debetur Parochiæ, quando illi defunctus apud Religiosos sepultus reliquit legatum æquiualens quartæ funerali. f.478. & seqq. & alia ibi spectantia ad solutionem huius quartæ. Nec debetur de illis, quæ deferuntur post diem sepulturæ. f.488.vsque ad fin.
Quinquennium ad reclamandum contra valorem professionis numerandum est à die professionis, non verò à die notitiæ quam habuit professus.f.866.n.1. & seqq.

R

RAtihabitio veri domini potest reualidare donationem præteritam nullam.f.614.& alia ad hoc ibidem.f.615.& de actu facto sub spe ratihabitionis de futuro.

Ratificatio ſubſequens reualidat actum præcedentem nullum. f.187.& ſeqq.
Contenta in Regula Religionis an poſſint abrogari per præſumptionem. f.433.n.1
Religio tota, nec Generalis ipſius poſſunt abrogare aliquod præceptum contentum in Regula, licet tale præceptum Regulæ non obliget ad veniale. f.435. num.3
Recuſari quando poſſit iudex habens ſimilem cauſam. fol.486.num.3. & vide fol.137. & ſeqq. de recuſatione.
Reddit us annui computantur pro re immobili. fol. 472
Redditus annualis relictus Franciſcanis pro legato, non poteſt ab illis acceptari, nec vendi. fol.30. & ſeqq.
Remittere aliquid eſt donatio. f.724
Renunciatio officij, vel priuilegij fieri non poteſt, niſi coram illo qui dedit officium. f.88.& ſeqq.
Per renunciationem legitimam amittitur ius antiquum ita vt non poſſit renuncians ad illud redire ſine noua collatione. f.89.n.6
Renunciare non poteſt quis priuilegio quod habet non ratione ſui, ſed ratione ſtatus. f.94.n.9
Renunciatio debet eſſe voluntaria, non coacta. f.343 f.356.poſt initium.& f.384.n.6.& ſeqq.
Renunciare dicitur is qui in iudicio facit actum contrarium ſuæ prætenſioni. f.90. Et quod renuncians ſi reeligatur poſt renunciationem, validè eligitur. ibid.
Vnaquæque res tranſit cum onere ſuo, quomodo intelligatur. f.871

Reſcriptum Papæ quando cenſeatur reuocare legem in communi. f.807.& ſeqq.n.4

Reſcriptum vt cenſeatur ſubreptitium, vel obreptitium,quæ narratio falſi,aut taciturnitas veri requiratur. f.808

Reſtituere an quis teneatur rem pignoratam, vel emptam à latrone cum amiſſione rei propriæ, ſeu cum damno. Et an tunc teneatur denunciare iuſſus ſub cenſura. f.877.& ſeqq.

Reſtituenda quomodo ſit iniuria,maximè ſi iniuriatus ipſe ſit alias infamis. f.831

Reſtituere non tenetur, qui miſit creditori rem debitam per Nuncium deſtinatum à creditore, ſi Nuncius fugit cum illa. Idem dic de re miſſa per famulum habitum pro valdè fideli,& hoc ſaltem in foro conſcientiæ. Et alij duo caſus boni per quos quis deobligatur à reſtitutione. f.600

Reſtituere non tenetur,qui damnum dedit iuſtè.f.619 & ſeq.

Reſtituere tenetur deflorans virginem inuitam. f.732. n.1

Reſtituere quando quis teneatur damnum ſecutum ex ſuo mandato. f.774.& ſeq.

Reſtitutionem in integrum poſſunt petere Religioſi læſi, etiamſi non appellauerint ſuo tempore, & hoc circa poſſeſſiones, & iura communia Conuentus. f. 300.& ſeq.& f.431.n.4

Reſtituere quando tenetur aliquis impediens alium ab aſſecutione alicuius lucri. f.798

Reuocare poteſt aliquis non ſolum verbo, ſed etiam facto. f.30

Reuocare ſuum dictum quomodo quis poſſit. f.24

Reus Religioſus an poſſit audiri de culpis grauibus verbo tenus, abſque ſcripto continente culpas. fol. 138

Reo Religioſo in culpis grauibus non poteſt aſſignari tempus breue, vt 24. horarum vt reſpondeat. f. 382. & ſeq. Nec poteſt citari ad locum non tutum, ſeu non commodum, vbi non habet defenſiones. f. 384. n. 4. & tenetur iudex recipere teſtes à reo oblatos. ibid. n. 6. Et non poteſt renunciare ſuæ defenſioni in criminalibus. ibid. n. 6

Per Rubricam affixam titulo Bullæ, ſeu Capitulo iuris explicatur, & declaratur textus & contenta in illis. fol. 330

S

SAlomon ſaluatus eſt. f. 575

Scriptura non eſt neceſſaria, niſi quando lex exprimit vt fiat in ſcriptis. f. 170. & ſeq.

Scriptura vna dubia per aliam ſcripturam claram eiuſdem proceſſus explicanda eſt. f. 453. & ſeq.

Sententia lata à Principe in vno caſu particulari habetur pro lege communi in ſuo regno. fol. 518

Sepultura Eccleſiaſtica dari poteſt excommunicato non declarato, nec percuſſori Clerici notorio. Et alia de ſepultura danda in ſimilibus caſibus. f. 667. & ſeqq. tot. caſ. 10.

Sepultura vni prius iam data an poſſit alteri poſtea dari: & an ſepultura poſſit vendi. f. 447. tot. caſ. 20

Simonia eſt dare aliquid interceſſori, vt intercedat pro beneficio aſſequendo ſi præcedat pactum; idem pro aſſequendo officio, vel Ordinibus ſacris, & alia

de simonia, & de pœnis simoniaci eiusque absolutione. f.687 n.8
Simoniam committit Prælatus si sub pacto omittat punire subditum ob culpas cum pacto, vt in electione det suffragium Petro, v.g. f.435.n.5
Socius criminis quando possit esse testis. f.196
Statutum non potest facere Religio annullans professionem Nouitij exeuntis tempore nouitiatus cum licentia, & habitu, vt de morbo curetur in domo seculari. f.507
Sponsalia iurata cum certa conditione, illa non impleta, non obligant. Idem si post sponsalia alter sponsus cognouit defectum alterius, quo prius cognito non promitteret. f.644.toto casu 6. & alia ibi circa sponsalia.
Sponsalia iurata cum defloratione virginis, obligant virum nobilem, vt contrahat cum fœmina etiam si sit plebeia, & sibi inferior. f.647.toto casu 7
Sponsalitiam largitatem, seu donaria data à sponso ante matrimonium, quando amittat sponsa. f.815
Substitutiones factæ in testamentis contra profitentes in Religione euanescunt per professionem. fol.279. n.11.
Suffragium datum pro Nouitio quas conditiones requirat. f.66.& seqq.
Stylus Curiæ Romanæ an obliget vt lex in Hispania. f.542.& seq.

T

TEmpus taxatum in lege potest Iudex pro causa aliquando prolongare. fol.348. Et quod Tempus

pus non currit impedito, vel ignoranti. ibid.
Tertiarij Patris nostri Franciſci qui viuunt in Congregatione, & emittunt tria vota eſſentialia, non poſſunt obedire Epiſcopo, ſed debent obedire Prælato Generali Minorum, & alia multa de his tertiariis. fol. 116. & toto caſu 16. Et hi non gaudent priuilegiis Religioſorum, nec ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ, ſi non emittant tria vota eſſentialia. ibid. maximè fol. 122. n. 7.
Teſtamentum contradicens legi non valet quoad partem hanc. f. 273
Teſtari poteſt quis de illo cuius dominium actu non habet, ſed habet tamen ius ad illud. f. 276. n. 9.
per Teſtamentum poteſt teſtator reuocare prius teſtamentum, non verò præteritam donationem prius acceptatam. f. 89 n. 4
Teſtatorem impediens ne liberè teſtetur quam pœnam incurrat, & alia de teſtamenti approbatione. f. 793. toto caſu 33
Teſtis recuſati dictum ſemper recipi debet etiamſi ſit ſuſpectus, & ad quid proſit. f. 142. n. 7
Teſtes deponentes contra aliquem in viſitatione generali an ſint repetendi, & ratificandi poſtea pro ſententia contra aliquem ferenda. f. 150. n. 2. & 6. vſque ad fin.
Teſtis ſubſcriptio an ſit de ſubſtantia iuris, & an teneatur aliquando reuelare ſecretum naturale. f. 177. & ſeqq.
Teſtis an poſſit ſe remittere ad id quod dixit in alio teſtimonio nihil nunc addendo. f. 171
Teſtis an poſſit eſſe mulier in criminalibus contra Religioſum. f. 194

Teſtis infamis quid probet. f.198
Teſtium nomina publicare reo petenti non eſt de ſubſtantia iuris, neque obligat in Religionibus, niſi in re grauiſſima, maximè ſi aliàs periclitetur defenſio rei. f.208
Teſtimonium datum à Religioſo coram Iudice ſæculari, abſque licentia Prælati, poteſt à parte opponente annullari. Si tamen non opponat validum eſt. f.754
Teſtimonium proprium pro ſe nulli poteſt prodeſſe in foro externo, bene tamen in foro interno. fol. 867
Transferri an poſſit Religioſus de vna Religione in aliam ſtrictiorem, petita, ſed non obtenta licentia ob certum priuilegium. f.374.tot.caſ.10

V

VEnia petenda non eſt de malo propoſito iniuriandi. f.214
Viſitatio generalis quomodo facienda ſit à Prælatis. f.149.per tot.caſ.20
Veneficas conſulere quæ pœna ſit. f.204
Votum ſuum poteſt quiſque per ſe ipſum ſine diſpenſatione commutare in rem euidenter meliorem. fol. 128
Si voti materia facta eſt inutilis, vel indifferens ceſſat votum. f.129
Vouens intrare Religionem cum animo vt ſit de choro, ſi Prælatus nolit illum recipere, niſi vt ſit laicus frater non tenetur ad votum. f.355.n.2. & alia ibid. ad hoc intentum.

Votum, vel iuramentum desinunt obligare, si illorum materia sit valde mutata. f.462

Votum ore factum sine animo vouendi, non obligat. fol.804

Votum alias Ppapæ reseruatum, si sit conditionale, vel pœnale, de illis quinque consuetis, potest dispensari ab Episcopo, vel confessore Regulari per sua priuilegia. f.883.& seq.& f.904

Vouens castitatem, ex vi talis voti non tenetur ingredi Religionem. f.901

Votum in Capitulum Canonicorum datum à maiore parte Capituli.& quando obliget illos, qui non consenserunt. f.888

Vsura est mutuare aliquid alicui cum obligatione vt sibi vendatur census si sua pecunia non sibi reddatur in termino præfixo. f.789.n.1. & de lucro cessante, quando excusetur ne sit vsura. f.791.n.5

Vsusfructus vsus,& dominium, quomodo distinguantur. f.880.& seq.n.2

Vtens iure suo nulli facit iniuriam. f.275

Vtile per inutile non vitiatur, quid significet in Regula iuris. f.610

Vxorem alere tenetur vir, etiamsi illam sine dote duxerit in matrimonium. f.730

Viuæ vocis oracula concessa Religiosis à Sum.Pontif. licet D.Paulus V.reuocauerit. Postea tamen D.Papa Vrbanus VIII. confirmauit PP. Societatis Iesv sine vlla clausula. f.vlt.& casu vlt.istius libri.

FINIS.


Cax.
Num
FAN
341